JOHANNIS-AMOS
COMENII

(Viri Grammatices in palæstra hoc seculo exercitati simul ac laudati summe)

Ars Ornatoria,

SIVE

GRAMMATICA ELEGANS,

ET

ERUDITIONIS SCHOLASTICÆ
ATRIUM,

Rerum & Linguarum Ornamenta exhibens:

Cui insuper accessit

GRAMMATICA ejusdem JANUALIS;

Ad quam utpotè non uno tantùm loco in præliminaris istius Grammatices recurrit Autor.

Omnia Autoris ex mente & suasu nunc primo in Anglia *recusa.*



LONDINI,

Ex Officina JOHANNIS REDMAYNE, MDCLXXI.

JOHANNI ETZEDIO
Salutem & Divinam benedictionem.

SI *Ternarius* rectè numerus perfectus, omnique in rebus perfectionis mensura est, *ut Aristoteli visum, & illud* (libro 1. de Cœlo, cap. 1.) *scriptum reliquit: gaude* Etzedi, *honorē eum contingere tibi, ut Latinæ Scholæ nostræ Triclassis tertia, hoc est, suprema, ad perfectionem adspirans, Tuæ committatur Prudentiæ. Tu ecce Latinæ Linguæ studium hac in Schola absolves! Tu Latinitatis puræ candidatulis nostris Latinus Pater eris! Tu hîc Romanos creabis Quirites. Nec enim illi, ad quos tu Tuos mittes discipulos, superiorum Classium Magistri, Linguæ studio occupabuntur, aut discipulos occupabunt: sed Rebus jam obversi, & in Res defixi, partim apud Vos Linguæ facundiam pro Eruditionis tantum vehiculo habituri sunt. Quæ res eò spectat, ut Tu in eorum qui à Te altiùs ibunt formanda Lingua, & stylo, tantò sis gravior, quantò pulchrius fore, si viri docti postea styli elegantiam à Te accepisse glorientur, intelligis. Patieris ergò me de muniis Vocationis Tuæ Tecum loqui: ut quantum iis quæ à secundæ Curiæ Magistro accipis superstruere debeas, ne ignores. Sicut enim ætas Discipulorum cum annis crescit, Ingeniisque ipsa exercitatione Sensus, & Intellectus, & Memoria, in majorem capacitatem se disponunt: ita illis uberiora semper solidioraque, procuranda sunt pabula.*

Ergò quantò plura Janualibus fuerunt attributa præ Vestibulariis, Tantò majora Tibi & Tuis præ Janualibus. Ecce Volumen præsens id ostendet! Quid Tibi & per Te discipulis ATRII nomine in manus datur: ut immediatè Vobis jam in Authorum (adeoq ipsius Sapientiæ, realis puta Eruditionis) PALATIA transitum fore memores, strenuè agatis. Habes verò hic eadem tria Philologici studii instrumenta, qu[æ] præcedentium Classium Magistri, Textum, Lexicon, Grammaticam, Nomenclaturam nempe Rerum *ejusdem universi (nec enim aliud est, aut Res aliæ)* novis expressionibus variatam. *Et* Lexicon Latino Latinum, *nativas Rerum appellationes elegantibus Authorum phrasibus & sententiis permutare docens. Et Grammaticam Elegantem, sexcentis præterea modis Sermonem variandi artificia recludentem. Audis, qualia Tibi damus? Si varietas delectat (non ali-*

ter autem experiantur omnes sensus nostri) ecce meri Tibi contingunt deliciæ! qui, sive Res elegantiùs depictas Tuis spectandus offeres; sive iis Styli variandi explicabis præcepta, sive cum iisdem stylum ad elegantiam, elegantis Lexici ope, exercebis, in floridissimo amœnissimoq; versari videberis Viridario. Nam variandæ in infinitum Orationis fontes, rectè à nobis esse apertos autumo; tametsi exemplis à nobis omnia plenè illustrata eße non glorior: quinimo defectus multos ultro agnosco. Cujus enim unius diligentia ad hæc infinitæ varietatis explicanda sufficiat? Cujus ætas? nedum aliquot illi menses, quibus tandem coarctati fuimus.

Verum enimverò, sicuti instrumentorum philologicorum ordinem alium, & ad ingeniosam praxin accommodatiorem, dedimus Januæ quam Vestibulo: ita nunc alium Atrio, quam utrique illi. Vestibularios quippe à Nomenclatura Rerum incipere, perque Grammaticam in Lexicon venire; Januales contrà, à Lexico inchoare, inque Historialem Rerum Nomenclaturam desinere, voluimus: Atrienses verò Typos à Grammatica ordiri (quod priorem neutris concessum) & per elegantem Historiæ Rerum contexturam in Elegantiarum Lexicon venire, ibique variando eleganter stylo deliciari, bonæ persuaserunt rationes. Utrique nimirum priorum Classium Magistro negotium fuit cum elinguibus adhuc, & tenellis, quos duplices aut triplici objici luctæ non fuit consultum. Tui jam grandescunt, verborumque omnium acquisito intellectu simplici & nativo, nihil adeòubi hæreant reperiunt, promoveri ad ulteriora parati. Ergo à formali inchoare nihil prohibet: consultum potius est rectà huc duci, ubi quid stylus elegans à simplici differat, pervidere incipiant. Sed & absque hoc sit, naturaliter Grammatica præcedere debet Textum: quia viam habet, non metam; rudimenta, non opera. Condescendendo tantùm Tironum infirmitati præcepta priùs differrebamus, Textum aut Lexicon præmittebamus. Tu in nativi Ordinis viam redibis: quem sequentes jam retenebunt Claßes.

Aggredere igitur in Nomine Dei hanc Sermonem variandi Artem, eamque à capite ad calcem ita cum discipulis pertracta, ut illis tum præceptorum intellectum instilles accuratè, tum exercitiis doceas usum: qualiter & antecedentibus præscripsimus Classibus, & hic perubique monebimus.

Præ-

Præmitte discursum: Quemadmodum Corporis formam quisque nostram nanciscitur nonnisi unam, mutari nesciam; Ornatuum verò à Veste infinita est Varietas: & quemadmodum Cantionis melodia monophona nonnisi modo uno cantari potest, à quantacunque cantantium multitudine: symphonia vero Cantum ornandi infinitæ sunt formæ; ita prorsus esse, non aliter, cum humano sermone comparatū. Expressiones Rerum nativas nonnisi simplices esse, esseq; debere, omnibus in Linguis: sed Ornamenta variare modis infinitis, per singulas ferè Linguas aliter atque aliter, Ac in eo se vī Eloquentiæ prodere maximè, dum omni variata Voce, Phrasi, Sententia, novum semper aliquod, & (propter detectum novum quendam Rerum adinvicem respectum) Menti suave, offertur pabulum: novique varii acuti, animis infiguntur stimuli. Omnis ergò illa Orationis varietas, & dehinc suavitas, undè & quomodo surgat, qualiterque decenter adhibenda sit, ignorandum non esse. Et Erasmum quidem Roterodamum de Rerum & Verborum Copia scripsisse primum ita, ut siquis post illum eo de argumento scriberet, simile fuerit, non diversum; nec restare fuisse visum, nisi ut res ad majorem deduceret fluiditatem, si posset. Id quod jam hîc tentatum esse in Grammatica Elegantiarū: in qua tria esse præstita.

I. Redactas esse de Copia Verborum præceptiones ad seriem Grammaticorum præceptorum.

II. Inventam rationem practicam, quomodo quicquid simpliciter, & secundum naturales Sermonis Leges dicitur, illico eleganter, modis variis, ac velut infinitis, efferri queat.

III. Quod ne in inutilem Luxuriam & garrulitatem exiret, hanc sermonem infinitis modis variandi facilitatem certis constringi legibus, ut in nihil futile, sed moderatam, decentem, suavemque Facundiam, terminari possit.

Quanquam (quod Tibi dico) quia hîc nondum accuratam illam & severam Rhetoricam, quâ in Foro, & è Suggestu, inq; scribendis Libris utendum est, docemus (intempestivè id hoc loco fieret) sed fontes duntaxat, unde Sermonis Copia & Varietas scaturiant, ostendimus: etiamsi excitata juvenum ingenia Luxuriem aliquam in præsens indè efferant, non

est

est cur indignè feramus. Nam illa in adolescente non displicet Fabio Quintiliano propterea, quod facile quæ supersunt judicio resecentur, quædam etiam ipsa ætas deteret, *inquit*, cùm interim tenuitati atque inopiæ nulla ratione mederi queas.

Dicere proindè poteris: Tria esse quæ facere possunt Eloquentem verè, I. Intelligere Copiæ fontes. 2. Legere Authores façundos, & quàm decorè eloquantur, quicquid eloquendum suscipiunt, observare. 3. Tandem praxi propria, multum diuque & cum judicio scriptitando, Eloquentiæ sibi comparare habitum. *Nos igitur hac in Classe primo demum gradu constitutos, Copiam tantùm & Varietatem docere; reliqua illa, quæ absolutiores reddant Oratores, in sequentia differre: ut ne Herculis cothurnos adaptare velle videamur infantibus. Interim tamen quia Res potenter eloqui (quod Ars Oratoria hîc docebit, in Classi nostra* V. *&* VI. *) nemo potest, nisi qui prius* de Rebus loqui *variè ac eleganter (quod Ars ornatoria hîc docebit) possit: gradum hunc nemo transiliat, præceptisque de Elegantia, hîc in Grammatica eleganti, ad elegantem Sermonis Varietatem, exerceri se patiatur.*

De Textûs Atrialis, Lexicique Atrialis, structura & usu deinde moneberis. Hoc solum adjiciam hîc: Lexicon *Tibi & Tuis* Latino-Latinum *dari, ut Tibi cum vernacula nihil adeò fore negotii, eamque Tua in Classi audiri non debere, intelligas. Non quod non constanter optem, quod optavi pridem, pari diligentia Linguas Gentium coli: quo suam quæque Vernaculam haberet ad Latinam ducem. Sed quia id vestra in Lingua præstari à me non potest; vos autem adhuc dum tardiores hîc video. Præterea, cogitare cœpi, Latinam (quam primarium Sapientiæ vehiculum, communemque Gentium Mercurium, esse optamus) commodè Rerum ductu doceri ac disci posse: dummodo Gens quæque in Rerum & Latinæ L. penetralia sibi aditum (præstructo rectè Vestibulo & Januali Lexico) paret: cætera enim non illubenter sequentur.*

Vale, & rem sic gere, ut ceu fidus exercitûs tui Dux, Commilitones Tuos recentibus quotidie spoliis dites, & ad alacritatem in appetendis altioribus studiis excites. Juvet nos tantùm Deus, ut instrumenta eo destinata quantocyùs parata habeamus omnia! Vale.

RATIO METHODI
COMENIANÆ.



Ysterium novissima Linguarum Methodi totum in eo est, quòd per Libellos quosdam artificiosè concinnatos, in Authores ipsos recludatur V I A *CERTA, BREVIS, AMOENA, qua scilicet* Docentes ac *Discentes ad desiderii finem certò & citò, & amœnè deducat.*

Scala istiusmodi quænam erigenda sint, (hoc est, quot inferiores illi, Authoribus praludentes, condendi Libelli) ambigere non amplius integrum est, ut primus Libellus Lingua totius fundamenta ponat; secundus Lingua totius structuram simplicem & nativam absolvat; tertius corpori Lingua Ornamenta & robora superaddat. Eóque primus prima Latinitatis infantia serviat; secundus juvet in robur adscendentem pueritiam; tertius floridam ejus effingat juventutem.

Erunt autem iidem Libelli propriis nominibus ab invicem disterminandi, partibusque certis, ex quibus construi necesse habent clarè discernendi, ut *unde Ingeniis lux emicare debet, illud ipsum in semetipso lucidum sit.* Quibus autem nominibus? & quomodo?

Poterant haud incommodè, desumptis ab opere Architectonico metaphoris, dici. I *Fundamenta* Latinitatis. II, *Structura ipsa* Latinitatis. III. *Ornamenta Latinitatis.*

Non ineleganter item ab Hortorum generibus (ob culturæ Hortorum & Linguæ similitudinem) mutuatis nominibus, I. *Plantarium*; ubi Viviradices solæ è sylva in hortulum translatæ, poni solent. II. *Seminarium*; ubi Radicibus Suruli novi inseruntur, & se jam in arborem explicare jubentur, III. *Viridarium*, ubi jam virent omnia; & undè in amœnos *Authorum hortos* proximus esset transitus.

Retinere tamen placuit usurpari jam cœptas VESTIBULI, JANVÆ. ATRII appellationes; ne quid citra necessitatem novaretur. Imprimis autem ideò, commonitoriô sint, non aliô fine hos Libellos præmitti, quam ut in Authores recludant aditum: quomodo *Vestibulum, Ianua, Atrium*, non sua causa sunt, sed ut introeuntes admittat, inq; ipsa domus penetralia deducant. Ecce autem, ipsæ initiales horum Libellorum literæ (*V. I. A.*) officium hujus Methodi, seu VIÆ, ostendunt! nempe

ut { V-estibulum, J-anua, A-trium } VIA in Authores sint.

VESTIBULI enim finis est, ut legere Latina edoctis.

I. *Rerum ostendantur summi cardines, naturali ordine.*

II. *Lingua doceantur ima radices*, Voces primitivæ.

III. *Variationum Sermonis prima ponantur fundamenta, declinando & conjugando analoga omnia exactè* Eoque præparentur animi ad percipiendam facilius Linguæ structuram, hoc est, accessum habeant ad *Ianuam.*

IANVÆ finis est.

1. *Pleniorem Rerum detegere seriem, nativo vultu.*

2. *Vocum in commune usitatarum, totius Lingua, producere exercitum, nativo singularum significatu, serieque naturalis constructionis*; ut nulla vox alteri immediatè juncta reperiatur, cui non per aliquam Syntacticam Regulam cohæreat.

3. *Flexionum omnium, quas Sermo Latinus requirit*, (citra tamen figuratũ gradum)

dum) *nativas ostendere classes, formas, usus.* Eoque animum præparare ad promptè jam capiendum omnem Elegantiarum apparatum, hoc est, aditum recludere in *Atrium*.

ATRII denique finis erit.

I. *Rerum ostendere classes easdem mutuatitio habitu*, variâ scilicet transnominatione.

II. *Vocum, Phrasium, Sententiarumque recensere Transformationes* varias.

III. *De Lingua Elegantiis tradere præcepta, & arcanum detegere Latinæ Linguæ genium.* Eoque immediatè jam in Authores veniendi, & inoffensè omnia permeandi, aperire viam.

Breviter. *Vestibulum* ostendet *Linguæ sceleton. Janua corpus, Atrium vitam & colores*, Repræsentabitque Vestibulum Linguæ *analysin*, Verba resoluta seorsim spectata: Janua *synthesin*, Verba inter se constructa; Atrium *syncrisin*, collationem scilicet Rerum, Verborum, Phrasium, ad invicem, pro varia eorundem expressione ostendenda.

Viden' autem singulos Libellos trifariam dividi? Ita necesse est: quia necesse singulos habere suum *materiale*, suum *formale*, suamque *copulam*, priora illa cohærere facientem.

Materiale illud Textus est quispiam Res enarrans, Verbis, Phrasibus, Sententiisque suo penso accommodatis. *Formale illud* sunt de Sermone sic formato & formando Præcepta, seu Regulæ Grammaticæ. *Copula illa* est adjunctum Lexicon, Rerum Verborumque sensum recludens.

Uniformis igitur, suique per omnia similis, est *Vestibuli, Ianuæ, Atriique structura.* Quia semper hic Discentes ante se habebunt *Textum*, Res Verbis enarrantem; & *Lexicon*, Verborum sensum reddentem; & *Grammaticam*, Verborum structuras, quâ arte fiant, explicantem.

Ex his tribus contexitur artificiosa illa studii Latina *Scala.* Cujus latera semper duo sunt, *Res* & *Verba*: illæ magis in *Textu*, utpotè *Rerum Nomenclatore*; hæc magis in *Grammatica*, utpotè *Verborum formatrice*, spectata. Transversi autem per medium gradus, latera connectentes, sunt ipsæ *Verborum significationes*, beneficio *Lexici* Verba menti copulantes.

Restat, ut de conditionibus horum Libellorum conveniat generaliter, antequam ad plenum construantur singuli. *Prima erit, ut sint, quantum potest, breves, ne nos à principali scopo, Authorum lectione, retardent diu: eoque non diverticuli, sed semitæ prorsus rectæ, & speciem habeant & usum.*

ARTIS



ARTIS ORNATORIÆ,

Sive

GRAMMATICÆ ELEGANTIS,

CAPUT I.

Grammatica elegans *quid*, 1. Elegantiarum genera *quot*, 5. *Quô ordine tractanda*, 18. *& quid in singulis observandum*, 20.



Grammatica elegans *est eleganter loquendi ars.*

2. Eleganter loqui *est animi sensa aliter, quàm Sermonis nativi leges requirunt, eloqui: & tamen intelligi suaviùs, quàm intelligeremur, si Sermonis ductu nativô uteremur.*

[Identitas *enim* satietatis mater: Varietas *autem* delectat.]

3. Ex arte eleganter loqui, *est Sermonem ornandi modos in numerato habere; &, cur sic aut sic variandum aliquid sit, rationes reddere posse.*

4. Sermonis elegantia *consistit generaliter in ejusdem à ductu nativô in alium, sensu invariatô, transformatione.*

5. *Quæ transformatio varia est: sed se præcipuè in species tres, & dehinc novem, diffundit.*

Quippe idem aliter dicitur trifariám :

Verbis *scilicet*

- iisdem, *aliter positis, per*
  - Expositionem, *ad Perspicuitatem*, I.
  - Transpositionem, II.
- aliis
  - *magìs* Latinis, *per* Idiotismum III.
  - *æquipollentibus simpliciter*, *per* Transmutationem IV.
  - *æquipollentibus Allegoricè*, *per* Transnominationem, V.
- iisdem, *vel* aliis; *aliter tamen prolatis : Nempe*
  - *pluribus quàm res exigat*, *per* Dilatationem VI.
  - *paucioribus quàm ordinariè*, *per* Contractionem VII.
  - *cum affectione inusitata*, *per* Figuras VIII.
  - *ligatè*, *per* Rhythmum *aut* Metrum, IX.

6. *Quæ Sermonis Ornamenta ut jam, in ipso aditu, distinctè intelligas; declarabo singula melius, illustrabóque unico hoc exemplo :*

Magister meus docet exemplis perpetuis.

Quam Sententiam observa ornari posse modis novem.

7. Primùm, *Si quid hìc sit obscurum, aut ambiguum (vel saltem videri tale possit) illud additione quâdam (aut in aliud non ambiguum mutatione) ità explanando ac determinando, ut intelligi aliud, quàm volo, non possit.*

[*Ex.gr.* Quia Magistri sunt variarum Artium, & opificiorum, adeóque Vici, Aulæ, Equitum, *&c.* adde, si libet, *Magister studiorum meorum* : aut commuta in aliud non ambiguum; ùt *Ludi-magister*, seu *Præceptor, meus.*]

Talem per omnia Sermonis explanationem vocamus PERSPICUITATEM.

8. Secundò, *Si in eadem Oratione Orationis partes à situ nativó in elegantiorem aliquó modô transponas.*

[Ut, si, pro *Magister studiorum meorum*, dicas, *Studiorum Magister meorum* : pro *docet exemplis perpetuis, perpetuis docet exemplis.*

Vocamus TRASPOSITIONEM, *seu* Trajectionem : *Græcè* Μετάθεσιν.

9. Ter-

9. Tertiò, *Si loco Sermonis usitati Linguisque communis, ponam Idioticum, soli Latinæ linguæ proprium.*

[Ut, si, loco *Magister studiorum meorum,* Latinius dicam *Meus à studiis.*]

Tale Ornamentum vocamus IDIOTISMUM (*& in specie,* Latinismum, Græcismum, Hebraismum,*&c. quando Lingua hæc, vel illa, elegantiam habet aliis ignotam.*

10. Quartò, *Si Orationis partes transmutes in invicem: putà Nomen in Adnomen, aut Verbum in Nomen, vel Participium,* &c. *Aut idem Nomen & Verbum efferas aliô Numerô, Casu, Persona, Tempore, Modo,* &c.

[Vt, si hìc, pro *Magister meus docet exemplis perpetuis*, dicas *Magistro meo solenne est docere per exempla perpetua.*]

Vocamus PERMUTATIONEM, *&* per excellentiam Variationem.

11. Quintò, *Si Verba Rerum (de quibus loquimur) propria permutes Verbis Rerum ab hac nostra alienarum, ad exprimendum hanc nostram Allegoricé.*

[Vt, si hìc, loco *Magister meus docet exemplis*, dicas *Mei nutritor ingenii præmansos nobis ingerit cibos.*]

Vocamus TRANSNOMINATIONEM (*quidam &* Symbolizationem) *Rerum.*

12. Sextô *locô erit* DILATATIO, *quâ vox (& dehinc Phrasis, Sententia,* &c.) *in plura diducitur.*

[Vt, si hìc ex sententia simplici facias compositam, binam, vel trinam. Ex gr. *Meminit dilectus meus Præceptor, cujus est res bonas docere, ejusdem esse, exemplô præire,* &c.

13. Septimum *Ornamentum, Dilatationi contrarium, est* CONTRACTIO: *quum, quod pluribus dictum est, aut dici posset, pressiùs dicitur.*

[Vt, *Meus facienda docet faciendo.*]

14. Octavum *est Sermonis cum aliquo affectu prolatio.*

[Vt, *O sapientem morem, facienda docere faciendo!* Vel, *Non dicam, quàm suave sit, exemplis doceri.* Vel, *Dic, an methodus docendi dari queat melior, mollior, efficacior, atque dum exemplis docemur & ducimur:* &c.]

15. Nonum *Ornamentum est Orationis* ligatura: *sive* Rhythmica, *ubi Syllabarum tantùm numerus, & ultimarum (duarum ad-minimùm) consonantia quæritur; sive* Metrica, *ubi omnes Syllabæ numerantur, mensurantur, ponderantur.* Vt hìc,

[*Gnavum nos habemus Studiorum ducem, Omnibus affundit Exemplorum lucem*
Et, *Quæ docet, illustrat per multa exempla Magister.*]

16. *Atque hæc sunt illa Sermonem ornandi instrumenta novem.* *Priora* quinque *tam ex æquo ubique necessaria, ut demtô vel unô, Sermonis decus pereat: sed &* quatuor *reliqua certis locis necessitatem inveniunt suam.*

[Nempe obveniunt occasiones, ubi Res valdè inculcari, eóque Sermonem diffundi, expediat: rursúmque ubi contrahi præstet. Item ubi Auditor affectu concitandus, aut leniendus, sit: & denique ubi Sermonem ligaturis vinciri conferat.]

17. *Ad hos igitur novem fontes revocatur, quicquid circa Sermonis elegantiam artificii est, aut cogitari potest.*

18. *Ac memento, hæc ordine illô esse pertractanda, ut antequàm discas* Sermonem ligare, *scias* solutum liberè tractare: *& antequàm ad* affectuosam speciem figurare, *priùs* dilatare *&* contrahere: *antequàm item* contrahere, dilatare *priùs: &, antequàm* dilatare, variare: *&, antequàm* variare, purè *ac* perspicuè loqui.

[Et per consequens *Idiotismum*, quia ad puritatem Linguæ spectat, *Transpositionem* etiam præcedere.]

19. *Novem proindè erunt* Elegantis Grammaticæ *partes: nempè de Sermone ornando.*

per	I.	*Clarificationem.*	VI.	*Dilationem.*
	II.	*Idiotismos.*	VII.	*Contractionem.*
	III.	*Transpositionem.*	VIII.	*Figurationem.*
	IV.	*Transmutationem.*	IX.	*Versificationem.*
	V.	*Transnominationem.*		

20. *Sed quælibet pars habebit Segmenta, seu Capitula minora, sex. Semper etenim*

I. *Primò, trademus* generalia *cujusque Ornamenti:*

II. *Secundò, sic ornari docebuntur* Voces:

III. *Tertiò,* Phrases:

IV. *Quartò,* Sententiæ:

V. *Quintò,* Periodi:

VI. *Sextò, integra* Oratio.

21. *Et quia quodlibet Ornamentum habet insignem aliquam* Virtutem, *huicque oppositum* Vitium, *(aut Vitia) hæc inter generalia ubique attingi (Segmentô cujusque Capitis primô) observabis.*

CAPUT

CAPUT II.

PERSPICUITAS Sermonis *quid*, 1. *Virtus ejus*, 2. *& Vitia*, 3. *De Perspicuitate* Verborum, 6. Phrasium, 17. Sententiarum, 20. Periodorum, 25. Orationis, 29.

PErspicuitas *est Orationis ad rem intelligendam facilitas.*

[Quam quanti faciant Autores boni, indè pateat, quòd quidam scripserunt, *Nulli alii rei esse studendum, quàm Orationis perspicuitati*, (*Voss.* lib. VI. *Rhet.* cap. V.) Non abs re; quia *Sermo perspicuus indicium est animi puri, & res rectè intelligentis.*]

2. Virtutem Perspicuitatis *vocant* Ἐνεργείαν· *tantam scilicet sermonis* Evidentiam, *ut Res veluti ob oculos poni videantur.*

3. *Cui Virtuti opposita sunt* Vitia *duo*; Obscuritas, *&* Ambiguitas.

4. Obscura Oratio *dicitur*, *quæ ægrè intelligitur*: ambigua, *quæ diversum admittit sensum.*

[Vtrumque impingit in Orationis finem, qui est *intelligi.*]

5. Obscura Oratio nascitur ex verbis vulgo ignotis: ambigua ex homonymis.

[Prioris exemplum est apud *Varronem*, *Omnia dapatilia comêsse* Jani *Cusiones*: id est, *Omnia opipara comedisse* Jani Curiones. Et apud *Pacuvium*, audacter voces componentem, *Repandi-rostrum incurvi-cervicum pecus.* Posterioris; si quis *jus* petere se dicat: nescio enim, utrùm petat *jusculum*, an *justitiam.*]

II. De Perspicuitate Verborum.

6. *Verba omnia, & singula, si fuerint significationis notæ, unúmque illud, cujus gratiâ adhibentur, significantia, Oratio erit clara & perspicua.*

7. *Si quod tale non est, commutetur synonymo homonymiâ carenti; aut determinetur aliâ voce oppositâ, ut, quid velis, intelligatur.*

[*Ex. gr.* Si quis dicatur cepisse *Labracem*, *obscura* erit *Oratio*; quia pauci sunt, qui vocem hanc (licèt apud *Plinium* & Plautum exstet) intelligunt. Rursum si dicatur cepisse *Lupum*, erit *ambigua*; quia vel *feram quadrupedem* cepisse intelligi poterit, vel *piscem* ejusdem nominis. Ergò, si posterius intelligi vis adde *Lupum piscem*; aut commuta synonymo, aliud non significanti, & dic *Lucium cepit.*]

8. Vox proinde obscura, homonyma, nimis generalis, ùt scopulus vitanda est perspicuè loqui cupienti.

[Non igitur in familiari colloquiò dices *Clepta* aut *Directarius*; sed *Fur*: nèque *jus*; sed *jusculum*: neque *rem* inveni; sed *hoc*, vel *illud.*]

9. *Aut si se vox talis ingeret, mox illi alia notior, distinctior, specialior,*

lior, associetur; à qua prior illa lumen accipiat, & limitem: aut addatur Epitheton explicativum, discretivum, determinativum.

[Vt *Clepta*, quod Latinis *furem* sonat; *Jus*, seu *jusculum*; *Rem perdidit*, nempè *bona sua*: aut, *Clepta furax*; *Jus coctum*; *Rem possessam perdidit*, &c.]

10. *Obscurum tamen, locô suô aptè positum, in laude est.*

[Vt si quid non omnes promiscuè intelligere velis, sed conscium duntaxat aliquem, aut sagaciores aliquos. Qualibus *Cicero* Epistolas suas ad *Atticum*, virum sapientem, intiméque familiarem, complevit.]

11. Homonymum, suô locô positum, non est homonymum; *quia Verba intelliguntur secundùm subjectam materiam.*

[*Ex. gr.* Non ambiguè loquitur Coquus, cùm *Jus piscinum*; aut Astronomus, cùm *Sol in Piscibus*, dicit.]

12. Homonymum, datâ operâ positum ad sensûs ambiguitatem, elegantiam habet suavem.

[Vt cùm *Tullius* Octavium *laudandum* & *tollendum* diceret. Poterat enim vel *tollendum esse laudibus*, vel *tollendum de vita*, intelligi.]

13. Voces valdè generalis significationis feliciter homonymæ sunt: *augent enim Linguæ thesaurum variâ elegantiâ.*

[Quales *Latinis* sunt *Res*, *Vis*, *Locus*, *Natura*, *Substantia*, *Genus*, *Species*; item, in Verbis, *Sum*, *Habeo*, *Facio*, *Do*, *Gero*, &c. Vide *Lexicon*.]

14. Voces, quæ Casu in eandem terminationem incidunt, permutandæ sunt alii Casui, *ab ambiguitate libero.*

[Vt, si dixeris, *Tu Canis*, incertum erit, utrùm aliquem voces *canem*, an *canere* dicas. Si priús; lucidiùs dixeris per adjectum, *Tu impure canis*, vel *Tu latras ut canis*. Si posteriús; meliùs dixeris *Tu cantas*, &c.]

15. Aut discriminandæ, *si possunt*, Accentu; *seu* pronunciatô, *seu* scriptô.

[Vt *Venit* in Præsenti; *Vénit* in Præterito.]

16. N.B. *Atque tali Verborum Perspicuitati nos per totum Januæ L.L. Textum studuimus.*

III. De Perspicuitate Phraseôn.

17. *Verborum nexus clarus est, qui juxta usitatam formam.*

Vt Urbs Roma, Mirabile caput, Formosus facie, *&c.*

[Nam, si, *Vrbs Roma*, *Mirabilis caput*, *Formosus faciem*, &c. dixeris, non malè quidem, quia per *Græcismum*; obscurè tamen fortè alicui, talia nondum intelligenti.]

18. *Perspicuitatem Phraseôs auget, si Vox regens præcedat Rectam.*

[Faciliùs enim intelliges *Spes Reditûs*, quàm *Reditûs Spes*.]

19. N.B. *Quales Verborum copulas inesse voluimus toti nostro Januali Textui.*

IV. De Perspicuitate Sententiæ.

20. *Oritur ex Vocum naturali (aut certè nonnisi lenissimè mutatâ) serie; ut sensus ultrò influat.*

[Exemplum est in illo *Ciceronis. Omnia sunt misera in bellis civilibus.* Et *Senecæ* illô. *Necessitas tollit arbitrium.*]

21. *Atque talem nos esse volumus postremum Januæ nostræ Textum.*

22. *Fugienda itaque est perspicuè loquenti* Amphibolia, *hoc est, Vocum talis positura, quæ sensum reddat ambiguum.*

[Qualis est illa apud *Terentium, Adeò unô animô omnes Socrus oderunt Nurus.* Dubites enim, utrùm *Socrus* sit Pluralis Nominativus, *Nurus* Accusativus; an contrá. Putatúrque Poëta consiliò sic posuisse, *ad reciprocum inter Socrus & Nurus odium exprimendum:* quod si voluit, artificium est.]

23. *Verba tamen ambigui sensûs, aptè in eadem Sententia posita, augent elegantiam.*

[Ut, *Jura,* te velle servare *jura.* Et, *Lingua* puerorum facilè discit diversas *linguas.* Hinc ille Versiculus, Quid *facies, facies Veneris* si *veneris* ante?
Ne *sedeas, sed eas:* ne *pereas,* sed *per eas.*]

24. *Vox inter Voces duas ità posita, ut, ad utram referatur, non referat, inter elegantias est.*

[Ex. gr. *Ut opus cœptum urgeas, vehementer oro.* Hìc enim, utrum *vehementer* urgendum innuam, an *vehementer* orem, incertum est. Utrumcunqué tamen intelligas, rectum erit: pleniùs etiam, si utrumque. Quod si omnino perspicuè loqui libet, aut commate expedies, aut repetitione; sic,
Ut opus *urgeas vehementer,* oro:
Ut opus urgeas, *vehementer oro:*
Ut opus *vehementer urgeas, vehementer oro.*]

V. De Perspicuitate Periodi.

25. *Periodus perspicua est, quæ principium & finem ex se habens, ità comprehensa est, ut unô intuitu facilè spectari possit: prolatáque Protasi, exspectetur & sequatur Apodosis.*

26. *Ergò non aliundè pendebit Protasis, nec in aliam Periodum differtur Apodosis.*

[Ergò non nimis erit longa. Ergò membris evidenter distincta. Ergò vinculis bene constricta.]

27. Periodus igitur prolixa, confusa, in plures Periodos dissecta, eóq; non rectè cohærens, obscura est: perspicuè loquenti fugienda.

[Quales sunt apud quosdam claudere nescios.]

28. *Aut certè ut prolixitas, & minùs arcta cohærentia, non obscuret, posteriora prioribus clarè annectenda sunt.*

[Ut in *Cicerone.* 1. *Quanquam te, Marce fili, annum jam audientem* Cratippum, *idque* Athenis, *abundare oportet præceptis institutisque Philosophiæ:*
2. *propter summam & doctoris autoritatem, & urbis:*
3. *quorum alter te scientiâ augere potest, altera exemplis:*

 4. ta-

4. *tamen, ut ipse ad meam utilitatem semper cum* Græcis Latina *conjunxi :*
5. *neque id in Philosophia solùm :*
6. *sed etiam in dicendi exercitatione feci :*
7. *idem tibi censeo faciendum :*
8 *ut par sis in utriusque Orationis facultate.*]

VI. De Perspicuitate Orationis.

29. Oratio *erit* perspicua, *si* bene rebus adæquata, bene ordinata, bene articulata.

30. Rebus adæquata *Oratio est, quæ de omni re, quod scire necesse est, exponit ; quod scire necesse non est, omittit.*

31. Ordinata Oratio *est, quæ res eô ordine, quô fiunt, narrat ; ut lector rebus gestis interesse sibi videatur.*

32. Articulata Oratio *est, quæ conjunctionibus & transitionibus ità connectit omnia, ut lector semper, ubi sit, sciat.*

33. *Nominatim si habeat* Exordium, Tractationem, Epilogum, clara & distincta.

[Vbique hoc attendes, in Oratione tua & aliena: ut scias, ubi Orationis caput, ubi corpus, ubi pedes.]

34. Sine Exordio sermonem ordiri, incivile habetur, fastuosúmque.

[Hinc nata salutandi consuetudo, variæque formulæ.]

35. Sine tractatione rei alicujus loqui, nugari est.

[Hinc quæstiones illæ, *Quid fers? Quid narras*, &c.]

36. Sine Epilogo sermonem finire, est negotii januam *aperire*, non *claudere*.

[Hinc nata consuetudo valedicendi, etiam in breviculo familiaríq; colloquio.]

37. Dantur tamen casus, ubi abruptò ordiri, pulcrum sit ; & ubi abrumpere sermonem, stimulos relinquat.

[Videbis id Capite octavo in *Laconismo.*]

38. Exordium *erit* perspicuum, *si audituro, de quibus dicturus sis, & quid hæc audire ipsius intersit, clarè commonstres.*

39. Tractatio *erit* perspicua ; *si expressionem rerum habuerit plenam, bene ordinatam, transitionum vinculis aptè connexam.*

40. Conclusio erit clara ; *si à tractationis corpore fuerit distincta, affectúmque aliquem relinquens.*

41. *Atque talem esse voluimus* Januæ nostræ Textum *habentem Sermonis perspicui requisita omnia.*

[*Stet igitur ille stylo Perspicuo* pro Exemplari : à quo recedentem artificiosam Variationem jam spectabimus, & primò quidem per Idiotismum]

CAPUT III.

IDIOTISMVS quid, 1. quotuplex, 2, & 4. Virtus ejus, 5. Vitia tria, 6. Idiotismi *Vocum*, 12. *Phrasium*, 47. *Sententiarum*, 76. *Periodi*, 85. *Orationis*, 86.

IDiotismus *est Linguæ alicujus peculiaris & propria loquendi consuetudo emphatica.*

2. *Estque duplex*; Lexica, & Grammatica. *Prioris exemplum in Latinis est*, Potiri rerum, *pro* Regnare: *posterioris*, Potiente rerum Augustô, *pro* cùm regnaret.

[Neutrum enim ad verbum transferri potest. Sed Idiotismos *Lexicos* in *Lexico* quære: hìc *Grammaticales* lustrandi sunt.]

3. *Idiotismorum laudi cedat, quod* Julius Cæsar Scaliger *habet:* Venere propriâ, quasique nativô cujusque Linguæ decore, foveri sententias quasdam, subnixásque certis Idiotismi fulturis sustineri; quas in aliam quasi coloniam si deducas, iidem sanè sint cives, gratiam tamen pristinæ commendationis non retinebunt.

[Hoc dicere vult, *Singulari ratione sermoni gratiam conciliare Idiotismos.*]

4. *Est autem Idiotismus vel* strictus, *uni Linguæ ità proprius, ut aliæ non imitentur*; *vel* laxus, *duabus aut pluribus linguis communis.*

[Prioris exemplum sit hoc *Latinum, Supersedere labori:* quod vix alia Lingua habet. Posterioris, *Dare se in viam:* quod non imitantur quidem *Græci* & *Hungari*, imitantur *Germani* & *Slavi.*]

5. Idiotismi virtus *est* Emphasis; *hoc est, valida significatio, quam aliæ Linguæ nè Periphrasi quidem assequi queant. Vt sunt multa* Græcorum, Latinorum, Germanorum, Slavorum, *&c. aliis pari nervositate inimitabilia.*

6. *Vitium Idiotismo oppositum triplex est*, Barbarismus, Solœcismus, & Xenismus, *hoc est*, Peregrinitas.

7. Barbarismus, *cùm in sermone* Latino *vox* illatina, *aut* illatinè, *adhibetur. Vt* Avisare, *pro* Certiorem reddere, *seu* Præmonere. Filie, *pro* Fili, *&c.*

8. Solœcismus *est*, *cùm Voces* Latinæ illatinè *copulantur. Vt, si quis dicas* Facere damnum, *aut* Dare jacturam.

[Non enim sic *Latini* loquuntur; sed *Dare damnum. Facere jacturam*, &c.]

9. Peregrinitas *est*, *cùm quis alterius Idiotismum elegantem inelegantèr imitatur. Vt, si quis* Latinam *Phrasin*, Post homines

natos,

natos, *totidem verbis vertere velit: quod vix ulla vulgaris Lingua admittet. Certè nec admittit* Græca.

10. *Sunt autem tot* Peregrinitatis species, *quot Linguæ, quarum Idiotismis commaculari solet pura* Latinitas.

[*Hebraismus* putà, *Hellenismus* seu *Græcismus*, *Germanismus*, *Gallicismus*, *Polonismus*, *Hungarismus*, *Anglicismus*, &c. *Græcismi* tamen apud *Latinos* crebri sunt, quia hi, unde Linguæ habuerunt originem, indè & culturæ exemplar. Imitabantur igitur, ubicunque poterant: alicubi etiam insolentiùs. In genere autem pro flosculis habentur *Hellenismi* apud magnificentiùs *Latinè* loqui volentes: præsertim *Poëtas, qui ubicunque* Hellenismus *haberi poterat, etiam* Latinismo *prætulerunt*.]

11. *Sed & ejusdem Linguæ loquendi ratio prisca, posteriori ævo obsoleta, Peregrinitati annumeratur; vocátque* Archaïsmum.

II. De Vocibus Idioticis, in genere.

12. *Vox* strictè Idiotica *dicitur, cui per omnia respondente aliæ Linguæ destituuntur, eóque illâ ipsâ peregrina uti, aut suis verbis circumloqui, necesse habent.*

[Vt est *Græcum* ἐντελέχεια, *vim rerum vivam, motuum principium*, significans. Item *Latinum* PARENTARE, hoc est, personis funeratis, aut funerandis, ceremoniarum apparatu honorem (veluti Parentibus) exhibere.]

13. *Voces* laxè Idioticæ *sunt omnes purè* Latinæ *classicis Autoribus usurpatæ*, *Voces*.

14. *Purè itaque* Latinè *quisquis volet loqui*, *Voces Autoribus bonis ignoratas tanquam scopulum fugiet: Idioticisque uti gaudebit.*

[Licèt igitur *Parentare* & *Funerari* idem ferè sint: tu tamen prius usurpare ideò mavoles; quia *Latinis* proprium, Sed Vocabula *peregrina, obsoleta, nova, sordida*, vitabis.]

15. *Peregrinis tamen non inelegantèr utimur, casu trino.* 1. *Si* Latinâ *civitate donata sunt; ùt permulta* Græca, *non nulla* Hebraica, Arabica, Punica, *&c.* 2. *Si emphasin habeant singularem, & ille, cui loquimur, Linguæ illius peregrinæ non ignarus sit; aut addatur mox explicatio* (ùt *Græci* loquuntur; ùt *Hebrææ* vocis pondus est, *&c.*) 3. *Si denique non nimis crebrò fiat.*

[Tunc enim omnino vitium est: quô nomine nimia *Plauti* licentia haud immeritò vapulat.]

16. *Est &* obsoletis *quandoque locus, præsertim in Carmine: ùt in illo* Ovidii ---- " *mortemque timens, cupidúsque* moriri.

[Nec *Maro* reformidavit *Olli*, pro *Illi*. Imò & *Cicero*, *Raudusculus* (æs rude, infectum) *Averruncare*, *Muginari*, *Noctuabundus*, &c) sive adactus necessitate, sive sermoni majestatem accersens ab antiquitate) usurpavit. Nobis si quid tale

tale usurpandum est, cùm præcastigatione tali utemur; *ut* Plautinam *vocem usurpem*; *ut Veteres loquebantur*; *detur Vetustæ voci venia*, &c.]

17. *Est & suus Verbis* novis *(quæ Cicero* facta *appellat) locus: modò quis eleganter illa fingere sciat.*

[Vt cùm *Nero Claudium* in vivis desiisse *mórari* diceret: non à *Mora*, sed à Μῶρος, *stultus*. Ità *Plautus* suaviter finxit *Ipsissimus*, *genuissimus*, & alia multa. *Tertullianus* item (*Græcorum* imitatione) dixit *Exungues* feræ, *Excornes* bestiæ: *Theodorus* verò *Gaza* Aves *depedes*, *deplumes*, *depiles*: nos in *Atrio*, *superinjectamentum* (sect. 32.) & alia.]

18. *Sed nec sordidæ Voces suis locis adhibitæ sordidæ sunt.*

[Vt Agriculturam exponenti, *Stercorare* nihil turpe sonat. Et Anatomico *obscena membra* describenti propriis exprimere vocabulis licitum putatur.]

19. *Vocabulis Disciplinarum, tametsi ab antiquis* Latinis *non veniant, suus relinquendus est locus.*

[Vt in Metaphysicis *Ens*, *Essentia*, &c. in Musica *Bassus*, *Discantus*, &c. Rectè enim *Scaliger*; *Non versamur in foro aut comitio Romano, sed in communi theatro Sapientum, sub oculis Veritatis: cujus supellectilem, atque apparatum, non tam nitidum quàm opulentum esse decet.*]

20. *Quô jure Voces quoque Ecclesiasticas, tanquam supellectilem sacram, gaudere æquum est.*

[Vt *Sacramentum*, pro *ritu mystico*: *Agenda*, pro *libris ritualibus*: *Consistorium*, pro *Senatu Ecclesiastico*, &c]

Nominum Idiotismi.

21. Abstracta Nomina *eleganter efferuntur*, *Concretè*, *in Genere Neutro*, *Singulari*, *vel Plurali*. *Vt*, Bonum, Verum, Falsum, Multum, *&c.* (*vel* Bona, Vera, *&c.*) *pro* Bonitas, Veritas, Falsitas, Multitudo, *&c.*

22. Officiorum Nomina *circumscribi per Nomen subjecti*, *vel objecti*, *cum* Ab, *vel* Ad, *peculiaris est* Latinis *consuetudo. Dicunt enim*

pro { Secretarius, *A Secretis.*
Scriba, *A Manu*, vel *Ad Manum.*
Consiliarius, *A Consiliis*, vel *Ad Consilia*, &c.

[Requirítque talis hæc formula Dativum: ùt *Est mihi à Manu*, *Domino suo à Pedibus*, &c. Nisi addatur aliud Nomen: ùt apud *Ciceronem*, *Servus meus à Pedibus*.]

23. *Quodvis Nomen*, *assumto nomine* R E S, *mutatúmque in Genitivum*, *vel Adnômen*, *elegantem facit Idiotismum. Dicit enim* Plautus Res voluptatum, *pro* Voluptas; Res Cibi *pro* Cibus. Cicero *autem* Res bellica, militaris, nummaria, *&c.* *pro* Bellum, Militia, Nummus *seu* Pecunia, *&c.*

[Sic & *Vis*: ùt *Vis flammæ*, seu *flammea*, pro *Flamma*, Magna *Canum vis*, pro *multi Canes*, &c.]

24. *Ele-*

24. *Eleganter* Latini *Nomina etiam comparant per Adverbium* magís. *Vt in* Plauto, Hominem magìs asinum nunquam vidi.

[Cujus imitatione quidni dicere liceat, *Magìs Homo*, *Rex*, *Doctor*, *Miles*, &c. id est, *veriùs*, seu *meliùs*. At jocularem illam Nominum comparationem, quâ idem usus est, *O patrue mi patruissime*; & *Nullus me est hodiè Punus purior*; in i.ari non licet, nisi itidem ad jocum.]

Adnominum Idiotismi.

25. Adnomen Loci, *mutatur in suum Nomen*, *cum Præpositione* De, *vel* A. *Vt*, *Aper* sylvestris, *vel* de Sylva; *Homo* Aulicus, *vel* de Aula; Scholasticus, *vel* de Schola, *&c.* *Sic*, *Poëta* de populo, *id est*, popularis, *Ciceroni*: *Ales* ab Indis *(Ovidio) pro* Indica, *&c.*

[Ol[illegible] Etiam Præpositio omittitur, pr[illegible]rtim Poëtis. Vt in *Salustio*, Tæda [illegible] *& sulfure* (pro *è pice* & *sulfure*, seu *picea* & *sulphurea.*) Virgilio, *Ære clypeus.* Catoni, *Syracusis* Soleæ (pro *è Syracusis*, *Syracusana*) &c. *Latinissimè* igitur dicitur, *Vinum Cretâ*, *Hispaniâ*, *Hungariâ*, &c. pro *è Creta*, seu *Cretense*, &c.]

26. Adnomen *item* Loci & Temporis *permutatur* Adverbiô. *Vt in* Plauto, " *Tu* intus pateram *proferto foràs*, *pro* pateram intraneam, *seu* quæ intùs est. *Virgil.* " *Apparet* Domus intus (*id est*, interior.) *Terent.* Hinc Civis, *id est*, hujus loci. *Idem*, Interei tempus, *pro* interjectum tempus, *&c.* *Plaut.* Nunc copia, *pro* præsens copia.

[Rarum quidem hoc est: non ignorandum tamen.]

27. Adnomina Qualitatis *mutantur in suum Nomen Abstractum*, *cum Verbo* sapit, olet, *aut simili.* *Dicimus enim*, *pro* Novus, *novitatem sapit.* Barbarus, *barbariem olet (redolet:)* Rusticus, *rus refert*, &c.

28. Adjectiva partitiva *mutantur eleganter in Nomen* genus; *aut certè illud assumunt*. *Vt*, Quidam homines, *quoddam genus hominum.* Omnes *homines*, omne genus *hominum*. Nulli *homines*, nullum genus *hominum*. Quod genus *hominum*, *id est*, quales? Id genus *hominum*, *id est*, tales *homines*, &c.

Pronominum Idiotismi.

29. *Pro Interrogativo* Quis, *eleganter* Latini *utuntur* Quid, *cum Genitivo*, *Vt*, Quis *homo? aut*, quid *hominis?* Quæ res, *aut*, quid *rei?*

[Idem fit in Redditivo: ùt, *Id Hominis*, *id rei*, &c. pro *Is homo*, *ea res*, &c.]

30. *Dum quis res proprias narrat*, *utitur* Hoc; *dum ejus*, *quem alloquitur*, Istud; *dum tertii & absentis*, Illud. *Vt*, Per caput hoc

hoc juro (*dixit Numen apud* Virgilium, *caput ostendens suum.*) Sic oculos, sic *Ille* manus, sic ora gerebat; *apud eundem.*

31. Ille & Ipse *demonstrant aliquid cum laude*; Iste *cum contemtu seré.*

32. *Cùm per Pronomina duæ res monstrantur, de propiore dicitur* Hic, *de remotiori* Ille. (*Ut in* Janua *LL.* §. 170.) *Cùm verò tres,* Hic *significat præsentem,* Iste *remotiorem,* Ille *remotissimum. Ut est* Januæ §. 45. & 639. *sexies.*

33. Idem qui, & Idem ac, & Idem illi, *Latinissimè dicuntur.* Idem cum illo *autoritatem Veterum non habet.*) *Ut,*

Hesperus eadem *stella,* { quæ *Phosphorus.* / ac *Phosphorus.* / cum *Phosphoro.* / Phosphoro (*per Dativum*) *Poëticè.* }

34. *Pronomina Primitiva*, Ego, Tu, Sui, *Accusativum emphaticè geminant. Me, seu* meme: *Te,* tete: *Se,* sese.

Verborum Idiotismi.

35. *Elegantissimè* Latini *Activis quibusdam Verbis pro Passivis utuntur. Ut Cicero dixit*, Terra movet (*pro* movetur.) *Virgilius,* Venti posuêre, & Tempestas sedavit (*pro* Posuerunt se, sedata est.) *Varro,* Cùm mare turbat. *Livius*, Mores *populi Romani* mutârunt (*id est,* mutati sunt.) *Virgilius*, Præcipitat nox. *Idem,* Olim volventibus annis (Volventes anni; *non* qui volvunt, *sed* qui volvuntur.) Decollat spes, *id est,* decollatur. Vehens curru; *non* qui vehit, *sed* qui vehitur, &c.

[*N.B.*Omnibus his inesse videtur Ellipsis Pronominis *Se.*]

36. *Vice-versâ quædam Verba absoluta Activè usurpant. Ut,* Spirare *odorem:* Olere *hircum:* Sapere *rem suam* (*apud* Plautum:) Celerare *iter:* Penetrare *se aliquò:* Ruere *se,* &c.

37. *Deponentia item passionis significatu adhibent. Ut,* Adipiscor, Auxilior, Complector, Meditor, Polliceor, Testor, &c.

[Dicit enim Plautus, *Non ætate, sed ingeniô, adipiscitur sapientia.* Lucilius, *Auxiliatus est* à me. Cicero *Unô maleficiô scelera omnia complexa esse videntur.* Terentius, *Meditata mihi sunt* omnia. Metellus, *Aliis statua pollicebantur. Et* Cicero *rursus*, *Publicis literis testata sunt omnia*, &c. Verùm hæc quasi *Lexica* sunt: veniamus ad Idiotismos *Grammaticales.*]

38. *Elegan-*

38. *Eleganter* Latinè *unus quis de se loquens Pluraliter loquitur* *Vt* Cicero, Nos valemus, *id est*, Ego valeo.

[Vulgares Linguæ idem faciunt in Persona secunda, honoris ergò: sed La*tinè* sic loqui, ineptire est.]

39. Imperativus, *Indicativô ejusdem Verbi auctus, mediant* Si, *vehementiùs imperat.* *Vt in* Plauto, Bibe, si bibis.

[Ad cujus imitationem rectè dices, *Fac, si facis: Scribe, si scribis; Perge, si pergis*, &c.]

40. *Tempus Perfectum (sive Præteritum, sive Futurum)* Latinissimè *per Participium (Præteritum, vel Futurum) exprimitur, cum Verbis* Do, Reddo, Volo, Curo, Rogo. *Vt*, Dabo *tibi hoc* effectum, *pro* Efficiam: Curabo efficiendum: Volo te rogatum, *&c*

41. *Perfectè præterita actio eleganter exprimitur Supinô Passivô, cum Verbo* Habeo. *Dicere igitur licet, pro* Feci, *habeo factum*: Scripsi, *habeo scriptum*: Solvi, *habeo solutum*, &c.

[Purus putus *Germanismus* (vel *Italismus*) videri possit: sed fluit è natura rerum, éstque constructio talis *Germanis* edulium, *Latinis* condimentum.]

Idiotismus Participiorum.

42. *Participium Præsens, Verbo Præterito aut Futuro adhibitum, assumit ejusdem Temporis significationem.* *Vt apud* Martialem,

Vilior hæc nobis *aliô mittente fuisset (id est, si* alius misisset.)

Idiotismus Adverbii.

43. *Adverbiis* Loci, Temporis, *&* Copiæ, *suaviter additur Genitivus.*

[Vt, Vbi *locorum*? Vbique *terrarum*, Nusquam *gentium*, Intereà *loci*, Nunc *temporis*, Olim *seculorum*, &c. Satìs *verborum*, Terent. Abundè *fraudis*, Virg. Largiter *mercedis indipiscar*, Plaut.]

44. *Sed Adverbium* Copiæ *etiam Accusativum admittit per* Græcismum.

[*Vt* Cicero *dixit*, Satìs tempus *habet*. *Si* satìs consilium *haberem*. Ovidius *item*, Fortunam habuit satis. Apuleius *etiam*, Vinum affatim *habemus*, &c.]

45. *Adverbium mutare in Adnomen Genere Neutro (Singulariter, vel Pluraliter) suavis* Hellenismus *est*.

[Vt Singulariter: *Turbidum lætari*, Horatio. *Sursùm ferri*, Lucretio. *Magnum clamare*, Plauto. *Indoctum canere*, Horatio. Pluraliter: *Multa gemens*; *insueta rudentem*; *Terram crebra ferit*, pro *crebrò*, apud Virgilium.]

46. *Nec minùs suave, Adnomen illud relinqui in Genere, quo Persona est, Masculino, aut Fœminino.*

[Dicit enim *Virgilius*, Nec minùs Æneas *se matutinus agebat* (pro *manè*.) Idem Gregibu

Gregibus *nocturnus obambulat.* Et *Horatius,* Serus *in cœlum* redeas. Idem, *Delicta majorum* immeritus lues.]

III. De Phrasi Idiotica.

47. Idiotismus in Phrasi *est*, *quum Lingua Voces quaspiam jungit, quas Linguæ aliæ non jungunt eô sensu, aut eô modô.*

[Vt Latini, *Audire bene*, pro *Bonâ famâ esse*: *Dare verba*, pro *Decipere*, &c. *Sole orto*, pro *quum Sol esset ortus*, &c.]

48. *Prius istud dat* Idiotismum Lexicum: *posterius* Idiotismum Grammaticum.

49. Idiotismus Lexicus *est*, *ubi Phrasis reddi non potest iisdem Verbis.* Grammaticus, *ubi non eôdem Casu, Persona, Tempore*, &c.

50. *De* Idiotismis Lexicis *informationem habebis in* Lexici Introitu: Grammaticos *hìc persequemur per omnes XV. Regulas, quomodo quid* purè Grammaticè, *&* *quomodo* Idioticè Latinè, *efferatur, traditurì.*

[Juxta illud *Julii Cæsaris Scaligeri. Sæpè monui, aliud esse* Grammaticè, *aliud* Latinè *loqui.*]

Ex Regula I.

51. Grammaticè *dicimus*; Urbs Roma; Arbor Ficus, *&c.*

Latinè *magis*; Urbs Romæ, *vel* Romana: Aabor Fici *(Cic.) vel* Ficulnea. (Apuleius.) *Sicut* Livius, Arbores Abietis, *&c.*

Regula.) Appositum Nomini communi Nomen proprium poni potest in Genitivo (*juxta Regulam* II.) vel mutari in Adnomen (*ad Regulam* III.)

Ex Regula II.

52. Grammaticè *dicimus*; Terra Galliæ; Regio Thessaliæ, *&c.*

Latiniùs *autem*; Terra Gallia; Regio Thessalia, *&c. quomodo* Livius *&* Apuleius *loqui amant.*

Regula.) Græcismus est, si Nomina ejusdem rei apponantur sibi, tanquam si ejusdem rei essent, eòdem casu.

Ex Regula III.

53. Grammaticè *dicimus*, Generosa honestas: Mordax veritas: Quanta inanitas! Major serenitas, *&c.*

Latiniùs *tamen* Persius *dixit*; Generosum honestum: Mordaci *radere* Vero *auriculas*: Quantum *est in rebus* inane! *Et* Statius *item*, Majus serenum, *&c.*

Regula.) Nomen *Latinissimè* mutatur in Adnomen, effertúrque Genere Neutro.

Ex eadem.

54. Grammaticè *dicitur*, Secretus locus: Lubrica juventus:

Ultima

Ultima ſeditio : Ardui montes : Serenum cœlum : Vanus rumor; *aut* Inanis fama, *&c.*

At Latiniùs Tacitus, *& alii*; Secretum loci: Lubricum juventæ : Ultimum ſeditionis : Ardua montium : Serena cœli : Vana rumoris : Inania famæ, *&c.*

Regula) Græciſmus eſt, ſed *Latinis* auribus gratiſſimus, Adnomen mutari in Genus Neutrum, Nomen autem poni in Genitivo.]

55. Græciſmus *item*, *Adnomen mutare in Adverbium*, *Nomen in Genitivum. Ut, quum* Plautus, *pro* Larga merces, Largiter mercedis, *dicit.*

56. Hebraiſmus *autem*, *Adnomen mutare in abſtracti Nominis Genitivum. Ut quum pro*, Vir iracundus, *Vir* iræ *dicitur* (Jac. i. 20.) *&*, *pro* Spiritus lenis, *Spiritus* lenitatis (Gal. vi. 1.) *&*, *pro* Mammona iniquus, *Mammona* iniquitatis (Luc. xvi. 9.) *Et ità ſæpe in* Scripturis.

Ex Regula IV.

57. *Dicimus* Grammaticé; *Esné* par oneri ferendo? *Non ſum* ſufficiens debito ſolvendo : *Semen* idoneum ſationi ; *Charta* apta ſcriptioni, *&c.*

At Latinè *potiùs*; Esné ferendo? Non ſum ſolvendo. *Semen exoletum* non eſt ſerendo, *(apud* Plinium.) *Charta emporeutica* non eſt ſcribendo, *&c.*

Regula.) Adnomen aptitudinis eleganter omittitur, Dativíque loco Gerundium datur in *-ndo.*

Ex Regula V.

58. Grammaticè *dicitur*; Clarus genere : Hirſutus pedibus : Similis voce, colore, crinibus, *&c.*

At Latiniùs *Tacitus*, Clari genus. *Et Virgilius*, Hirſutus crura. *Et idem*, *Mercurio* ſimilis vocémque colorémque, *&* flavos crines, *&c.*

Regula) Græciſmus eſt; qui *Latinè* per *quoad*, *quantum attinet*, expletur. Ut, *Clarus* quoad *genus : Hirſutus* quantum attinet *crura*, &c.

Ex eadem.

59. Grammaticè *dicis*; *Cantharus* plenus aquâ, Vacuus vinô : Vir præſtans animô, Invictus labore, Eruditus artibus, Purus vitiis, *&c.*

At La-

At Latinius; Plenus aquæ, Vacuus vini: *Arabes* frugum pauperes; odorum divites, *(Apuleius.)* Sociorum inops, *(Tacitus.)* Rudis artium; Peritus rerum; Ignarus omnium; Præstans animi; Invictus laboris. Integer vitæ, ſceleríſque purus, *(Horat.)*

Regula.) Adnomina *Copiæ*, *Notitiæ*, *Curæ*, *Studii*, & his contraria, requirunt *Latinâ* conſtructione Ablativum, *Græcâ* Genitivum.

[*Obſ.* Ubique tamen Ellipſis eſt alicujus Ablativi, qui Genitivum illum ſecum trahat. Vt, Arabes *pauperes* (*proventu*) *frugum*; *Inops* (*à comitatu*) *ſociorum*; *Rudis* (*cognitione*) *artium*; *Purus* (*à crimine*) *ſceleris*, &c.]

Ex eadem.

60. Grammaticè *dicimus*; Dignus amore: Difficilis flexu: Largus donis: Audax ſubeündis paſſionibus: Bonus inflandis calamis, & dicendis verſibus, *&c.*

Suaviùs tamen per Infinitivum; Dignus amari: Difficilis flecti: Largus donare *(Horatius.)* Audax *omnia* perpeti *(Idem.)* Boni *convenimus ambo*, *Tu* calamos inflare, *ego* dicere verſus *(Virgil.)*

Regulâ.) *Græcâ* imitatione *Adjectiva potentiæ* Ablativum commutant Infinitivô.

Ex Regula VI.

61. Grammaticè *dicimus*; Facere ſtudeo: *Faciam*, *ut* cupias facere *ſumtum*: *Quisque* ſtudet præſtare *cæteris*. *At* Latinius *Plautus*; Ego *me* id *facere ſtudeo*. Faciam, *Tu ut* te cupias facere *ſumtum (Saluſtius.)* Omnes homines, qui *ſeſe ſtudent* præſtare cæteris:

Regula.) Verbo Perſonali finito, ſtudium ſignificanti, addere Accuſativum Pronominis, *Me*, *Te*, *Se*, mirus, rarus, ſuavis tamen *Latiniſmus* eſt.

Ex Regula VII.

62. Grammaticè *dicitur*; Disſidere ab aliquo: Differre ab alio: Arcere lupos à grege: Comitari aliquem, *&c.* Latinè *autem*; Discordat parcus avaro *(Horatio.)* Differt ſermoni ſermo *(Eidem.)* *Solus* tibi certet Amyntas *(Virgilio.)* Arcebis gravido pecori *(Eidem.)* Solſtitium pecori defendite (*Eidem.*) Voluptati *mæror comes* ſequitur (*Plauto.*) &c.

Regula.) Verbis Disſidendi, Arcendi, Pugnandi, & quibusdam motum ſignificantibus, *Græcâ* imitatione Dativus jungitur.

Ex Regula VIII.

63. Grammaticè *dices*; Abstinere ſe à placitis: Degere alicubi vitam: Solvere navim è portu: Fallere hoſtem: Occupare

cupare animum, *&c.* *At* Latina *consuetudo multa verba Activa ponit absolutè, Accusativô dissimulatô. Vt*, Abstinere placitis: Degere alicubi (*pro* habitare.) Solvere è portu (*pro* egredi.) Non fefellerunt insidiæ (dixit *Livius.*) *&*, Opinio falsa occupavit (*pro* obtinuit, *Agellius.*)

Ex Regula IX.

64. *Quatuor classium Verba, loco Ablativi, Genitivum sibi eleganter associant; sed per Ellipsin alicujus Ablativi. Verba nimirum I.* Cogitationis, Dubitationis, *&* Curæ. *II.* Copiæ *&* inopiæ. *III.* Æstimandi *&* mercandi. *IV.* Accusandi *&* damnandi, *vel* absolvendi.

65. *Dicimus enim* Grammaticè; Pendere animo, *&* Excruciari animo; Desipere mente; Falli spe, *&c.* *Sed* Latini *dicere malunt:* Pendere animi (*subintellige tamen, cogitatione;*) Excruciari animi (*scilicet, solicitudine;*) Desipere mentis (*scil. errore;*) Falli spei (*scil. opinione, vel exspectatione, vel aliud quid.*)

66. Grammaticè *dicimus:* Abundare divitiis, Egere consiliô, Implere vinô, Carere pecuniâ, *&c.* *Latiniùs tamen:* Quarum abundemus rerum, & quarum indigeamus, (*Lucilius: scil. copiâ rerum.*) *Cic.* Egere consilii (*sc. ope.*) *Virg.* Implere vini (*sc. liquore.*) *Terentius.* Carendum erat tui (*sc. præsentiâ.*)

67. *Grammaticè:* Æstimare magno, *Cicero.* Vendere plurimo, *Idem.* Valere minimo, *Vlpianus.* *Data* magno æstimas, *accepta* parvo, *Sen.* Latiniùs *tamen iidem boni Authores cum Genitivo:* Æstimare magni, *vel* parvi. Flocci facere. Nihili pendere. Nauci habere, *&c.* Quanti vendisti? tanti, pluris, minoris, *&c.*

[*Obs.* Ellipsin sic intellige, ut sit sensus integer; *Æstimare* (rem esse) *magni* (pretii.) *Facere* (rem) *flocci.* *Quanti* (pretii æstimio) hoc *emisti?* aut *vendidisti?* &c.]

68. Grammaticè *Cicero:* Accusare (*aliquem*) de veneficio. *Sed idem alibi cum Ellipsi* Condemnare crimine, (*omisso* de.) Latiniùs *verò iterum alibi cum Genitivo:* Postulare flagitii; Absolvere criminis; Condemnare Capitis; Teneri furti, *&c.*

[*Obs.* Has elegantias ut intelligas, attende. *Accusare de veneficio*, integrum est. Interponitur verò sæpè Latinis nomen *criminis:* diciturque aliquis *accusari*, (& dehinc condemnari vel absolvi) *de crimine veneficii.* Et sic emergit Ablativo sociatus Genitivus (vi Regulæ generalis secundæ) *crimen veneficii.* Tum omit-

titur *de*: ut apud Martialem *arguitur crimine pigritiæ*. Tandem ipse quoque Ablativus (*crimine*) omittitur, remanetque solus Genitivus; *Arguere pigritiæ. Accusare veneficii, Damnare sceleris*, &c.]

Ex Regula X.

69. *Quod* Grammaticus Latinus *per Gerundia & Supina eloquitur*: Ibo visum (*vel* ad visendum.) Misi quæsitum, *&c.* *hoc imitator* Græcismi *per Infinitivum effert. Vt Terent.* It visere *ad eam.* Plautus, *Parasitum* misi petere *argentum. Horatius*, Persequar frangere. Virg. *Non* venimus populare *penates, &c.*

Ex Regula XI.

70. Grammatica *communis dicit*: Cum hoc & hoc fieret (*vel* sub hoc, inter hæc, postquam, *&c.*) *quæ* Latinissime *per duos Ablativos, alterum Nominis, alterum Participii efferuntur, Vt*, Pompeio pugnante (*id est*; *cum pugnaret, in ipsa pugna.*) Pompeio victo (*postquam esset victus.*)

[*Obs.* 1. Reperias & duo Nomina sine Participio sic posita; sed per Ellipsin Participii. Vt, *Cicerone consule* (sc. res gerente.) *Me puero* (sc. existente.) Navigare *vento secundo* (adspirante;) *vento adverso* (obsistente;) *vento nullo* sc. afflante;) *&c.*

Obs. 2. Rursumque reperias Participium præteritum solum ita poni, ut consequentiam designet; Ablativus tamen Nominis alterius tacitè intelligitur. Vt, *Cæsar audito* (scil. rumore:) *nondum comperto* (scil. nuntio) *&c.*]

Ex Regula XII.

71. *Participii loco verbale Nomen* Latinissimè *adhibetur. Quomodo* Gellius *dicit*: Homo fabulator. *Et* Virg. populum latè regem, *id est*, *regnantem*, &c.

Ex Regula XIII.

72. Grammaticus *Verbo suum Adverbium jungit*: *at* Latinus mavult *Adnomen genere neutro Singulariter vel Pluraliter*: *aut etiam masculinè vel fœmininè. Exempla habes hic supra* §. 45.

[Per Hebraismum etiam (Latinis auribus non ingratum) addi potest Verbo Gerundium, actionis certitudinem denotans. Vt, *Videndo videre*, &c.]

Ex Regula XIV.

73. Latini *gaudent Præpositionum Ellipsi*: *præsertim in Nominibus* I. Temporis. II. Loci. III. Mensuræ. IV. Causæ.

I. Temporis.

Anno hoc (*id est*, *in anno hoc*) Mense Maio (*in*) die quinta (*in*) *colloquebamur* tres horas (*id est*, *per*) *vel* tribus horis (*in.*)

 II. Loci.

II. Loci.

Unde *venis?* Ex Italia, Venetiis, Mediolano, Româ, (*id est, Ex Venetiis, è Mediolano*, &c.)

Quô *ibis?* In Italiam, Venetias, Mediolanum, Romam, (*id est, in Venetias*, &c.)

Ubi *est ille? In Italia, Venetiis* (*id est, in*) Mediolani, Romæ.

[*Observa* hic 1. *Nomina Urbium & Pagorum sic ellipticè frequentius usurpari*; Regionum & Insularum rarissimè. Ut, *Navigare Cyprum (pro* in Cyprum, *dixit Livius.)* Et *Ter. Proficisci Ægyptum (id est,* in Ægyptum.)

2. Nomina *Urbium* Declinationis primæ & secundæ, numeroque singulari, usurpant Ablativi loco Genitivum, per Ellipsin duplicatam, sic, *Ubi? Roma (id est,* in Urbe Romæ.) *Mediolani (id est,* in Urbe Mediolani.)

3. *Ellipsin* hanc imitantur quinque Nomina communia: *Domus, humus, rus, bellum, militia*, non tamen per omnia. Dicimus enim solùm;

Ubi est? *Domi, humi, rure* (vel *ruri,*) *belli, militiæ.*

Unde redis? *Domo, rure*; Tolle *humo.*

Quo ibis? *Domum, rus.*]

III. Mensuræ.

Mensurarum Nomina etiam usurpantur Ellipticè, sine Præpositione. Vt,

Capua distat *Româ* { iter tridui, / itinere tridui, } (*id est*, per iter tridui; *vel*, ab itinere tridui.)

IV. Causæ.

Unde *aut* Cur, *aliquid sit, vel dicatur, etiam Ellipticè pones in Ablativo. Vt,*

Est puer ætate (*id est*, ab ætate :) Sapientiâ senex (*id est*, à sapientiâ.) *Est* Mater nomine (*id est*, à nomine :) Noverca re, *&c.*

74. *Iidem* Latini *ponunt simul Præpositiones duas, alterius Casu deficiente. Sæpè enim* Cicero; In ante *Calendas* (*id est*, in diem ante Calendas.) Ex ante diem *Nonarum* (*id est*, ex termino, qui fuit ante-) *Livius*; Ex templo *è circa Prætorem* missi ad Civitates nuntii, (*id est*, ex hominibus, qui erant circa Prætorem.) *Ità*; Seneca in *De Ira* (*id est*, in Libro *De Ira*, &c.

Ad Regulam XV.

75. *Conjunctiones duas ejusdem significationis jungi, inter* Latinorum *delicias est. Vt,*

1. *Copulativas*; Que et: Etiam et; Etiam quoque; Quoque etiam. *Dicit enim* Cicero; Apertâque & clarâ voce dicere. *Macrobius*;

crobius; Exiſtimo nonnihil ad conſuëtudinem veterum, *etiam & Prætoris*, accedere. *Plautus*; Et hoc quoque etiam. *Et Lucretius*; *Eſt etiam quoque*, ubi proprio cum lumine poſſit, *&c.*

2. *Conceſſivas :* Etſi quamvis *non fueris ſuaſor*, *approbator certè fuiſti*, *Cic.* Quanquam etſi *magnum me dixiſſet*, Apul.

3. *Ordinativas :* Pòſt, deindè, *Ter.* Deinceps indè, *Liv.* Deindè poſtea, *Vlp.* Tandem denique, *Apul.*

4. *Illativas :* Ergò igitur, *Apul.* Itaque ergò, *Ter.*

IV. Sententiarum Idiotiſmi.

76. In Sententia Idiotiſmus *eſt*, *cùm integer ſenſus ſic enuntiatur*, *quomodo in alia Lingua non poteſt.* *Vt hoc Latinum*; Memini vidiſſe, *vel* videre, *eodem ſenſû.*

[Eſt enim Sententia ſimplex, quam tamen nos reliqui non niſi compoſitè poſſumus enuntiare: Vt Anglicè. *I think, that I have ſeen him*, Germ. *Ich gedencke, daß ichs geſehen habe. Pamatugi, že ſem widel.* Hung. *Emlekeztem rea hogy lattam.*]

77. Sententia ex Paronymis *elegans eſt*, *alteri Linguæ vix imitabilis.* *Vt* : Ave Eva mater. Pontus ponte caret. Præſtat benè arare, quàm malè orare (id eſt, *eſſe bonum Ruſticum quàm malum Oratorem*, *Philoſophum*, *Eccleſiaſten*, &c.) Non benè conveniunt in una menſa, quibus non eſt una mens.

[Tenta id quâcunque linguâ, gratia peribit: quia asſonantia Vocum (Mens & Menſa, Arare & Orare, *&c.*) peribit.]

78. *Etiam* è Synonymis Sententia pulchra eſt, *ſi non otioſè*, *ſed explicativè*, *& ad rem eandem urgendum*, *adhibeantur.* *Vt Plaut.* Morè *hoc fit*, *atque* ſtultè: *(prius enim* Græcum *eſt*, *alterum* Latinum.) *Idem : Quicunque ubique ſunt*, *qui fuêre*, *quique futuri ſunt poſthac*, Stulti, ſtolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones, *ſolus ego omnes longè anteeo ſtultitiâ.* Catullus: *Si quicquam* cupidoque optantique *obtigit unquam.* *Virg.* Quadrifidasque ſudes, *&* acuto robore vallòs, *(Bis dixit idem : quia &* valli *&* ſudes *idem ſunt.)*

[Verùm hanc elegantiam aliæ quoque Linguæ imitari poſſunt.]

79. *Eſt &* tacita quædam *Euphonia* in Sententiis certis, *hujus & illius Linguæ : quæ iisdem Verbis alibi prolata gratiam aut amittit*, *aut non æquat*; *niſi quis Verba & Phraſes commutare ſciat aliis*, *ad genium Linguæ.*

 [Exem-

[Exemplo sunt *Salomonis Proverbia*, apud Hebræos emphaticissima, non item ubique apud nos cæteros.]

80. *Apud* Latinos *gratiam Sententiæ conciliat*; *si Verba monosyllaba, disyllaba, & plurisyllaba*, aptè per invicem texta sint.

[Condensatis enim *monosyllabis*, aut etiam *disyllabis*, minuta & concisa redditur Oratio: ut, *Cum hoc sis in me animo.* Et: *Ego verò tibi istam justam causam puto*, &c. licet hoc sic *Ciceroni* exciderit: *Voss.* Orat. IV. Cap. II.]

81. *In* Sententia Finali, *quod* Grammaticè *per VT* cum Verbo finito *enuntiatur*, *enuntiatur* Latinè *per* Infinitivum solum. *Ita enim* Statius: *Forsitan Ausonias* ibis frenare *cohortes (pro*, ibis, ut frenes.) Horat. *Non ego te ut Tigris* frangere persequar, *(id est*, non persequar, ut frangam) *&c.*

82. *Similiter in Sententia causali*, Quòd, cum Verbo finito, eleganter commutatur Infinitivo. *Vt Statius*, Erubuit vinci *(id est*, quòd esset victus.)

83. *Notificativa contracta*, *ad eandem personam relata*, *amittit Accusativum Pronominis*, *Accusativum verò Nominis vertit in Nominativum. Sic enim Ovidius*, rettulit Ajax esse Jovis pronepos (*id est*, *se esse Jovis pronepotem.) Et Virgilius*, -- sensit medios delatus in hostes, *(pro*, *sensit se delatum in hostes.) Et Statius.* Venturaque *rauco ore* minatur *hyems*, (minatur ventura, *id est*, se venturam.)

[Hellenismus est: vix imitari tutus, nisi in Carmine.]

84. *Quum in Sententia relativa Nomen principale non Verbo suo respondet*, *sed correlato Pronomini*, Græcismus *est*, *non infrequens* Latinis. *Vt in Terentio*; Eunuchum, quem *dedisti nobis*, *quas turbas dedit? (pro*, *Eunuchus*, *quas turbas dedit?) Virgil.* Urbem, quam *statuo*, *vestra est*, *(pro Vrbs.) Plautus*, Meam uxorem *nescis*, qualis *sit*, *(pro*, *Mea uxor.)*

V. Idiotismus Periodi.

85. *Dari hic aliquos*, *sive* Hellenismos *sive* Latinismos, *non apparet: communiter hic decurrunt Linguæ.*

VI. De Orationis puritate.

86. *Sermonis purè Latini*, *peregrinitate non inquinati*, *tres sunt leges.*

1. Cum Vernacula ne loquaris, *suspectumque tibi sit*, *quicquid nostro more dicitur*, *nisi* Latinam *consuetudinem à nostra non abire certus sis.*

2. Abstrahas potiùs à Vernacula, quantum potes: *eò te elegantiùs loqui arbitratus, quò abstraxeris longiùs.*

[*Vox, Phrasis, Sententia*, quantò Latinior, tantò nobilior.]

3. *Peregrina* ne immisceas, nisi certis de causis.

[Causas illas *Erasmus*, de *Græcanicis* speciatim verba faciens, ita recenset: Græca Latinis *in loco intermixta, non mediocrem addunt gratiam. In loco adhibentur, vel cùm* Græca *vox est significantior*, ut λογομαχία, pro *contentione sive rixa: vel, cùm est etiam brevior*, ut φίλαυτος, *pro eo, qui sibi placet: vel, cum est vehementior*, ut γυναικομανὴς, *pro mulieroso: vel cum est venustior, ut, si quis de rebus arduis, sed inutilibus, disserentem dicat, eum μετεωρολεσχεῖν, aut eum, qui sibi sapiens videatur, cùm sit stultus, appellet μωρόσοφον: (nam* Græcæ *vocis gratiam nulla* Latina *posset assequi:) aut cùm ad locum, vel dictum Auctoris alicujus, alludimus. Fit quoque interdum, ut aut longo circuitu cogamur efferre, quod sentimus, aut à* Græcis *mutuò sumere*; ut in πολυπραγμοσύνη, φιλαυτία, ἀφαμαρτοεπὴς, πολυφιλία, δυσωπία, ματαιολογία, ταυτολογία, βαττολογία, atque id genus sex millibus: de quibus fortassis aliàs nonnihil dicemus. Sunt non paucæ *Græcorum* voces, quas antiquitas *Latinitate* donavit: Iis perinde atque *Latinis* uti licebit. Ut, Rhetor & *Orator*: hypotheca & *pignus*: helleborum & *veratrum*: *fœniculum* & marathrum: sycophanta, & *calumniator*: *Trabibo*, quo usus est Apuleius, & *propino*: *mastigia*, *verbero*. Quædam ita recepta, ut desit Verbum Latinum, sicut *Philosophus*, *Theologus*, *Grammatica*, *Dialectica*, *Epigramma*. In quibus ipsis inerit nonnihil varietatis, si modò *Græcâ*, modò *Latinâ* formâ inflectantur: ut *scorpius* & *scorpio*, *elephantus* & *elephas*, *delphinus* & *delphin*, *lampas & lampada lampadæ*; Grammatica Grammaticæ, vel Grammaticè Grammatices.]

Caput IV.

TRANSPOSITIO *quid*, I. *Vocum* Transpositio in *se*, 8. & in *Phrasi* II. Phrasium in *Sententia*, 20. Sententiarum intra *se*, 32. & in *Periodo*, 50. Periodorumque in *Oratione*, 54. 1.

Transpositio *est partium Orationis alia, quàm quomodo situ naturali cohærent, locatio.*

2. *Quod si fiat aptè, quantam habeat vim, indicio est, quòd* præstantissimi quique Scriptores magis ei studuerint quàm Verborum delectui: licet hunc ædificii Oratorii fundamentum faciant.

[Exemplo allegat Vossius *Homerum*, *Platonem*, *Demosthenem*. Instit. Orat. IV. Cap. 11.]

3. Virtus *ejus est, si quod principale est in Oratione, aut inexspectatò veniens feriat; aut artificiosè dilatum magis afficiat.*

4. Vitium *triplex*: Obscuritas, Ambiguitas, Cacemphaton.

5. Obscuritatem *parit nimia trajectio*, *quam* (Hyperbaton & Synchysin, *hoc est*) *Constructionis turbationem & confusionem, vocant:*

[Ut est in illo: *Sunt oculos clari qui cernis sidera tanquam*; id est, Cernis oculos, qui sunt clari tanquam sidera. Et apud Horatium: *Penè macros arsit, dum turdos versat in igne*, hoc est, Penè arsit; dum macros turdos versat in igne.]

6. Ambiguitatem *parit inconsulta vel dolosa verborum trajectio.* [Vt *Date metum.* Distinctè si vis intelligi, inverte: *Metum date*; aut *Temetum da.*]

7. Cacemphaton *est, cùm Verborum positura insuave quid sonat. Cujus exempla* §. 31. *videbis.*

II. De Transpositione partium in Voce composita.

8. Nomen *è duobus compositum aliquando invertitur:* Publica res, *pro Respublica*; Jurandum jus, *pro Jusjurandum*, &c.

[N. Imò & aliquid illis interseritur. Vt Cicero, *Rem* verò *publicam* amisimus. Suetonius, De *Juris* quoque *Consultu*, &c. Vocant *Tmesin*, seu *Diacopen.* id est. *Sectionem*, & *Dissectionem*, Vocis.]

9. *Similis inversio, aut sectio, observatur in composito* Adnomine *&* Verbo.

[Dicit enim *Agellius*: Socrati *persuit familiaris*; pro, perfamiliaris fuit. Terentius, *I prà*, sequar. pro, *Prai.* Cicero. *Quod* judicium *cunque*; pro, *Quodcunque* judicium, Varro: *Are* hos *facias*: pro, Arefacias hos. Cic. Me certè in omnibus rebus *satis* nostræque conjunctioni amorique *facturum*, &c.]

10. *Sic* Adverbia *composita* (Antequam, Postquam, Plusquam, Magnoperè, *& similia) facundi Oratores dividunt, illisque aliquid interponunt.*

[Vt Plinius Coturnices *antè* veniunt *quàm* Grues. Et Terentius, Thais *maximo* te orat *opere*, &c.

De Transpositione Vocum in Phrasi.

11. Phrasis *Vocum duarum transponi potest bis, trium sex.*

Ex. gr. Homo petulans. 2. *Petulans homo.* 1. Homo linguæ petulantis. 2. Homo petulantis *lingua.* 3 Linguæ petulantis *homo.* 4. Linguæ homo *petulantis.* 5. Petulantis linguæ *homo.* 6. Petulantis homo *lingua.*

[N.B Toties hæc transponere, sensu invariato, auribusque propitiis, *Hungaris, Germanis, Anglis Gallis*, & si qui alii naturali constructioni nimis inhærent, impossibile: *Polonis* & *Bohemis* æquè ac *Latinis* indifferens ac elegans. Quæ causa est, quòd hi Latina pleraque serie verborum nusquam immutatâ vertere possunt; quemadmodum *Andreas Cochanovius*, toto Virgilio sic in *Polonicum* translato, ostendit.

Regulæ speciales de *Vocum* in Phrasi Transpositione.

12. *Genitivus eleganter Nomini, à quo regitur, præponitur. Vt,* Hominis ingenium. Literarum studia, *&c.*

[Obs. *Hungaris* Genitivus semper præcedit: Nominativus sine aurium læsione non potest.

13. *Adjectiva Substantivis eleganter præponuntur. Vt,* Acutum ingenium. Jucunda literarum studia.

[Obs Excipe Adjectiva partitiva, numeralia, pronominalia, quæ suaviùs postponuntur. Vt, *Virtus omnis, Vitium nullum* (2) *Viri decem, Libri duo &c* (3) *Honor meus*; *Erga Virum istum*. &c.

[N.B. *Hungaris* & *Germanis* Adjectiva nonnisi præcedunt.]

14 Vir-

14. *Verbum Nominativo suo venustè præmittitur. Vt*, Vivo ego, dicit Dominus, *&c.*

15. *Præpositiones* Cum, Sine, Contra, Penes, *suo Casui quandôque postponuntur, præsertim Poëtis.*

Vt *Mecum. Tecum. Nobiscum. Te sine. Italiam contra. Quem penes* arbitrium est. *&c.*

16. *Si Adjectivo & Substantivo* Præpositio *accedit, locatur in medio. Vt:* Quam *ob* rem? Multis *de* causis. Nulla *in* re. Vasta *per* spatia, *&c.*

17. *Inter Præpositionem & suum Casum aliquando aliquid interponitur. Vt:* Ex *animi* sententia; Per *ego vos* Deum *oro*, &c.

18. *Similiter Adjectivo & Substantivo aliæ* dictiones, *plures etiam, interponuntur. Vt*, Ingentem *ex alicujus literis præcipere* lætitiam.

19. *In præterito Formæ secundæ Verbulum* sum, es, est, *venustè à principali Verbo divellitur. Vt Diu* sum *equidem* reluctatus. Decretum *à senatu* est, *&c.*

III. De Transpositione *Phrasium* in Sententia.

20. *Trajectio* Phrasium *in Sententia est, quum* Voces *&* Phrases *aliter quàm naturali ordine locantur.*

[Ex. gr. Sententia hæc, *Desine consectari bonos linguâ petulanti*, Voces habet quinque, sed Vocum juncturas (Phrases) quatuor. 1. *Desine consectari*, per Regulam X. 2. *Consectari bonos*, per Reg. VIII. 3. *Consectari linguâ*, per Reg. IX. 4. *Linguâ petulanti*, per Reg. III. Cicero tamen omnes, præter tertiam, disjecit, quum diceret: *Desine bonos petulantissimâ consectari linguâ.*]

21. *Potest autem trajici Sententia trium Vocum sexies: quatuor Vocum quater sexies, hoc est, vicies quater: quinque Vocum (qualis hæc Ciceronis est) quinquies* 24, *id est, centies & vicies.*

[Obs. Valdè hanc *Transpositionum* fœcunditatem notabis. Nempè quod incipiendo Sententiam à *Desine*, reliquas Voces quatuor transponere potes vicies & quater: totiesque incipiendo à *Consectari*; toties à *Bonos*; toties à *Lingua*; toties denique à *Petulanti*. Cujus rei ut fiat fides, ponamus primum illud (præmittendo *Desine*) expressè, vicies quater.

1. *Desine consectari bonos* linguâ petulanti.
2. *Desine consectari* bonos petulanti linguâ,
3. *Desine consectari linguâ* petulanti bonos.
4. *Desine consectari* linguâ bonos petulanti.
5. *Desine consectari petulanti* linguâ bonos.
6. *Desine consectari* petulanti bonos linguâ.
7. *Desine bonos petulanti* consectari linguâ. (Ita Cic.)
8. *Desine bonos* petulanti linguâ consectari.

9. *Desine bonos consectari* petulanti linguâ.
10. *Desine bonos* consectari linguâ petulanti.
11. *Desine bonos linguâ* petulanti consectari.
12. *Desine bonos* linguâ consectari petulanti.
13. *Desine linguâ petulanti* consectari bonos.
14. *Desine linguâ* petulanti bonos consectari.
15. *Desine linguâ consectari* petulanti bonos.
16. *Desine linguâ* consectari bonos petulanti.
17. *Desine linguâ bonos* consectari petulanti.
18. *Desine linguâ* bonos petulanti consectari.
19. *Desine petulanti linguâ* consectari bonos.
20. *Desine petulanti* linguâ bonos consectari.
21. *Desine petulanti consectari* linguâ bonos.
22. *Desine petulanti* consectari bonos linguâ.
23. *Desine petulanti bonos* consectari linguâ
24. *Desine petulanti* bonos linguâ consectari.

[N. B. Similem trajectionem discipuli faciant incipiendo 1. à Consectari, 2. à Bonos, 3. à Lingua, 4. à Petulanti; & tantum *Transpositionum* segetem læti mirabuntur. Notabis præterea, Naturali Verborum serie solam esse primam Sententiam elegantissimè transpositam, quâ *Cicero* usus, septimam. Sed nec ingratè sonare cæteras: nisi fortè quartam excipias, & 15, 16, 17, 18, 21, 22. Intelligi tamen possunt: æquè ut *Bohemica* ac *Polonica* tantodem numero variata. Quod ægrè imitari possunt *Græci*: nullo modo *Germani, Hungari, Angli*, &c. Si fidem negant, tentent, quid hîc valeant, videbunt.]

22. N.B. *Vt autem, quæ Verborum in Sententia trajectio suavior sit, intelligas, sequentes novem notabis Regulas.*

23. *I.* Quæ voces naturaliter cohærent, jucundè paululùm ab invicem sejunguntur. *(Vt in præcedentibus vides; Sententiâ potissimùm septimâ & duodecimâ.)*

24. *II.* Sententia à Casu obliquo, vel à Verbo, aut Adverbio, elegantiùs incipit.

[Obliqui Casus hîc sunt, *Bonos* & *Linguâ*. Eleganter igitur dixeris: *Bonos petulanti linguâ consectari desine.* Aut; *Linguâ petulanti consectari bonos desine.* Cicero autem à Verbo cœpit; *Desine bonos*, &c. Adverbium hîc nullum est: si Adnomen commutes Adverbio, erit, *Petulanter linguâ consectari bonos desine.*]

25. *III.* Sententia eleganter Verbo clauditur, nisi subsit causa quædam.

[Ita proximè præcedens, Sententia vicies quater claudi potest Verbo *Desine*: quod tamen *Cicero*, ut adversarium terreret fortiùs, mox in fronte posuit.]

26. *IV.* Vocativus, sicubi occurrit, post unam & alteram voculam convenienter ponitur.

[Vt Cicero Quanquam, *Marce fili*, &c. Ego verò *Servi*, vellem, &c. Magnum omninò opus & arduum, *Brute*, conamur.]

27. *V.* In allegandis Authorum Sententiis ponitur *inquit*, vel *ait*, sed post unum vel alterum Vocabulum. [*Cicero*

[Cicero, *Ennio delector, ait*, &c. Suetonius, *Quum de supplicio admoneretur: Quam, inquit, vellem nescire literas.*]

28. *VI.* Comparativis & Superlativis terminata Sententia commendatur.

[Vt, Repentina omnia videntur *graviora*. Ne me obtundas hac de re *sæpiùs*, &c.]

29. *VII.* Vocabula cognatæ, diversæ, contrariæ-ve significationis, eleganter juxta invicem locantur.

[Vt, Gloriam, honorem, imperium, bonus & ignavus æquè sibi exoptant, Saluft. Eveniunt *digna dignis*, Plaut. *Doctus indocto* quid præstat? quod *cæco videns*. Necessitudo etiam *timidos fortes* facit.]

30. *VIII.* Duo monosyllaba juxta invicem posita, (multò magis tria vel quatuor) non sonant suaviter, sejungenda sunt.

[Vt: Colloquutus *sum cum* illo: Meliùs, colloquutus *cum* illo *sum*. Tum quòd monosyllaba, *sum*, *cum*, divelluntur; tum quòd syntacticè cohærentia, *colloquutus sum*, disjunguntur.]

31. *IX. Tandem observandum*, eò ponenda esse Verba inter se ordine, ut vitetur *Cacemphaton*: hoc est, 1. nec duriore consonantium concursu præcedentes cum sequentibus asperiùs collidantur. 2. nec vocalium plurium concursu hiatus fiat. 3. nec sensus ambiguitatem inducat. 4. nec denique ad aliquid obscœnum assonet.

[Primi exemplum erit, si dicas *Ingens strepitus*, vel *pars scripti*: Ecce *ns str*! *rs scr.*! molliùs ergò dices *strepitus ingens*, *scripti pars*.

Secundi exemplum: *Postea eó itum* est! *Vitiò eò ea* laborat. Præstabit sic; *Eò post itum est*. *Eò vitiò laborat ea*.

Tertii, si dicas: *Summa atria*: quia hoc pronuntiatum celeriter, audiri possit tanquam *summa tria*; vel continuò *Sumatria* (seu *Sumatra*) insula. Meliùs ergò dices, *Atria summa*; clarissimum enim intellectu erit. Ita *Ergône scivi?* ambiguum est. Meliùs: *Scivíne ego*? Ita parit alicubi ambiguitatem, si in quam vocalem, aut consonam, aut syllabam, vox prior desinit, in eandem incipiat sequens. Ex. gr. *Tota acus*, (ne videaris igitur dicere *Tot acus*. dic *Acus tota*) Simul *lata*, præstat, *lata simul*; Videre *Regem*, Regem videre; Sem*per per*ge, perge semper; Sem*per perp*eram agit, perperam semper agit, &c.

Quarti exemplum: Magis*ter cus*todiæ. Tolle enim à principio *magi*, & à fine *todiæ*: quid remanebit? Ergò meliùs *Custodiæ magister*.]

IV. De Transpositionibus Sententiæ compositæ, Regula generalis.

32. *Cujuslibet compositæ Sententiæ membra transponi possunt, sæpè etiam sibi invicem interseri.*

N. B. Exempla apponam per omnes species.

33. In

33. *In* Copulativa.] *Cæsar* pugnat & vincit: *dic* Pugnat *Cæsar* & vincit, *vel* Pugnat & vincit *Cæsar.*

34. *In* Disjunctiva.] Sive *hoc fuerit*, ſive *illud, acquieſcam: acquieſcam*, ſive *illud fuerit, ſive hoc : ſive hoc fuerit, acquieſcam, ſive illud.*

35. *In* Conceſſiva.] Quanquam *te redire malim, mane* tamen: *Mane*, quanquam *redire te malim.*

36. *In* Rejectiva.] Nec *vidi* nec *audivi.* Nec *audivi* nec *vidi.* Nihil *allatum eſt*, ne *rumoris* quidem: Nihil, ne *rumoris* quidem, *allatum eſt.*

37. *In* Adverſativa.] *Argentum purum eſt, habet tamen ſcorias : Scorias habet, tametſi purum argentum.*

38. *In* Comparativa.] Amicior *mihi nullus vivit*, atque *is eſt: Nullus mihi* amicior, atque *is eſt, vivit.*

39. *In* Conditionali.] Si *à nobis deficis, moleſtè* fero. *Moleſtè* fero, *ſi à nobis deficis. Vel, Moleſtè*, ſi *à nobis deficis*, fero.

40. *In* Reſtrictiva.] *Reſtitit*, quoad *potuit : vel*, Quoad *potuit, reſtitit.*

41. *In* Exceptiva.] Nihil *laboro*, niſi *ut ſalvus ſis:* Nihil, niſi *ut ſalvus ſis, laboro.*

42. *In* Notificativa.] *Gratum mihi* eſt, quòd *ad me ſcribis :* Quòd *ad me ſcribis, gratum mihi* eſt, *Cicero.*

43. *In* Relativa.] *Audivi ſermonem*, quem *cum iſto habuiſti. Inverte :* Quem *cum iſto habuiſti ſermonem, audivi.* Aut *introverte : Audivi*, quem *cum iſto habuiſti, ſermonem.*

44. Continuativæ *membra ſi transponere vis, particulæ connexivæ mutandæ erunt. Ut ſi Ciceronis illud*, Primùm eſt de honeſto, tum de utili, pòſt de comparatione rerum, diſſerendum; *transponere voles, dicendum erit*; Diſſerendum eſt de comparatione rerum, ſed prius de utili, primò autem de honeſto.

45. *In* Finali.] Rogo, ut *ad me venias:* Ut *ad me venias*, rogo. *Vel, ſuaviori adhuc trajectione, Ad me* ut *venias*, rogo.

46. *In* Cauſali.] *Ingenioſus facilè* diſcit, quia *rem citò perſpicit :* Quia *rem citò perſpicit ingenioſus, facilè* diſcit.

47. *In* Illativa.] Quia *polles ingenio*, ergò *disce*: Ergò quia *ingenio polles, disce.*

Regulæ duæ de elegantiore *Vocum* aut *Phrasium*, in Sententia ordine.

48. I. *Quoties relata connectuntur, præmittitur id, quod dignius, vel naturâ prius, est.*

[*Dicemus ergò in prosa,* Viros & fœminas, Diem ac noctem, Ortum & occasum, &c. *potiùs quàm contrà.*]

49. II. Oratio *debet in amplificando crescere, in extenuando decrescere.*

[*Dicendum proindè,* Captivavit, flagellavit, trucidavit, *si exaggeras: si negas,* Non trucidavit, non flagellavit, non captivavit. *Sed etiam citra exaggerationis aut extenuationis respectum: ut §. 42. Janua & Atrii.*]

V. Transpositio partium in PERIODO.

50. Trajectio *in periodo est, quando Sententia primaria, à qua cæteræ pendent, postponitur. Vt in illo Ciceronis:* Tunc res malè se habet, quum quod Virtute effici debet, id tentatur pecuniâ.

[*Hic enim trina est Sententia, nec ulla suo loco relicta. Nativo quippe ordine ita sese consequerentur.* 1. Quum id tentatur pecuniâ, 2. quod debet (*scil. tentari*) Virtute, 3. tunc res habet se malè.]

51. *Sonorior videtur* Periodus, *quam vox polysyllaba inchoat, & finit. Vt Cicero,* Præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quæ venientia longè antè videris.

52. *Plenum* Periodicæ Transpositionis *artificium spectatur in membris ita sibi invicem inclusis, ut membro primo respondeat ultimum, secundo penultimum, & consequenter.*

(*Exemplum habes in Janua LL. periodo 995. cujus elegans Transpositio talis erit:*

Faxit miserator noster,	*ut quoad hic sumus,*	*sanctè vivendo,*	*& quotidie cælos penetrando,*	*cælestibus annumeremur.*	*propter misericordiam suam*)

53. *Nimia Vocum, Phrasium, Sententiarúmve in Periodo* Trajectio, *obscuritatem parit, & est in vitio: nisi ad repræsentandum res valdè turbatas datâ operâ perturbatè ponatur.*

[*Vt apud* Virgilium, *Maris tempestas, & Navium disjectio, hoc verborum ordine:*

Treis notus abreptas in saxa latentia torquet:
Saxa, vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras.

Ordo naturalis foret: Quæ saxa latentia, in mediis fluctibus, Itali vocant aras.

Illustrius etiam exemplum, in trepidatione Civium capta Urbis Troja, apud eundem hoc est: ——— Juvenes fortissima frustrà

Pectora

Pectora, si vobis, audentem extrema cupido,
Certa sequi (quæ sit rebus fortuna, videtis.
Excessêre omnes, adytis arisque relictis
Dî, quibus imperium hoc steterat) succurritis Vrbi
Incensæ: Moriamur & in media arma ruamus!

Ordo verborum, ut sensus sit apertus, talis erit: Juvenes, fortissima pectora, frustra succurritis Vrbi incensæ, quia videtis, quæ sit fortuna rebus: excesserunt omnes Dii. Vnde si vobis cupido certa est, me audentem extrema sequi, ruamus in media arma, & moriamur.]

VI. De Transpositione Periodorum in Oratione.

54. *Orationis* Trajectio *est*, *quum integræ Periodi aliter quàm naturali nexu disponuntur*; *aut etiam ipsum* Exordium, Tractatio, Epilogus, *invertuntur*.

(*Atque ita, quod sequi debuit, præmittitur, prima verò reponuntur in ultimum, per Hysterologiam seu ὕστερον πρότερον. Vt si quis narret*, Quid factum sit: demumque quid antecesserit, & facto illi occasionem dederit; *interponens etiam fortè digressionem ad aliud quid*, &c.)

55. *Quod si consiliò fit*, *ad Auditores aliter atque aliter afficiendum*, Virtus Orationis est: *si Ordinis ignorantiâ, & cum disharmonia evidenti*, *vitium*.

56. *Sunt autem illustriores artificiosæ Transpositionis in Oratione species*, Gradatio, Contrapositio, *&* Interpositio.

57. Gradatio, *ubi ab opposito ad oppositum itur gradatim*: *sive scilicet à principio ad finem*, *sive contrà*.

(*Vt: si recensendo Colorum nomina incipias* ab Albo, *& desinas* in Nigrum; *aut vicissim. In recensendisque rebus gestis progrediaris à primis ad ultima, vel contrà. Ita* Christi genealogiam recenset Matthæus descendendo, Lucas ascendendo, &c.

58. Contrapositio *est*, *ubi partium dispositio fit per opposita combinata*.

(*Vt, si Colores sic recenseas*; Albus & Ater; Flavus & Cœruleus; Ruber & Viridis. *Aut si bellum describas enumerando per species partis utriusque apparatum, & actiones singulas*, &c.)

59. Interpositio *est*, *ubi aliquid mediæ Orationi* (*ex quacunque occasione*) *interseritur*, *neque cum priori neque cum posteriori essentialiter cohærens*.

(*Quod Græci παρένθεσιν vocant: ut jam è Grammatica notum.*)

60. In Gradatione speciatim observandum, ut Oratio crescat evidenter.

(*Nempè tum narrationis serie, tum argumentorum robore, tum gestuum vehementiâ, si Oratio recitatur.*)

61. *In* Contrapositione, *Vt relata verè correlatis coordinentur, quotquot fuerint.*

[*Vt* Cic.

[*Ut* Cicero. *Conferte hanc Pacem cum illo Bello; hujus Prætoris adventum, cum illius Imperatoris victoria; hujus Cohortem impuram, cum illius Exercitu invicto; hujus Libidine, cum illius Continentia: ab illo, qui cepit, conditas; ab hoc, qui constitutas accepit, captas, dicetis Syracusas.*]

62. *In* Interpositione *observandum*, *ut non sit sine usu*, 2. *neque frequens*, 3. *neque prolixa nimis*, *principalis Orationis fluxum turbans*, *aut obscurans.*

[*Quicquid aliàs horum erit, Orationem fœdabit.*]

Caput V.

TRANSMUTATIO *quid*, 1. *vitium ejus*, 3. *&* *virtus*, 4. 5 *Variatio* vocum *quadruplex*, 6. *specialis Variatio* Vocum, 11. Phrasium, 61. Sententiarum, 101. Periodorum, 117. Orationis, 118.

I.

TRansmutatio, *est partium Orationis alius pro alia*, (*aut sanè ejusdem aliâ formâ*) *usurpatio.*

[*Generaliori etiam voce dicitur* Variatio.]

2. *Laudem habet ex eo, quòd* ut creberrima est Sermonis artificibus, ita Sermonem à fastidio liberat maximè.

3. Inepta Transmutatio, *quæ elegantiæ nihil addit, tam potiùs minuit, aut perdit*, in vitio est.

[*Ut si quis duplâ negatione ubique pro affirmatione uti velit. Tametsi enim dicimus*, Non nescio, Non ignoro: *non tamen propterea dicendum*, Non non novi, non non vidi, *&c.*

4. Virtus *contrà*, sic variare, ut Varietas delectet.

5. *Regulæ itaque loco sit:* Varianda sunt *Latina*, sed *Latinè*, insuperque decorè.

[*Secùs tentantes salsè irridet* Erasmus, *his verbis:* Si quis copiam affectet, priusquam linguæ Latinæ munditiem sibi comparavit, is non minùs ridiculè fecerit, quàm si quis pauper, cui nec unica sit vestis, quam sine magno pudore possit induere, subindè mutato vestitu, aliis atque aliis pannis obsitus, in forum prodeat, ambitiosè mendicitatem suam ostentans pro opibus.]

II. Variatio Vocum in genere.

6. *Variandæ Vocis sigillatim quatuor sunt instrumenta*; 1. Synonymia. 2. Antithesis. 3. Enallage. 4. Heterosis. *Ubi nempe pro Voce datur* 1. *ejus æquipollens*, 2. *ei opposita*, 3. *alia orationis pars*, 4. *aliud vocis accidens.*

7. *Cùm ergò prò* Urbs *dicis*, Civitas; *prò* Firmamentum, Æther, *&c. varias per Synonymiam.*

8. *Cùm, pro* Bonus, Non malus; *pro* Vigilare, non Dormire, *&c. varias per Antithesin.*

9. *Cùm*

9. *Cùm pro* Homines, *dicis* Mortales; *pro* Scientia *tuâ*, Scire *tuum*, &c. *varias per Enallagen.*

10. *Cùm pro* Architectus, *dicis* Architecton; *pro* Fabricare, Fabricari; *pro* Facilè, Faciliter, *&c. varias per Heterosin.*

Specialis Variatio NOMINIS.

11. *Cùm pro* Æneas, *dicitur Priamides: pro* David, *Isaides: pro* Aristoteles, *Stagirita: pro* Hippocrates, *senex Cous: pro* Horatius, *Poëta Venusinus*, &c. *commutatur ibi Nomen personæ proprium in Patronymicum: quò persona à patre (ut hîc prima duo) vel à patria (ut reliqua) denominatur.*

12. *Cùm* persona, *aut* res, *binominis vel trinominis est, jam hoc jam illo nomine uti, variare erit. Vt,* Terra *vel* Tellus. Odera (*fluvius*) *vel* Viadrus. Byzantium *vel* Constantinopolis. *Marcus Tullius Cicero: jam Tullius nominetur, jam Cicero,* &c.

13. *Cùm pro* Homines *vulgò dicimus* Mortales: *pro* lavare se aquâ, *abluere se* limpidâ. Virgilius *tamen pro* Equus Sonipes, *&c. commutatur ibi Nomen Adnomini.*

(*Quod potissimùm procedit, quando* Adnomen *illius rei proprietatem ita exprimit, ut res sic agnominata, perindè ac si nominata esset, intelligatur.*)

14. *Cùm pro* Scientia tua *Poëta dixit* Scire tuum, *mutavit* Nomen Verbo: *quod imitatu facilè est, cùm* Infinitivus Verbi quasi semi-Nomen *sit. Dices igitur pro,* Mendicitas *res misera est*; Mendicare *miserum est*, &c.

15. *Cùm* Lucretius *pro* Medici, Medentes *dixit, permutavit* Nomen *Verbi vicini* Participio. *Imitare, si vis, & dic,* Currentes, Ludentes, Disputantes, *&c. Pro,* Cursores, Lusores, Disputatores, *&c.*

16. *Cùm* Plinius *dicit* Punctus, *&* Horatius, Punctum; *variant idem Nomen per diversum genus. Omnia proindè diversæ terminationis, generis, & declinationis Nomina sic variare licet, ut jam hoc jam illo genere, aut declinatione, usurpes. Ex. gr.* Pile-us, *vel* -um; Avariti-a, *vel* -es; Nigr-or, *vel* -édo, -i-tudo, -itia, -ities; *Festum* Pasch-æ, *vel* -atos, *&c.*

17. *Variare quoque licet Casuum terminationem, si diversa datur. Vt, Conscendere* navem, *vel* navim, Hoc fine, *vel* hac fini, *&c.*

18. *Si*

18. *Si quando purè* Græca *(emphaseos causâ) adhibentur ; etiam purè* Græco *casu usurpari elegantia est. Ut, Lues hæreseōn, pro hæresium. Amethodias lutum, pro Amethodiæ*, &c.

19. *Quædam* Nomina *singulariter poni possunt vel pluraliter, eodem sensu. Ut, Conscribere* Milites, *vel* Militem. *Dicant nunc* Philosophi : *vel, Dicat* Philosophus, *&c.*

20. *Diminutivo uti, primitivi locô, integrum est, quoties aptè potest. Ut*, Ne digitulo *quidem eum tetigi. In* Civitatula *nostra. Si quid in* Vireculis *meis situm erit*, &c.

[*Obs. utimur autem aptè diminutis.* 1. *Veritatis gratiâ, ubi res ipsa minuta est : ut* Domuncula. 2. *Modestiæ causâ, ubi nostra extenuamus* : Domuncula mea. 3. *Adulando :* Mi fratercule, meum corculum. 4 *Contemnendo : Iste* homuncio, Medicaster.]

21. *Quia Plautus jocosè*, Frustum pueri, *pro*, parvus puer, *dixit : quidni hujus imitatione* Frustum hominis, Frustum Philosophi, Frustum Medici, Frustum Nobilis, *&c. dicere, eoque diminutionem variare liceat ?*

22. *Nomine proprio compellari à superiore honoris est, ab inferiore contemtûs : præsertim in officio & dignitate constitutum. Hinc* Lydus *apud Plautum de discipulo queritur:* Non Pædagogum jam me, sed Lydum, vocat.

[*Vide & in sacris*, 2. *Sam.* 20.1. *&* 1 *Reg.* 12. 16. *exempla, variandique hac parte decorum disce.*]

Specialis Variatio ADNOMINUM.

23. *Dic* Celeri *cursu, vel* celerante; Tardo *gradu, vel* tardante ; Pura *latinitas, vel* depurata, *&c.*

(*Nam si* Adnomen *ex se* Verbum *parit (quod Lexica ostendunt) hujus* Participium *cum* Adnomine *primitivo permutari patitur.* (2) *Imò idem erit, si* Participium Verbi *diversi, sed significationis vicinæ, sumimus : ut* Ignavus, *seu* Tergiversans. (3) *Quod si* Verbum *illud* Nomen Verbale *habet, etiam hoc pro æquivalente sumi potest. Ut*

Tardus, *vel* tardans, *vel* tardator.
Cessabundus, cessans, cessator.
Ignavus, Tergiversans, tergiversator.

24. *Dic* Fortunatus, *vel* Fortunæ filius; Monstrosus, *vel* monstrum hominis, *&c.*

[Omne enim *Adnomen* nominale commutari potest Nomini suo, mutato in Genitivum, aut trahenti Genitivum. *Tententur exempla, procedet ubique. Ut* Scholasticus, Scholæ filius, *vel* alumnus, civis, membrum. *aut quicquid addi quadrabit.* Pestilens doctrina ; Pestis doctrinæ. Robustus Vir : Robur Viri, *&c*]

25. *Dic*, Irreparabilis, *aut*, qui reparari non poteſt; *vel*, qui non eſt, ut reparari queat.

(*Verbale enim in* bilis *mutatur in Infinitivum paſſivum, cum* poteſt; *vel*, non eſt, ut poſſit.)

26. Adnomen Loci, *mutatur in Nomen loci, cum Præpoſitione: ut, Homo* Aſianus, *vel* de Aſia, *&c.*

(*Vide ſuprà, Cap.* 3. *Sect.* 25, 26, 27, 28. *Huc enim quoque ſpectat idiotica illa quadruplex Adnominis Variatio.*)

27. *Adnomina Copiæ & Numeri per nomina* copia, vis, nubes, nimbus, examen, turba, exercitus, &c. *exprimitur, cum rei multæ Genitivo.*

(*Ut* Vis aquæ, *aqua multa, Virg.* Vis canum, *id eſt, canes multi, idem.* Nubes peditum, *Liv.* (*& Hebr.* 12.1. nubes teſtium) Piſcium examina, *Plin.* Exercitus corvorum. Turba negotiorum, *&c.*

28. *Dic*: Hilaris *vel* hilarus *vir*: Acer *vel* acris *equus*, &c.

[*Adnomen enim terminationis ambiguæ utravis efferri poteſt. Quæ autem illa ſint, Lexica oſtendunt.*]

Specialis Variatio Poſitivi.

29. *Pro* Valetudo imbecillis, *dic, ſi placet*, imbecillior.

[*Poſitivi enim loco eleganter uſurpamus Comparativum, ſi rem blandè, & quaſi extenuatè proferre libet. Videtur autem Ellipſis eſſe, & aliquid ſubintelligi. Ut: Erat* triſtior (*ſcil.* Solitò) *Fuit* commotior (quàm deceat, *&c.*) *Elegantia tamen in eo eſt, ut nihil apponas.*]

Specialis Comparativi Variatio.

30. *Pro* Felicior aliis, *dices*, Felix præ aliis; non tam felices *alii ac ille*; Felicior ante alios: *vel*, Felicitate ſuperior aliis, ſuperat *(anteit)* alios, inferior nemine, cedit *nemini*, præſtat *aliis*, *nemo illi comparari poteſt*, &c. *felicitate.*

[*Hoc eſt*, Comparativus permutari poteſt 1. Poſitivo, *cum* præ, *vel* magis (*dicit enim Cicero*, Beatus præ nobis: *& Vergilius, Aſpice, num* mage *ſit noſtrum* penetrabile *ferrum*) *Item*, non tam, quam, vel ac. 2. Comparativo *Poetæ jungunt* Ante: *ut Virg. ſcelere* ante alios immanior *omnes, id eſt, omnibus immanior.* 3. *Mutatur Comparativus in* Nomen abſtractum, poniturque in Ablativo, *cum ſuperior, inferior; aut cum Verbis*, præſtat, anteit, antefertur, non cedit. *Vel denique negatio additur: Ciceronem eloquentiâ ſuperat nemo; aut, nemo illi comparari poteſt*, &c.

Specialis Variatio Superlativi.

31. *Pro* Feliciſſimus omnium, *dic per Poſitivum*; Nimiùm (*aut* valdè, admodum, plusquam) felix; Feliciter felix: 2. *vel per Comparativum*, Felicior omnibus, nemo illo felicior, nihil felicius, &c. 3. *vel mutato Genetivo Superlativi in Præpoſitionem*

Ante,

Ante, de, ex, inter, Felicissimus ante omnes, ex omnibus, *&c.* *vel addito Genitivo Positivi :* Felicium felicissimus.

[*Omnia* Latinissimè. *Dicit enim Virgilius*, Felicis nimiùm, *Agricolas, bona si sua nôrint. Et Plautus :* Miserè miser, Parcè parcus (*Quidni ergo etiam*, Piè pius, doctè doctus, *&c.*) *Virg.* Ante alios *pulcherrimus. Cic.* Acerrimus ex omnibus *sensibus* Visus. *Plin. Herba* inter primas utilissima, *&c.*

Specialis Variatio PRONOMINIS.

32. *Eleganter quandoque Pronominis loco Nomen ipsum usurpamus. Vt Cicero*, Terentiæ salutem : *pro*, Ego tibi.

[*Sic idem alibi* : Omnia Ciceronis tibi patent, *pro* omnia mea.]

33. *Pronomen personæ, de qua loqui cœpimus, eleganter aliquando in* Homo, Vir, Fœmina, *mutatur. Vt*, Nôsti hominem ? (*pro*, Nôsti illum ?) Vidistine Virum ? *Terentius.*

34, *Interrogativum Pronomen Nomini suo additum, mutari potest in genus neutrum, Nomen verò in Genitivum* ; Quis homo ? *vel* quid hominis ?

[*Idiotismus est. Vide Cap. III. Sect.* 29.]

Variatio VERBORUM.

35. *Si quod Verbum diversæ Conjugationis fuerit, aut in eadem Conjugatione utraque Forma (sensu eodem) conjugari patitur, utere, utro lubet.*

[*Vt*, Accers-eri, *vel*-ire. Lacryma-re, *vel*-ri. Partire, *vel* -ri, *&c.*]

36. *Præteriti tertiam personam pluralem (in Forma prima) jam per* -érunt, *jam per* -êre, *efferre licet : ut*, Amav-érunt, *vel*-êre.

[Historicis *posterior terminatio usitatior est.*]

37. *Sic in secunda Forma omnes secundæ personæ singulares, per* -ris, *vel* -re, *efferuntur*. Ama-ris, *vel* -âre : Am-eris, *vel* ère : Amab-aris, *vel* âre. Amab-eris, *vel*-ere, *&c.*

38. *Omne Verbum, cui cognatæ significationis Nomen vel Adnomen est, mutari potest in illud ipsum, cum assumto Verbo alio. Ita pro*, Vivere *dicere licet*, Vitâ frui, Vitam ducere, In vita esse : *seu*, inter vivos agere, *&c.*

39. *Sicut Nomen diminutum quandoque pro suo primitivo eleganter ponitur, ita & Verbum diminutum : aut, si hoc defuerit, frequentativum. Vt*, Cantillare *Psalmos.* Dictitavit *nuntius te venturum*, &c. (*pro Cantare, Dixit.*)

De Infinitivo.

40. Infinitivus præsens *eleganter mutatur* in præteritum. *Ut apud Ovidium*, liceat delituiſſe, *pro*, delitére, *&c.*

[*Videri poſsit metri neceſsitate hoc fieri. Sed & in proſa dixit Gellius:* ſatis poteſt fidei feciſſe (*pro facere*) *& Seneca*: potuiſſem audiſſe.]

De Imperativo.

41. *Quadruplex eſt*: 1. *Propriè dictus, in Conjugationis characterem deſinens*; Da, Doce, Lege, Audi: 2. *Exacutus per additum* -to; Dato, doceto, legito, audito: 3. *Factus è Subjunctivo præſenti*, Des, doceas, *&c.* 4. *Ex Indicativi futuro*; Dabis, docebis, *&c.* *Utere igitur, quò placet, & res poſcit.*

[*Obſervato tamen decoro. Deſinens enim in* -to, *&* tote, *verè imperium & mandata redolet: eoque in Legibus & teſtamentis adhibetur. Ut Cic.* Pater familiâs uti ſuper familia pecuniáve ſua legaverit, ita jus eſto. 2. *E Subjunctivo factus mollius imperat, & exigentiam quandam innuit. Ut* Eas, *vel* Facias; *id eſt, opus eſt, res flagitat, volo, vel rogo, ut eas*, &c. 3. *Molliſsimè per Indicativum futurum*: Ibis, facies, *&c.* *Innuit enim confidentiam, quòd ſit ultrò facturus.*]

Variatio Indicativi & Subjunctivi,

Per Enallagen Temporum, Perſonarum, *&c.*

42. *In præteritæ rei narratione præſens uſurpatur eleganter. Ut apud Terentium*, Accedo *ad pediſequas, quæ ſit* rogo, (*pro*, Acceſſi, rogavi.)

43. Hiſtorici (*præterea*) *Loco Indicativi præteriti ponunt Infinitivum præſentem. Ut*, Invidere omnes mihi, mordere clanculum; *pro*, invidebant, *mordebant.*

[*Videtur Ellipſis eſſe verbi,* cœperunt.]

44. Futuri ſimplicis *Variatio fit* 1. *per futurum perfectum*; 2. *per Participium futurum*; 3. *per Infinitivum præſentem cum alio Verbo futurè poſito.*

(*Ut Pro.* Dum vivam, *dicere poteris, Quàm diu* vixero: *quoad* victurus ſum: *quam diu* vivere dabitur, *vel fata* ſinent, *&c.*)

45. *Perſona ſecunda eleganter mutatur in tertiam: Ut*, Audi Domine: *vel* Audiat Dominus, *&c.*

46. *Contra fit, quum ſecunda ſingularis pro quavis alia (ſingulari vel plurali) uſurpatur. Ut*, Neſcias, quò te vertas; *id eſt*, Neſciat quis, *quò ſe vertat*; *vel*, Neſcio, *quò me vertam*; neſcimus, *quò nos*, &c.

Specialis Variatio Participii.

47. *Omne Participium reſolvitur in Verbum ſuum, cum Pronomine re-*

ne relativo. Vt Mittens, *qui mittit*; Missurus, *qui mittet*; Mittendus, *quem mittent*; Missus, *quem miserunt, seu misit aliquis*, &c.

48. *Participium habens vicinæ significationis Adnomen, admittit illud sui loco. Ideò Virgilius,* Fulgura coruſca, *pro coruscantia, dixit: &* Ora sibila, *pro sibilantia*; *Plinius*, Concha gnara *se peti, pro sciens. Et de Castore: ob ea* ſe peti prudens, *id est, providens, seu prospectans.*

Variatio ADVERBII.

49. Adverbium quodvis eleganter mutatur *trifariam*, 1. in Adnomen *suum*: 2. in Nomen *abstractum*, *cum Præpositione*: 3. in Verbum: *ut*,

1. Raro, *vel* frequenter { *adest: vel, rarus, frequens.* / *adsunt: vel, rari, frequentes.* }

2. Verè, *vel* ex Veritate (*in Veritate.*) Partim, *seu* ex parte. Summatim, *vel*, in summa, *&c.*

3. Iterum *promittere*; Iterare *promissa*.
Continuò *currere*; Continuare *cursum*.
Perpetuò *vivere*; Perpetuare *vitam*, &c.

50. Adverbium Loci & Temporis *mutatur in Nomen* Loci *&* Temporis *cum Pronomine. Vt,*

Ubi? *quo in loco?* Quando? *quo tempore?* Hîc: *hoc loco.* Alibi, *alio loco* (*alia in Domo, urbe, regione*, &c.)

51. Adverbium Temporis *seorsim mutatur in Adnomen suum, assumtóque Nomine ponitur in Ablativo. Vt,* Heri, *hesternâ die.* Cras, *crastinâ luce.* Modò, *modernis temporibus*, &c.

52. *Adverbium Intendendi tolli potest; si Adnomen gemines. Vt Prov.*XX. 14. Malum *est*, malum, *dicit omnis emens*; *id est*, admodùm malum. *Ita Lipsius*; Lætum, *mihi* lætum *fers nuntium*; *id est*, valdè lætum, *&c.*

53. Adverbium Qualitatis *mutatur in* Adnomen suum, *vel* Nomen Abstractum.

54. *In Adnomen mutatum, assumit Nomen* Modus, ratio, mos, consuetudo; *aut particulare* Nomen instrumenti, *quo talis actio peragitur: ponitúrque utrumque in Ablativo. Vt,* Dignè, *seu digno modo.*

modo. Sapienter, *ſapienti ratione.* Græcè, *Græco more, ſeu Græcâ conſuetudine*, &c. *Et*, Vigilanter, *vigilanti oculo.* Attentè, *attentâ mente.* Celeriter (*ſcribere, currere*, &c.) *celeri manu, pede*, &c.

[*Obſ. Priora etiam admittunt Accuſativum cum* Ad *vel* In. *Ad Græcorum morem, Mirum in modum*, &c.]

55. *Mutatum in Nomen abſtractum, ponitur cum alio Adnomine, aut Præpoſitione, in Ablativo. Vt, Sapienter, Sapientiâ ſummâ, vel, in Sapientia*, &c.

56. Adverbium cauſale (Cur, Quare) *mutatur in Pronomen* Quid: *aut hoc ante ſe cum Verbo ſubſtantivo præmittit. Vt*, Cur *triſtis es?* Quid *tam triſtis es?* Quid eſt, cur *tam triſtis es?*

57. *Adverbium comparabile mutat eleganter Poſitivum in Comparativum. Vt* Terentius, *Acceſſit ad flammam* imprudentiùs (*pro, imprudenter. Vide ſuprà* §. 29.)

58. *Adnomen comparatum rei maximè tali, parit ex ſe Adverbium ſimiliter comparatum. Vt quia dicimus*, Rore denſiores guttæ: *etiam licet* Rore denſiùs cadunt. *Quia* Ventô velocior, *etiam* Ventô velociùs, *&c.*

Variatio particularum.

59. *Præpoſitionum frequens eſt mutatio, alius in aliam: ut quod pro* Poſt cœnam, *dicimus* à cœna, *&c.*

[*Verùm hæc Lexica ſunt: ibi talia quære.*]

60. *Similis eſt Conjunctionum ratio. Vt quòd pro* Et, *uſurpamus* Juxta &, æquè ac, pariter atque, *&c.* (*Videantur ibidem.*)

61. *Interjectio dolentis*, Heu, *vel* Eheu! *& abominantis* Phuy, *mutantur in* malum, nefandum, indignum, *&c.*

62. *Adjectio* ali, *in voculis quibusdam, poſt Verbum, aut particulas* ſi, niſi, ſive, ne, cum, quando, *&c. elegantiùs omittitur. Vt*, Si quid, ſi quando, ſicubi, *&c.* Nequid, nequis, necubi, nequando, *&c.* (*pro*, ſi aliquid, ſi aliquando, *&c.*)

63. -cunque, *aliquando à voce ſua avellitur, aliquando in eam ipſam vocem, cui jungitur, mutatur. Prioris exemplum:* Quo *me* cunque, *fata vocant*, &c. *Poſterioris:* Quoquo, Quiſquis, Quantuſquantus, Ubiubi, *&c.* (*pro, Quocunque, Quiſcunque, Quantuſcunque, ubicunque*, &c.)

64. -nam,

64. -nam, *aliquando Voci suæ præjungitur. Vt Virgilius*, Nam-quis *te juvenum confidentissime, nostras Jussit adire domos?* (*pro*, Quisnam.)

III. Variatio Phrasium,

In Regula I.

65. *Observabis, Nomen Nomini apponi, eadem de re, triplici causâ.* Primò, *cùm Nomen commune determinandum est proprio; aut proprium illustrandum communi. Vt*, Urbs Londinum, Fluvius Tamesis: *vel*, Londinum Urbs, Tamesis fluvius. Secundò, *cùm à Nomine ambiguo removenda est ambiguitas: ut*, Lupus *piscis*, Cancer *sidus*; (*Datur enim etiam* Lupus *fera*, *&* Cancer *animal, item morbus.*) Tertiò, *cùm proprietas rei unius tribuenda est alteri per similitudinem: ut*, Homo lupus, *id est, rapax ut lupus.*

66. *Ac proindè Nomen appositum* (*Græcè* epitheton) *triplex esse*; specificativum, limitativum, declarativum.

67. *Specificativum mutari potest Genitivo, vel Adnomini: & sic Phrasis migrabit à Reg. I. ad II. vel III. Vt*, Urbs Londini, *vel* Londinensis. Fluvius Tamesis (*per Genit.*) *vel* Tamesinus, (*ad imitationem* Virgilii, *qui* Tyberim, flumen Tyberinum *vocat* 10. *Æneid.*)

[*Vide suprà III. Sect.* 51.]

68. *Limitativum itidem quandoque in Genitivum transit, non semper. Dicimus enim* Sidus Cancer *vel* Cancri: *non dicimus* Piscis Lupi, *&c.*

69. Declarativum epitheton *mutatur in Adnomen: assumtoque alio Nominat. ponitur in Genitivo, vel Ablativo. Vt*, Homo lupus: *homo* lupinæ rapacitatis (*vel* indolis,) *aut*, lupinâ rapacitate, *&c.*

In Regula II.

70. *Genitivus, significans* totum, *vel* effectorem, *vel* possessorem, *eleganter mutatur in Adnomen. Vt*, *Manus* Hominis, *vel* humana. *Epistola* Ciceronis, *vel* Ciceroniana. *Prædium* Tullii, *vel* Tullianum.

(*Ita dices*. *Porta* Civitatis, *vel* Civica: *Domus* Senatûs, *vel* Senatoria; *Judex* Provinciæ, *vel* Provincialis, *&c.*

71. *Si nomen Genitivum regens fuerit* locus, tempus, occasio,

 pote-

potestas, facultas, *aut aliquid simile : Nomen autem rectum mutari queat in Verbum, erit Genitivi loco Gerundium in* -di : *Vt,*

Tempus { *cœnæ.* / *cœnandi.* *Locus* { *prælii.* / *præliandi.*

Occasio { *beneficii.* / *benefaciendi,* &c.

72. *Si Nomen regens significat* affectum, *Pronomen illi adjunctum passivè ponetur in Genitivo, activè, in Proadnomine possessivo. Vt,*

Amor { mei, *quô me alius amat.* / meus, *quô ego alium.*

Odium { nostri, *quô nos alii oderunt.* / nostrum, *quô nos alios.*

[*Ita* Desiderium, Cupiditas, Dilectio, Tædium, *&c. Dantur tamen in contrarium exempla.*]

73. *Nomen Verbale in* -io, *Genitivi loco admittit Casum, quem regit Verbum suum. Vt* Cicero, *Justitia est* obtemperatio legibus, (*pro* legum.) *Et Plautus, Quid tibi* hanc rem curatio *est ?* (*pro, hujus rei.*)

[*Sed Archaismus non facilè imitandus.*]

Ex Regula III.

74. *Elegans hîc Variatio est trina :* 1. *Cùm Nomen & Adnomen diverso aut numero, aut genere, aut casu, ponuntur.* 2. *Cùm Adnomen mutatur in Nomen.* 3. *Cùm Phrasis simplex transformatur in compositam.*

75. Heterôsis Numeri *est :* 1. *Cùm Nomini collectivo singulari Adnomen additur singulare vel plurale.* Ut : *Hostium* pars occisa, *vel* occisi ; 2. *aut Adnomini collectivo Nomen singulare vel plurale. Vt :* Uterque Legat-us, *vel* -i. *Honoratissimus* quisquis missus, *aut* missi ; *ut Livius habet.*

76. Heterôsis Generis *est, cùm Adnomen respiciens aliud Nomen, subintellectum, illi sese accommodat. Vt,* Sola Bubo (*apud* Virgil. *id est,* sola avis *Bubo.*) Elephantus gravida (*id est, Elephantus fœmina.*) Lugdunum tua (*scil.* Urbs.) Fœmina malum (*hoc est,* malum quiddam. *Quomodo expressit* Seneca *dicens ; Altum quiddam, excelsum, & regale, est Virtus.*)

77. Hete-

77. Hetorôsis Casûs *erit, si Adnomini partitivo Nomen suum apponas in Genitivo : dicendo,* Pauci homin-es, *vel* -um : Paucis homin-ibus, *vel* -um. *Sic,* Multi, Quidam, Nulli, *&c.*

[*Obs. Accipiuntur autem partitivè etiam alia. Ut, apud Plinium,* Graviores alitum : Adolescentiores apum. Degeneres canum. Nigræ lanarum. Ovorum oblonga. Animalium *noxia,* apud *Tacitum.* Præcipui libertorum, apud *Apuleium.* Antiqui Philosophorum. Idonei Græcorum, *&c.*

78. *Adnomina quædam scitè mutantur in Nomina, Nomine altero in Genitivum verso. Dicere enim licet, pro,* Multi sapientes, *multitudo sapientum.* Elegantes literæ, *elegantia literarum,* &c.

79. *Si Adnomini aliud Nomen, ostendens, quâ parte res talis sit, à tergo appendere placet, prodibit illorum Variatio quadruplex elegans. Poni enim poterit utrumque in Genitivo vel Ablativo, aut Nomen saltem in Ablativo, vel per Græcismum in Accusativo.* Ut,

Vir { *magnus.* 1. *magni animi* (*vel corporis,* &c.) 2. *magno animo.* 3. *magnus animo.* 4. *magnus animum : & sic ubique.*

Ex Regula IV.

80. *Aptitudinis Adnomina patiuntur Dativum commutari in Accusativum cum* Ad ; *item in Infinitivum, vel Gerundium cum* Ad. *ut,*

Calcei habiles { pedibus, *vel* Ad pedes. indui, *vel* Ad induendum.

Ex Regula V.

81. *Ablativus hujus Phraseos variatur quinque modis.* Primò, *per Græcismum mutatur in Accusativum: ut* Hilaris vultu, *vel* vultum. Tristis mente, *vel* mentem. *Syrus* patriâ, *vel* patriam, *&c.* (*Vide Cap. III.* §. 58.)

82. Secundò, *per Ellipsin mutatur in Genitivum. Ut,* Dives opum, Rudis rerum, Avidus cibi, Memor mortis, *&c.*

[*Obs.* 1. *Talem Genitivum recipiunt potissimùm Adnomina, quæ* Copiam, Notitiam, Desiderium, Curam, Metum *significant, aut contrà. Vide Cap. III. Sect.* 59. 2. *Loquutione illa, per Genitivum, Poëtica sunt potius quàm Oratoria. Poëta enim dicit,* Integer animi ; *Orator,* integer animo. 3. *Quædam tamen etiam in Prosa* tantùm cum Genitivo *reperiuntur : ut* Compos, Impos, Consors, Exsors. Expers, Particeps, Fertilis, Largus Prodigus. 4. *Quædam Genitivum neque Poëticè admittunt : ut* Gravis, Mancus, Præditus, Turgidus. 5. *Quædam insuper Præpositione* A *gaudent : ut* Vacuus laboris, *vel* A labore. *Ita* Inops & Nudus.]

83. Tertiò, *Adnomine Desiderii, Notitiæ & Facilitatis, admit-*

tunt

tunt Infinitivum. Ut, Cupidus discendi, *vel* discere. Peritus juris legumque, *Horatius*. Peritus definiendi, *Cicero*. Peritus scientiâ *bellandi*, *Hirc*. Peritus cantare, *Virgil*. Facile dictu, *vel* dici, *&c*.

84. *Quartò*, Adnomina quantitatis *admittunt* (*præter Ablativum & Genitivum*) *Accusativum quoque mensuræ*, *Ut*;

Longus { *tribus* pedibus. / *trium* pedum (*sc. mensurâ* 3. *pedum.*) / *tres* pedes (*id est, ad tres pedes.*) }

85. *Quintò*, Adnomen licentiæ, facultatis, usûs, *admittit* (*præter Ablativum Supini*) *Accusativum Gerundii*, *cum* Ad; *vel Infinitivum*. Ut,

Fas, *difficile*, *utile* { *cogitatu*, / *ad cogitandum*, / *cogitare.* }

[*Sic* Jucundus spectatu, *vel* adspectandum, *vel* spectari. *Sed* Dignus amore, amari, qui ametur.]

Ex Regula VI.

86. *Nominativus ante Verbum finitum commutari potest*, *quoties commodè potest*, *Infinitivo*. Ut *Cicero* : Credere, *periculosum est*, (*pro* Credulitas.) Cogitare, *viro erudito vivere est*, (*pro* Cogitatio, *seu Studium.*) Legere & non intelligere, *negligere est* (*Dionysius Cato.*) &c.

(*Imitare, quoties libet, dicendo* Sapientia, *vel Sapere: Studium, studere. Somnus, vel dormire*, &c.

87. *Sic & Verbum finitum permutare licet Infinitivo*, *quoties aliud* Verbum (*significans* Velle, scire, posse, debere, solere, licere, libére, dignari, *& simile quid*) *addere libet*. Ut : *Meditatio vita eruditorum* est (*seu* esse *debet*, *solet*, &c.) *Semper* studet (studere *dicitur.*) Scribam (scribere *cogito.*) *&c*.

[*Obs. Sed & sine addititiò illo Verbo ipsum principale Verbum usurpatur in Infinitivo, si præteritum aliquid narratur. Ut apud Terentium*, Facilè perferre omnes (*sc. poterat seu perferebat.*) *Vide supra, Sect.* 43.]

88. *Nomini collectivo sive addas Verbum singulare*, *sive plurale*, *non intererit*. Ut, Populus tumultuatur, *vel* tumultuantur.

[*Obs. Suaviùs tamen plurale sonat. Ut Ovid. Quò* ruitis *generosa* Domus? *Apul. Tanta* multitudo *ad audiendum* convenistis. *Idem:* Nos Platonica familia *nihil* novimus *nisi festum & lætum*, &c.]

89. *Nomi-*

89. *Nomina non individuum, sed genus, significantia, ponuntur singulariter vel pluraliter : ut*, Elephantus parit (*vel* Elephanti pariunt) *decimo anno.*

Ex Regula VII.

90. *Dativus quandoque commutari potest alio casu, vi Præpositionis.* Ut, *Loqui* alicui, *vel* ad aliquem, *&c.*

Ex Regula VIII.

91. *Muta, si placet, Activa Passivis :* Ducere aliquem; duci ab aliquo, *&c.*

92. *Intransitivis junge, jam nihil, jam Accusativum, jam Ablativum : ut*, Dormire *suaviter*; *&*, *Dormire* somnum suavem, *vel* somnô suavi.

93. *Verbum Activum muta in Nomen actoris, & Accusativum in Dativum.* Ducam te : *Dux ero tibi.* Hortatus fuit illum, *Hortator extitit illi*, &c.

94. *Verbum verò Activum, commodum aut incommodum significans, mutatur in Nomen significans idem commodum aut incommodum, poniturque Accusativi loco Dativus geminus.* Ut,

Hoc { *delectat me :* delectamento *est* mihi.
solatur te : solatio *sit* tibi.
impediet illum : impedimento *erit illi.* }

95. *Idem Verbum Activum mutatum in vicinæ significationis Nomen, adhiberi potest eidem rei cum Verbo* Afficere. *Ut*, Honorare *aliquem*; honore afficere. Benefacere *alicui*; beneficio *illum* afficere. Occidere; morte afficere, *&c.*

(*N. B. Eodem ferè sensu Verbum Confero usurpatur : sed in bonam tantùm partem, & cum Dativo vel Accusativo. Ut*

Conferre { alicui / in aliquem } *honorem, beneficium*, &c.

96. *Loco Accusativi subindè poni potest Infinitivus.* Ut *Plautus, Hic* perdidit Vereri (*pro* Verecundiam.) *Terentius, Jussi ei* dare bibere (*pro*, Potum.) *Salustius, Avaritia, superbiam, crudelitatem, Deos* negligere, *Omnia* venalia habere, *docuit*, &c.

97. *Verba Activa Gerundivè prolata tametsi duriter admittant Accusativum : quia tamen optimi Authores admiserunt, non insuave*

repute-

reputetur loco suo. Ut *cùm Cicero pro*, Iterare habeo eadem, *dixit*, Iterandum eadem est mihi (*usitatiùs dixisset* Iteranda sunt eadem.)

(*N. B. Virgilius Latinissimum Græcismo junxit, dicens :* ---*alia* arma *Latinis*. (Quærenda *aut* Pacem *Trojano à Rege* petendum.)

Ex Regula IX.

98. *Nomen Verbale causam significans mutatur (quoties licet) in æquipollens Verbale, aut in Participium : ut si dicas,*

Facere aliquid suasu *alterius :* suasione *alienâ :* suadente *aliô.*

[Obs. *Quomodo Regulæ hujus constructio varietur idioticè, habes Cap. III. Sect. 64.* &c.

Ex Regula X.

99. *Infinitivus Verbo finito additus, eleganter mutatur in,* 1. *Accusativum,* 2. *Participium,* 3. *Cognatum nomen,* 4. *Gerundium.* Ut,

1. *Scit* numerare : *vel* numeros. 2. *Video* venire: *vel* venientem. 3. *Tu debes* indicare : *vel tua est* indicatio. 4. *Potésne* solvere : *vel ésne* solvendo.

Ex Regula XV.

100. *Similem Phrasin habe pro simili casu, jungereque Phrases æquipollentes non trepidabis.*

[*Ex. gr. Quia* Columella *dixit*; *Bos* amplissimi corporis, cerviceque validâ, *hoc est, copulavit binum Genitivum bino Ablativo, juxta Regulam hic Sect.* 79. (1, 2.) *quidni tu ex proximè variata Phrasi dicas, Disce* numerare & cantum. *Non possum onus* tolerare. *nec sum* ferendo, *&c.*

IV. Variatio Sententiarum.

101. *Sententiam variandi generalis ratio triplex est. Transmutando,* 1. Voces singulas, 2. Phrases singulas, 3. *demumque* Sententiam, *ut* Sententia *est.*

102. Verba Sententiæ *variabis per* Synonymiam, Antithesin, Enallagen, Heterosin. Vide §. *6.*

[*Ex. gr. proximè antegressam :* Non possum onus hoc tolerare: *dic* 1. Nequeo sarcinam istam bajulare; 2. Non possum non succumbere huic oneri; 3. Bajulatio ista humeris meis impossibilis est; 4. Non possem oneri sufficere.]

103. Phrases Sententiæ *variabis, mutatô*, 1. Nominativo *in quemvis alium casum :* 2. Verbo *in quamvis aliam personam, numerum, tempus, modum, formam :* 3. Vocabulis *aliis, si adsunt, aliter itidem positis.*

[*Ex. gr.* 1. Ego *non possum :* Mei *non est roboris* (*mearum virium*) Mihi *durum est :* Me *impossibile est :* A me *frustrà requiratur* (*adde ubique* hoc onus ferre.)

2. Quis queat *hoc onus ferre?* (*tertia persona pro prima*) Non possumus-Non potero-Non possem-Non potest, *hoc onus à me* ferri, *&c.*

3. Et

3. *Et quia præter Nominativum* Ego *Accusativus adest* Onus *& præter principale Verbum* Posse, *aliud adest* Tolerare :) *etiam ista secundaria per casus, tempora & modos, variare licet. Ex, gr.* Onus *hoc intolerabile est mihi* : Oneris *hujus moles vires excedit meas* : Oneri *huic impar sum* : Onere *isto inferiores sunt vires meæ* : Tolerare *onus hoc nequeo* : Tolerabóne? *vix.* Toleret, *qui potest* : Toleratu *grave est*, &c. *Vidésne infinitam variandi segetem?*]

104. *Sententiam, ut Sententia est, variare, est facere* 1. Ex affirmativa negativam, & contrà, *aut* dubiam. 2. Ex simplici compositam, & viceversa, *aut* contractam. 3. Ex quavis composita, quamvis compositam.

[*Primi exemplum sit.* Sarcinam istam gestare potero : *Sarcinam istam* non gestare non potero : *gestare* fortè potero ; *aut gestare tentabo*, &c.

Secundi. 1. Sarcinam istam & tollere & gestare potero, *Copulativa est.* 2. Onus hoc, aut aliud non impar, ferre potero, *Disjunctiva.* 3. Est quidem onus hoc grave satis, viribus tamen fido meis, *Concessiva.* 4. Nec *onus hoc*, nec *aliud majus*, *reformido*, *Rejectiva.* 5. Non alii, sed huic *oneri humeros subjicere paratus sum*, *Adversativa.* 6. *Ferre* malo quàm non *ferre, imponite!* *Comparativa.* 7. Si ferendum est, feram : *vel* si nemo ferre vult, huc date, *Conditionalis.* 8. *Feram*, modò ut ne aliud, *Exceptiva.* 9. Feram, quàm diu potero, *Restrictiva.* 10. *Sarcinam hanc* quòd ferre possim (*per crasin*, ferre me posse) facto ostendam, *Notificativa.* 11. *Sarcinam meam*, quæ ad me spectat, *ferre meum est*, *Relativa.* 12. *Onus meum* tollam, deindè *feram, perferam* denique, *Ordinativa.* 13. *Onus hoc*, quia vires non recusant, *feram*, *Causalis.* 14. Vt ne videar ignavus, *feram, Finalis.* 15. *Ferre possum*, feram *igitur*, *illativa.*

Tertii generis exempla exercitium ostendet. Si enim hæc nostra (Sarcinam istam gestare potero) *omnes formulas recipere potuit, quidni quævis alia composita, in quamvis aliam compositam, mutari possit? Poterit spondeo : industria discentium industriæ subveniat docentium. Ostendam id vel unico hoc exemplo.* Horatius *dicit* : Et prodesse volunt, & delectare, Poëtæ. *Composita* Copulativa est : *quam quidni transformare liceat?* 1. *in* Disjunctivam : *Aut prodesse, aut delectare volunt Poëtæ, aut utrumque.* 2. Concessivam : *Etiamsi pulchrum sit delectare lectorem, Poëta tamen delectando etiam prodesse quærunt.* 3. Rejectivam : *Nec scire prodesse carminibus, nec delectare, mali Poëtæ nota est.* 4. Adversativam : *Est quidem Poëta, quisquis carmina condit : at non bonus, qui non bona*, &c. 5. Comparativam : *Plus est prodesse quàm delectare : sed plus iterum, posse utrumque id junctim, quàm alterutrum duntaxat*, &c. *& sic ordine. Infinita Variationis ecce patet campus! modò omnia Verbis & Phrasibus exprimantur verè Latinis, eleganti structurâ & positurâ ornatis.*]

105. *Specialem* Sententiarum Variationem *ex ipsa quoque Grammatica Januali disces, si Exceptiones à Regulis attendas.*

[Moneberis enim, an à communi loquendi formula recedere, hîc aut illîc detur.]

106. *Specialissimæ verò* Sententiarum Variationes *disci possunt ex Libro* Erasmi *de Copia prima, ubi mirè felix Elegantiarum artifex varias congessit formulas.*

[*Ex. gr. Variandi* Copulativam, *Capite XXXIV, & XXXVII.* Concessivam, *XXXV* : Rejectivam, *XXXVI* : Adversativam, *XXXVIII.* Comparativam XXXIX.

XXXIX: Notificativam, *LX*. Relativam, *XXVI*. Continuativam, *LII:* Finalem, *LVIII:* Causalem, *LIX*.]

107. Periodus *variatur, si membra, è quibus constat (id est, sententiæ) varientur.*

[*Ut in illo Ciceronis,* Me ratio in hanc sententiam ducit, ut existimem Sapientiam sine Eloquentia parum prodesse: Eloquentiam verò sine Sapientia nimium obesse, prodesse nunquam: *tres sunt sententiæ, quarum prima secundæ cohæret* Causaliter, *tertia verò secundæ* Adversativè. *Copula, si libet, per alia vincula, prodibit alia Periodi facies. Ex. gr. Comparativè & Relative:* Non tantùm prodest Sapientia sine Eloquentia, quantum obest Eloquentia sine Sapientia: id quod me ratio docuit & experientia, *&c.*]

108. *Oratio variata ex variatis Verbis, Phrasibus, Sententiis & Periodis, exsurgit: inprimis tamen, si* Orationi des aliud Exordium, vel Propositionem, vel Argumenta (probantia & illustrantia,) vel Epilogum.

[*Sive illa ex toto alia, sive ex parte, aliâ solùm facie tecta, Oratio tamen alia videbitur. Et quidem elegantior, si tuæ inventiones & ornamenta fuerint rariora & comptiora.*]

CAPUT VI.

TRANSNOMINATIO *quid,* 1. Translatio significationis in Verbo dicitur *Tropus,* 11. in Phrasi *Semiadagium,* 41. in Sententia *Adagium,* 46. in Periodo *Allegoria,* 56. in Oratione *Parabola,* 62.

I.

TRansnominatio, *est Rerum, quas dicere volumus,* Verbis *ab aliis rebus mutuatis expressio: ut aliud dicatur, aliud intelligatur.*

2. Estque vel in Verbis singulis, *quando rem alio quàm nativo suo appello nomine. Ex. gr. Si de homine astuto loquens dicam,* Vulpes. *Vocant* TROPUM.

3. Vel in Phrasi, *quum altera Phraseos vox à propria significatione transfertur aliò. Ut si virum heroicum appellem* columen Patriæ, *(Columen enim propriè tectum sustinet, non Patriam:) aut Virum eruditione clarum,* Literarum sidus *(Sidus enim propriè in cœlo est.) Vocetur* SEMIADAGIUM.

4. Vel in Sententia, *quum aliquid de re sua pronuntiatum propriè, adhibetur ad innuendum alind quid translatè. Ex. gr.* Ferrum, dum calet, cudendum est: *id est, Occasione præsente utendum. Vocamus* ADAGIUM, *seu* Proverbium.

5. Vel

5. Vel in Periodo, *quum plures Sententiæ aliud sonantes, aliudque menti repræsentantes, conglobantur. Ut quum* Philippus Macedoniæ *Rex, Græcos compellans, diceret:* Videre se consurgentem in *Italia* nubem; trucis & cruenti belli, tonantemque ac fulminantem ab occasu procellam: quam in quascunque Terrarum partes victoriæ tempestas detulerit, magno cruoris imbre omnia fœdaturam. *Apud Justinum lib.* 29. id est, *videre se bellum à* Romanis *illatum iri* Græcis. *Vocamus* ALLEGORIAM.

6. Vel in tota Oratione, *quum historia quæpiam ficta recitatur, ut aliud quid non fictum elegantiùs exprimatur. Ut quum* Davidi Nathan *factum turpe* (de Homine divite, pauperculo vicino oviculam eripiente & mactante) *narraret, aliud autem intelligeret. Appellamus PARABOLAM; aut etiam* Apologum, *&* Fabulam.

7. *Vendicat autem sibi inter omnia Sermonis ornamenta primas* Translatio: *quia* nihil est, quod Rebus & Orationi plus afferat luminis, eâdemque operâ & mentes ad Sapientiam formet, & aures suavitate demulceat.

[*Usque adeò, ut quicquid usquam ingeniosum, aut elegans, in tota Literatura habetur, illud potissimum ab* Allusionum, Troporum, Adagiorum, Allegoriarum, Parabolarumque *suavitate veniat.*]

8. Virtus *Translationis est singularis* Emphasis: *quâ mutuatitiis verbis plus dicitur, quàm diceretur propriis.*

[*Plus enim dixisse videberis, si dixeris,* Accensus irâ, *quàm si,* iratus: *Plato* Philosophorum Deus, *plus quàm,* Philosophorum primus, *&c.*]

9. Vitium *Translationis dicitur* Catachrésis (Abusio,) *hoc est, nimis dura Translatio.*

[*Sive in* Tropo *illa fuerit, sive in* Adagio, *sive in Parabola.*]

10. *Quasi vitium & quasi virtus, est* Hyperbole (Exaggeratio:) *& opposita illi* Miosis (Extenuatio,) *Translationis scil. excessus, nimis audacter & incredibiliter rem augens, aut minuens.*

[*Ut si pro,* Mons est altissimus: *dicas:* Montis cacumen cœlum tangit. *Aut rursum si quis* Montes *appellet* Verrucas. *Notabis, nimiam* Hyperbolen *&* Miosin, *in vitio haberi, moderatam in virtute.* Incredibilia enim ideò tantùm affirmat, ut credibilia persuadeat: veritatemque ideò solùm nimis extendit aut extenuat, ut ad verum mendacio veniat, *inquit Seneca.*]

II. Transnominatio Rerum per Voces singulas, dat TROPUM.

11. Tropus *est, quum Rei cuicunque loco appellationis propriæ*

datur

datur aliena: sive rei 1. similis, 2. *sive* contrariæ, 3. *sive* diversæ. *Vt, si pro* Tu stupide, *dicam*, 1. *Tu* Asine; *vel* 2. *tu* Aquila; *vel* 3. *tu* Mida, *&c.*

[*Obs. Tropum* necessitas genuit, (*Verborum scilicet alicubi defectus*) delectatio & jucunditas celebravit.]

12. Est autem *Tropus* quadruplex: *sed oritur ex trino rerum ad invicem respectu*, identitate, diversitate, & contrarietate.

13. *Dum enim rerum* similium *inter se permutantur Nomina*, *aut Verba*, *METAPHORA est*: *dum* oppositarum, *IRONIA*: *dum* diversarum, *duplex nascitur Tropus*, *SYNECDOCHE & METONYMIA.*

14. *Aut enim res internè cohærentes nomina permutant*, *ut* Totum & Pars, *diciturque SYNECDOCHE*: *aut externè & accidentaliter, ut* Causa & Effectum, Subjectum & Adjunctum, Antecedens & Consequens, *dicitur METONYMIA.*

15. *METAPHORA est*, *cùm vox alienæ significationis transfertur ad propositum nostrum ob rei similitudinem.*

(*Vt si animi mei angorem exprimere Velim* Metaphoricè, *assumam vocem rei, quæ urgere solet pedem, illapsa calceo, nempè* scrupuli: *eritque* scrupulus animi: *item* Eximere scrupulum ex animo; liberare aliquem scrupulo, *&c. Vel dicam, à spina sumptâ Metaphorâ*, Hoc pungit animum meum.

Obs. Metaphora nihil aliud est, quàm contracta Comparatio, *quando res similes citra similitudinis notam copulantur. Vt quum loco hujus*, Iste est stupidus tanquam Asinus, *brevius dico*, est Asinus. *Item loco hujus:* quod est pedi viatoris scrupulus, hoc est animo solicitudo: *brevius*, Animi scrupulus.)

16. Patet ergò *Metaphora* tam latè; quam rerum similitudo, quæ se ad omnia extendit.

[*Vt enim nihil est in tota rerum universitate, quod non alicui sit simile, ita nihil quoque est, à quo non ducere liceat* Metaphoram. *Ex. gr.* Hominem appellare potes *suo loco*, Deum, Angelum, Diabolum, Solem, Florem, Bullam, Lapidem, Lupum, Vulpem, &c. *Et hominem*, Fluctuare, Repere, Volare, Latrare, Ululare, *&c.* Omne enim tale adhiberi potest ad significandum tale.]

17. Virtus *Metaphoræ*, *est illustris &* Emphatica *significatio*, *ut*, Homo umbra umbræ. Vitium *contrà*, *inepta Translatio*: *qualis Quintiliano visa*, *quòd Cato* Collem *dixisset* Verrucam.

18. *IRONIA* (*Latinè* Irrisio) *est*, *cùm vox rei contrariæ ad significandum hoc*, *quod volumus*, *adhibetur. Vt*, Bone vir, *pro* nequam. Cato *vel* Salomo, *pro stolido.* Ulciscar *beneficium*, *id est*, *redhostiam.*

[*Obs.*

[*Obs.* est contracta quædam *Antithesis, seu Oppositio.* Heus bone vir, id est, heus tu, qui non facis, quod virum bonum decet.]

19. *SYNECDOCHE* (Comprehensio) *est*, *cùm* 1. Totum exprimitur nomine Partis: *aut* 2. Genus nomine Speciei; vel 3. *contrà.*

Ut 1. *Gen.* 46. 27. *Septuaginta* animæ, *id est*, homines; *seu personæ.* *Exod.* 16. 16. *per singula* Capita, *id est*, personas. 1 *Cor.* 1. 29. *Ne glorietur omnis* caro, *id est*, homo. 2. 2 *Sam.* 19. 4. *Respondit* Rex, *id est*, David. *Ita loquitur* Philosophus; *id est*, Plato. 3. Abraham *vivit adhuc*, *id est*, Anima *ejus.* *Non omnes sumus* Platones, *id est*, Philosophi.

[*Obs.* Nihil aliud est *Synecdoche*, quàm occultus quidam *Merismus: ubi, nominatâ Parte unâ, intelliguntur reliqua, hoc est, ipsum Totum: aut nomine Totius indito Parti, declaratur, cujus rei pars sit res illa.*]

20. *METONYMIA* (Transnominatio) *est*, *cùm* Causa *ponitur pro* Effectu, *vel* Subjectum *pro* Adjuncto; *vel* Antecedens *pro* Consequente: *aut contrà.*

21. *Sex itaque sunt Metonymiæ Species: Metonymia* 1. Causæ, 2. Effecti, 3. Subjecti, 4. Adjuncti, 5. Antecedentis, 6. Consequentis.

22. Metonymia Causæ *est*, *cùm nominatur* 1. Efficiens, *& intelligitur Effectum.* 2. *Aut* Finis, *& intelligitur ad finem* Medium. 3. *Aut* Materia, *& intelligitur* Materiatum. 4. *Aut* Forma; *& intelligitur* Formatum.

Ut 1. *Legere* Virgilium, *id est*, librum *à Virgilio scriptum.* 2. *Legere* Serta, *id est*, Flores *qui serviant Sertis.* *Statuere* Exemplum, *id est*, Pœnam, *quæ sit exemplo.* 3. *Grassari* ferro; *id est*; gladio *ferreo.* 4. *Percutere* acie *gladii*, *id est*, acuto *gladio.*

23. Metonymia Effecti *est*, *cùm nominatur* 1. Effectum, *& intelligitur* Efficiens. 2. Medium ad finem, *& intelligitur ipse* Finis. 3. Materiatum, *& intelligitur* Materia. 4. Formatum, *& intelligitur* Forma.

Ut, 1. Mors *in olla*, *id est*, venenum mortiferum. 2. *Amore* studiorum, *id est*, sapientiæ. 3. Metalla *eruere fodinis*; *id est*; terram metallicam. 4. Globus *facilè volvitur*; *id est*, globositas, *seu rotunditas.*

D 24. Meto-

24. Metonymia Subjecti est, *cùm nominatur* 1. continens, *&* *intelligitur* res contenta. 2. Possidens, *&* *intelligitur* res possessa. 3. *signatum*, *&* *intelligitur* signum.

Ut 1. *Haurire* pocula, *id est*, vinum *in poculis*. 2. *Jam ardet* Ucalegon, *id est*, domus Ucalegontis. 3. Fœdus *est in corpore*, *id est*, signum fœderis *circumcisio*.

25. Metonymia Adjuncti *est*, *cùm nominatur* 1. Contentum, *&* *intelligitur* Continens. 2. Possessum, *&* *intelligitur* Possessor. 3. Signum, *&* *intelligitur res* signata.

Ut 1. *Arabes petrosi*, *id est*, Arabia petrosa. 2. *Domus Israël*, *id est*, populus Israëliticus. *Hodiè salus huic* domui *contigit*. *Luc.* 19. *id est*, Zacchæo *&* *familiæ suæ*. 3. *Veneranda* canities, *id est*, senilis ætas, *cujus signum sunt cani*.

26. Metonymia Antecedentis *est*, *cùm nominatur*, *quod præcessit*, *&* *intelligitur ejus Consequens*; Ut, *Vixit*, id est, *Mortuus est* (*q. d. desiit vivere*.

27. Metonymia Consequentis *est*, *cùm nominatur*, *quod secutum est*, *intelligitúrque* Antecedens; ut, *vivit post* funera *virtus*, *id est*, *post* mortem; *Mors enim funerationem antecedit*, *&* *fama virtutis ejus manet*, *sive is funeratus sit*, *sive non*.

[Obs. *Nihil ergo aliud est Metonymia*, *quàm* Periphrasis *contracta*. Nam, *Cedo Virgilium*; quid est, nisi, *Cedo librum*, *quem scripsit Virgilius*? *Ambiguo Marte pugnare*: quid, nisi pugnando uti ambiguâ, à pari hinc & hinc fortitudine veniente, fortunâ?]

Observatio de Tropis omnibus.

28. *Fit quandoque*, *ut una eademque vox plures* Tropos *sustineat*: *quod* Troporum *Syndromen* (*Concursum*) *&* Metalepsin *vocant*.

[*Ut cùm* Virgilius *dicit*: Post aliquot, mea regna videns mirabor, aristas: *in voce* aristas, *quadruplex latet* Tropus. *Sumit enim*: 1. aristas *pro* spicis, *per* Synecdochen *partis*: *est enim arista spica pars*. 2. Spicas *pro* Messibus, *per* Metonymiam *materiæ*: *spicæ enim dant messi materiam*. 3. Messes *pro* æstatibus, *per* Metonymiam *adjuncti*: *æstate enim fit messis*. 4. Æstates *pro* annis, *per* Synecdochen *partis*: *est enim æstas pars anni*. *Sensus ergo est*: Post aliquot annos, videns mea regna, mirabor.]

Specialis Translatio NOMINUM.

29. *Nomen commune mutari potest in proprium*, *illius personæ aut rei*, *quæ maxima talis est*, *ut fuit* (*per Synecdochen speciei*.)

Dicere

Dicere ergo licet, pro eximio { *Oratore*, Cicero — *Apostolo*, Paulus. / *Poëta*, Virgilius. — *Milite*, Achilles. / *Propheta*, Jesaias, — *&c*. }

30. *Rursum autem Nomen proprium, personæ aut rei excellenter talis, mutari potest in commune: per* Synecdochen Generis. *Dices perindé: Ita canit* Poëta: *scil.* Virgilius, *vel alius summæ authoritatis. Sic ait* Comicus, *id est*, Plautus. *Ab* Urbe *condita*, *id est*, Roma.

31. *Nomen* Virtutis *aut* Vitii *eleganter mutatur (Stylo gentile) in nomen cognati Dei, Deæve: dices igitur pro* Bello, Mars; *pro* propriis viribus, proprio Marte: *pro* Artes *colendæ sunt*, Musæ (*Artium inventrices:*) *pro* Ingenio, *Minerva*: *pro* Pulchritudine, *Gratia*, *aut Venus*, &c.

32. Nomen loci, *eleganter ponitur pro* Incolis, *per* Metonymiam Subjecti. *Ut Cicero: Testis est* Italia, *testis* Sicilia, *testis* Africa, *testis* Hispania: Itali, Siculi, *&c*.)

33. *Quodvis Nomen mutari potest in Genitivum, cum addito aliquo ejus proprio accidente: per* Metonymiam Adjuncti. *Ut*, Virtus Catonis (*Horat.*) *pro* Cato. Forma Junonis (*Ovid.*) *pro* Juno, *&c*.

[*Dices ergo, pro* Time Deum, *Time* Dei *iram, vel vindictam, judicium, &c.* Reverere Angelos, *vel* Angelorum *præsentiam. Vides* Solem? Solis *fulgorem.* Mundus, Mundi *machina.* Terra, Terræ *Orbis.* Nox, Noctis *tempus, &c.*]

Specialis Translatio ADNOMINUM.

34. Adnomina numeralia *exprimuntur eleganter* (*præsertim Poëtis*) *aut* 1. resolvendo numerum compositum in simplicem; 2. *aut* nominando rem numerum illum habentem: *per* Synecdochen, *vel* Metonymiam.

1. Ut *Virgilius* Bis septem. (*id est*, 14.) Bis deni. (*id est, viginti*) Septima post decimam (*scil. dies, id est*, 17.) Alter ab undecimo (*scil. annus: nempè duodecimus.*) 2. *Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis* (*id est, tres.*) *Rari quippe boni: vix sunt totidem* quot Thebarum Portæ, *vel divitis ostia Nili* (*id est*, 7) *&c. Dices igitur pro*, Duo *amici*: Par *amicorum, seu* Biga *amicorum* (*Plautus etiam dixit*: Totidem sunt, quot ego & tu sumus.) 3. Quot in Triangulo anguli. 4. Quot sunt Orbis plagæ. 5. Quot numeras manus tuæ dextræ digitos. 6. Quot pedibus gradiuntur Apes; & Versus *Homeri*; *quotque horis pelagus profluit & refluit.* 7. Heptas amicorum: quot errabunda sidera coelo. 8. Bis quaterna. 9. Ter trina. 10. Quot utraque manus digitos habet. 11. Sex & quinque, &c. 30. Nondum *Saturni* revolutionem absolvit; (*id est, nondum complevit annos* 30.)

 35. Quar-

35. Quantitatis & Qualitatis *Adnomen eleganter mutatur per* Metaphoram, *in Nomen rei, quæ maximè talis est: sive naturâ, sive arte, sive casu, relata in historias.*

36. *E Natura desumuntur Nomina, pro Adnominibus usurpanda, si dicas*

pro { *res magna*, Montes. *res parva*, Pulveres. *rei illustris*, Sol dies. *bonus Oeconomus*, Formica, *vel* Apis. *otiosus*, Cicada, Fucus, *&c.* *ignavo*, Asinus. *Versipelle*, Vulpes, &c.

[Ergò Eloquentiæ studioso Naturalia discenda sunt.]

37. *Ex arte itidem desumuntur nonnulla: ut si dicas:*

pro { *Acutus*, Novacula. *Sonorus*, Tuba. *Suavis*, Saccharum. *Garrulus*, Crepitaculum, *&c.*

[*Ergò Artificialia non ignoranda.*]

38. *Ex Historicis mutuari licet plurima, dicereque*

pro { *Sapiente*, Salomo. *stulto*, Corœbus. *divite*, Crœsus. *paupere*, Irus. *molli*, Sardanapalus. *crudeli*, Phalaris. *superbo*, Tarquinius, *&c.*

[Ergò Historiæ observandæ, taliaque colligenda. *N. B. Ex consuetudine* Plauti *talia aquè ut Adjectiva comparari possunt pereleganter: Ipso* Phalaride Phalaridior: *ipso* Tarquinio Tarquinior: *ipso* Plauto Plautinior, *id est, facetior.*]

39. *Superlatio tropica fit per Hyperbolen, modis decem:*

1. *Si illud, quod maximè tale est, æquare dicatur. Ut*, Salomoni non cedit *sapientiâ.* Cum ipso melle certat *dulcedine*, *Fulget ut Sol*, &c.

2. *Si dicatur esse illud ipsum maximè tale, Ipse* Salomon est, *(id est, sapientissimus.)* Ipsum mel est. *Ipse Sol*, &c.

3. *Si illi quoque ipsi maximè tali præferatur:* Salomone sapientior, Corœbo stultior, Ipso melle dulcior, Candidior nive, Pice atrior, Sole fulgidior, *&c. Vel sic:* Mel non est mel, si cum tua conferatur epistola, *(aut*, Quovis melle mellitior *est epistola tua.) Arabia petræa non est petræa, si cum Succia conferatur*, &c.

4. *Si contrarium ejus, quod laudare, aut vituperare, instituis, de omnibus aliis enuntietur. Ut si pro* Sapientissima sunt consilia Dei, *dicas, Stulta sunt omnia consilia, si cum Divinis conferantur.* Nauseæ sunt omnia, præ literis tuis. Planities sunt omnes terræ, si cum *Helvetia* conferantur, *&c. Huc illud Poëtæ:*

Ille sapit solus, reliqui velut umbra vagantur. [*Huc*

[*Hinc illud* Terentii, Nihil ad nostram hanc, *sc. comparare potest formâ.* *Et* Plauti, Ad sapientiam hujus *ipse Thales Milesius nimius* nugator fuit, &c.]

5. *Si quid etiam maximè talibus præferatur. Vt*, Dulcissimo dulcior, Optimo melior, Pessimo pejor, Stultissimo stultior, *&c.*

6. *Si superlatis etiam superferatur. Vt*, Dulcissimorum dulcissimus, Optimorum optimus, *&c.*

7. *Si Superlativus commutetur Nomini abstracto. Vt*, Est ipsa sapientia, dulcedo, bonitas, *&c. rusticissimus, merum* Rus : *martialis, ipse* Mars, *&c.*

8. *Si etiam illi suo abstracto præferatur.* Ut, *Ipsa* Sapientiâ sapientior, ipsâ infantiâ infantior, Dulcedine dulcior, *&c.* ipso áuro magis aurea vasa.

9. *Si quid abstractis suis, aut maximè talibus, per Genitivum pluralem præferatur. Vt si dicas* Salomo Salomonum (*id est, Sapientissimus inter sapientissimos.*) Rex Regum (*id est, inter Reges potentissimus.*) Nebulo nebulonum (*id est, inter Nebulones nequissimus.*) &c.

10. *Tandem, si quid etiam sibi ipsi præferatur. Vt*, Seipso major: seipsum superans, *&c.*

Specialis Translatio Verborum.

40. *Tralatitia Verbi* Variatio *itidem fit per quatuor Tropos.*

Ut, *si pro* Vivit adhuc, *dicas* 1. *per Metaphoram*, Viget, viretque, *ab Arbore sumptâ similitudine : vel à Sole mutuatâ*, Adhuc splendet, *&c.* 2. *vel per Ironiam*, Adhuc moritur, *alludendo ad vitæ præsentis mortalitatem.* 3. *vel per Synecdochen Generis*, Adhuc est (*nam esse generalius est quàm vivere.*(*Aut per Synecdochen Partis*, Adhuc spirat, currit, ratiocinatur, *&c.* (*istæ enim actiones partes sunt Vitæ.*) 4. *vel per Metonymiam Causæ :* Adhuc illi favet Deus, *vitæ fons* ; Adhuc illi Parcæ parcunt. Adhuc vescitur pane, *alimentis, quibus sustentatur vita*, &c. *Et per Metonymiam Antecedentis*, Nondum valedixit Mundo ; *quod morituri solent : vel Consequentis*, Nondum sepultus est ; Nondum illi parentavimus (*quod mortuis fit;*) *& sic pro lubitu : in infinitam enim* Varietatem *ista diduci possunt.*

III. *Transnominatio Rerum in* Vocum Combinatione.

41. Semiadagiorum *fons hîc scaturit: ubi Res rei, & Vox voci, propter aliquam* similitudinis, *aut* diversitatis, *aut* contrarietatis *respectum, tribuitur. Res exemplis patescet.*

Regula I.

42. *Res duæ de se invicem dicuntur propter aliquem Tropum.* Ut,
Homo flos, *umbra, somnium, &c. per* Metaphoram.
Homo Deus; *per* Ironiam *dicitur*, *Gen.* 3, 22.
Homo caro; *per* Synecdochen *partis*, *Gen.* 6. 3.
Homo pulvis; *per* Metonymiam *materiæ*, *Gen.* 3. 19.

Regula II.

43. Metaphora *hîc regnat, ubi simile cum suo simili sic ponitur, ut assimilans ponatur primariò, assimilatum verò illi attexatur in Genitivo.*

[*Ut quia per Regulam I. dici potuit*, Homo umbra, Ira ignis, Amor flamma, Gloria fumus, Ecclesia vinea, Verbum Dei gladius: (*quia ut Gladius in defensionem sui datur ab hoste externo; ita Verbum Dei ab hoste animæ. &c.*) *hic per Genitivum dices* Umbra hominis, Ignis iræ, Flamma dilectionis, Fumus gloriæ, Vinea Ecclesiæ, Gladius Verbi. &c.

Regula III.

44. *Adjectivum subjecto suo tropicè tribuitur vel per* Metaphoram; *ut* Homo serenus, *aut* nubilus, *ab Aëris similitudine: vel per* Synecdochen, *ut* homo glaber *aut* hirsutus (*hoc enim propriè cutis est, quæ Hominis pars:*) *vel per* Metonymiam, *ut* Homo divinus, *aut* diabolicus (*scil. à causa, per quam talis est, denominatus:*) *vel per* Ironiam, Homo humanus, *scilicet!*

Obs. Metaphorica epitheta hîc eminent; *sive maneant Adnomina, sive mutentur in Nomina. Nam*

1. *Dum epitheto suavi opus est, mutua id à re aliqua simili: nuncupando (exempli causâ)* Diem claram, oculatam; nubilosam, cæcam. Veritatem *apertam*, nudam; Mendacium *tectum*, palliatum, &c.

2. *Si epitheton vis emphaticum, desume id à re alia, maximè tali: dicendo (ex. gr.) pro* Cor durum, *Cor* lapideum, *vel* ferreum, chalybeum, *adamantinum. Pro, Ingenium* acutum, *dic* Lynceum, Aquilinus oculus, &c.

3. *Auge, si vis, mutato Adjectivo tali in Substantivum: Non* lapideum *cor gestas in pectore tuo, sed* lapidem. (*Atque si magis etiam rem exaggerare vis, cumula Metaphorica epitheta: Audi* tu lapis, *tu* saxum, *tu* cautes dura, *tu* Caucase horride, *&c*) *Ita si Hominis inconstantiam exprimere vis, dic:* Ventus est, Vertumnus est: *si ingenium perspicax, dic*: Philosophorum Lynx, *seu* Aquila: *si raritatem*, Phœnix, *&c.*

4. Synecdochica *hic transnominatio erit si loco Adnominis ponas Nomen rei talis. Ut, si pro,* Pauci *homines dicas*, Manipulus *hominum*; *pro,* Multi *testes*, Agmen, Exercitus, Nubes *testium, &c.*

5. Meto-

5. Metonymia *hic erit, si Adnomen mutes in suum Nomen, Nomenque ponas in Genitivo: dicendo pro*, Mel dulce, Mellis dulcedo; *pro*, Vir doctus, Viri doctrina, *&c.* (*Ex talibus enim formata Sententia actionem tribuet non subjecto, personæ aut rei, sed adjuncto: ut Tardo quidem gradu ad vindictam sui* divina procedit ira, *&c. pro* iratus Deus, *&c. Qualium ingens est suavitas.*)

6. *Epitheton à contrario sensu desumtum videbitur* Ironicum, *veritatem tamen interdum gravissimè enuntiat. Ut* Concors discordia *rerum* (*pugna Elementorum, quâ tamen conservatur Mundus.*) Vita mortalis, *quam scilicet mors finiet*: Mors vitalis, *quæ scil. in vitam transmittet.* Superba humilitas, *Pharisæorum.* Stulta sapientia, *Mundi.* Sapiens stultitia, *Christianorum.* Docta ignorantia, *scire quanta nesciantur*; Crudelis clementia, *quæ malis ignoscens bonis nocet, &c.*

Regula IV.

45. *Verbum alterius rei actionem exprimens propriè, attributum rei alteri, elegantiam habet. Vt*, Schola floret, *vel* marcet, *quod propriè Arborum est*: Studia procedunt *aut* jacent, *quod Viatorum est*) Docentes & discentes fervent *aut* tepent, *seu* torpent, *quod Aëris & Aquæ*, &c.

[*Vide, & huc accommoda* Sect. 40. In sp. obs. *Quando semiadagio jungendum est Verbum, retineri potest vel utrumque Nomen, vel Metaphoricum omitti, Verbo jam sustinente Metaphoram. Ut*, Ardere igne iræ, vel, irâ. Exstinguere ignem furoris, vel furorem, *&c. Ita quia inter exsequutiones inferenda mortis blasphemo fuit* lapidatio, *alii vero cuivis delicto* Animadversio civilis, *vel Ecclesiastica*: *eleganter dixeris per Synecdochen,* Lapidem Civilis animadversionis *in aliquem* jacere.]

Generale monitum.

46. Epitheton *elegans contrario suo datum sermonem tropicè ornat; rem frigidè laudat. Vt*, Nobilis latro, Coryphæus nebulonum. Melior pessimo. Optimus malorum. Alpha penulatorum. Liberalis ad negandum. Constans in levitate, *&c.*

IV. Translatio Sententiarum.

47. Sententia translata *est, ubi aliud dicitur, aliud intelligitur.*

Ex. gr. Si hoc propriè dictum. Omnes homines sunt mortales, *enuntiare voles, tropicè, per* Adagium, *poteris*

I. Per Synecdochen.

aliquanto { *universalius*: quicquid natum est, denasci oportet.
particularius: Etiam *Roma* homines moriuntur.
individuè: Et *Mathusalem* mortuus est. }

II. Per Metonymiam.

Peccatorem mori necesse est: *ex causa efficiente.*
Peccati stipendium mors: *ex effecto.*
Lutum æternare non potest: *ex materia.*
Pulvis in pulverem redit: *itidem.*
Fuimus quondam, eheu, immortales! *ex antecedente.*
Resurgemus omnes: *ex consequente.*

III. Per Metaphoram.

Nullus flos non decidit tandem.
Nullus dies est, quin occasum habeat suum.
Mors etiam saxis marmoribusque venit. (*Ausonius.*)

IV. Per Ironiam.

Quidquam scilicet in humanis æternum est.

48. *Sententiis Tropicis annumerantur* Allusivæ & Hyperbolicæ.

49. Sententia Allusiva *est*, *ubi à re nota alluditur ad non ignotam: eo fine*, *ut loquutio talis utrovis sensu accepta*, *argutum quid menti objiciat.*

Ut si quis Rustico tetrico, nonnisi ubi adbibit jocanti, dixerit, Tua prata nonnisi benè rigata virescunt.

50. Hyperbolica Sententia, *volens aliquid valdè difficile exprimere*, *profert aliquid per se impossibile*, *illudque facilius esse dicit*; *aut fingit aliquid seipso majus*, *aut excellentius.*

[*Prioris exemplum:* Facilius Camelus transierit per foramen acûs, quam dives in Regnum Cœlorum, *Matth.* 19. 24.

Posterioris apud Lipsium de Seneca: Verba ejus semper aliquid plus dicunt, quàm dicunt. *Et apud Ficinum de Platonis Parmenide:* In aliis Libris cæteros Philosophos antecessit, in hoc seipsum superâsse videtur.]

51. *Sententia Tropica æquè ut propria in suas species diffunditur*: *sed persequi omnia longum foret.*

[*Exemplo res pateat uno & altero, quomodo si tropicè mutes subjectum aut prædicatum, Sententia evasura sit Tropica. Nempè* 1. Si pro subjecto agente ponas causam internam impellentem. *Ut, si pro,* Omnes homines peccant, *dicas*, Fragilitas humana exserit se in omnibus. *Pro,* David *se contaminavit adulterio*: Impura labes *Davidem* quoque maculavit. *Pro, Humilis* David *superbum prostravit* Goliathem: *Davidis* humilitas *Goliathi* dejecit fastum, &c. 2. *Si pro* Agente, *ponas* Instrumentum. *Deus omnia videt*; Oculus Dei videt omnia. *Non fuimus ibi*; Non ibi stetit pes noster, &c. 3. Si Instrumenti loco *ponas* vim, partem, *aut* modum *ejus quendam. Ut* Splendor divini oculis *penetrat omnia. Aut, ut* David *Psal.* 11. 5. palpebræ ejus, &c. 4. *Si denique* Nomen personæ aut rei commutes in accidens *illud*, *quod tum primario in considerationem venit. Sic pro,* Calumniatores isti *faciunt mihi injuriam, dices*: Calumnia ista in famam meam injuriosa est, &c. *Prædicata verò mutantur, cùm loco propriorum ponuntur tropica: ut quum de* libidinosa *Cleopatra*, & ebrioso *Antonio dictum fuit*; *Venus* & *Bacchus* convenerunt, &c.]

52. *Adagiis itemque annumerantur* Gnomæ, Apophthegmata, Paradoxa.

53. Gnomæ *sunt utiles commonefactiones*, *præsertim in deliberationibus. Ut*, Ne quid nimis. Actum ne agas. Hoc age. Bis dat, qui citò dat, *&c.*

54. Apophthegma *est Dictum alicujus extemporaneum, acutum & sapiens.* Ut, *cùm* Alphonsus *cuidam* literas non convenire Nobilibus *dicenti respondit* : Vox bovis, non hominis, *&c.*

55. Paradoxum *est Sententia primo aspectu aliquid incredibile, vel absurdum, proferens, quod tamen rectè expensum profundam habet sapientiam. Vt,* Virtus ad felicitatem sufficit, Veræ divitiæ sunt, nihil appetere, *&c.*

[*Obs.* Adagia non perindè gratè sonant in una Lingua, ut in altera. *Causa ferè duplex.* Primò, *quod res, undè sumuntur, non æquè huic Nationi & Linguæ, atque alteri, nota & usu trita.* Deindè, *quod non idem Verborum flexus & consensus. Quamvis ex. gr. accuratè transferas, sensu manente eodem, vividus tamen ille nitor & gratia perit. Vide suprà III.* Sect. 79.]

V. Periodus translata.

56. Tropus ad Periodi usque finem continuatus, *ALLEGORIA dicitur.* Ut, *si Johannem Baptistam laudando, fuisse dicas* Prophetarum colophonem, Novi Testamenti auroram, Solis justitiæ præcursorem, Salvatoris signiferum, æterni Sponsi Paranymphum, Pœnitentiæ tubam, Impœnitentium fulmen, *&c.*]

57. Virtus Allegoriæ *est, continuare Tropum eundem, neque admiscere alia.*

[*Exemplum sit illud Apostoli, ubi Ministerium Verbi Horticulturæ comparans, inquit:* Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus dedit incrementum, 1. *Cor.* 3. *Et Ciceronis illud, ubi de Eloquentia tanquam Virgine orphana, Tutoribus egente, si ad Brutum loquitur:* Nos quoniam post Hortensii, clarissimi Oratoris, mortem orbæ Eloquentiæ quasi Tutores relicti sumus, domi teneamus eam septam liberali custodiâ, & hos ignotos atque impudenter procos repudiemus, tueamurque ut adultam Virginem castè, & ab amatorum impetu, quantum possumus, prohibeamus. *Idem alibi inepti Oratoris (cui nomen* Coracis, *h. e. Corvi erat) Scholam tali exagitavit Allegoriâ :* Corax Orator excludat pullos è nido suo, ut evolent corvi clamosi. Excludat, *id est, perfectos reddat* ; pullos, *discipulos* ; è nido, *Schola sua* ; ut evolent, *in forum se conferant* ; corvi clamosi, *loquaces rabulæ*]

58. *Veniunt autem celebratissimæ Allegoriæ è Tropo* Metaphoræ, *&* Ironiæ, *&* Hyperbolæ.

[*Quanquam Vossius etiam* Metonymicas *dari, &* Synecdochicas, *ostendit, Instit. Orat. lib. IV. Cap. XI. sed exempla sunt rariora, & obscuriora.*]

59. Allegoriæ Metaphoricæ creberrimæ sunt & suavissimæ.

[*Exempla vidimus modò. Atque salis est illa quoque* Ciceronis, *situ pro Republica afflicta Nautarum olim procella comparantis :* Neque tam fui timidus, ut qui in maximis turbinibus ac fluctibus Reip. navem gubernâssem salvamque in portu collocâssem, frontis tuæ (*Pisonem alloquitur*) nubeculam, aut collegæ tui contaminatum spiritum pertimescerem. Alios ego vidi ventos ; alias prospexi animo procellas ; aliis impendentibus periculis non cessi, &c.

60. Alle-

60. *Allegoriæ Ironicæ* triplex occurrit species, 1. Reticentia simulata: *cùm silentio nos præterituros dicimus, quod tamen dicimus.* 2. Continuata rei illaudatæ laudatio. 3. Sarcasmus continuatus.

[*Exemplum primæ sit illud Ciceronis:* Mitto illam primam libidinis injuriam; mitto nefarias generis nuptias; mitto cupiditate matris expulsam matrimonio filiam, &c. 2. *Secundæ exemplum ex Virgilio:*

Egregiam verò laudem, & spolia ampla, refertis
Tuque puerque tuus, magnum & memorabile nomen:
Una dolo Divûm si fœmina victa duorum est.

3. *Sarcasmi continuati exemplum sint illa Verba* Eliæ *ad* Baalitas: Clamate voce majore! Deus enim est, forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certè dormit, ut excitetur. 1. *Reg.* 18:27.]

61. Allegoria Hyperbolica est, *si cupientes aliquid, quod valde talè vel talè sit, exprimere tropicè, sumimus aliquid verè tale, præferimusque huic nostro tanquam oppositum.*

[*Exemplum est in non nemini Theologorum Meditationibus, ubi Turpitudinem peccatorum nostrorum repræsentare volens exactè, ità loquitur:* Speciosa est terrifica illa *Babylon*, comparatione monstrositatis meæ: pulcherrimus infernus, comparatione deformitatis meæ: mundissima Cloaca omnis, comparatione fœtulentiæ meæ, sordiumque vitiorum, quibus immersus sum.]

VI. Oratio translata.

62. *Allegoria per plures Periodos continuata*, Parabola *dicitur*; *itemque* Apologus, *seu* Fabula.

[*Quando scilicet aliquid narratur quasi factum, quod factum non est, sed factum fingitur, ad ostendendum alterius rei verè factæ indecorum; aut turpitudinem, & periculum: sive homines introducantur aliquid, patrâsse sive animalia, aliave muta Creaturæ. Qualis fuit narratio* Joathami de Arboribus sibi Regem eligentibus, *Judic.* 9. 8. 16. *Nathanis* de Paupere & ovicula, 2 *Sam.* 12. 2. *Thecuitidis* de fratricidio filiorum, *ib.* 14. 5. *& alia multa in divinis & humanis libris.*

Huc facit omnis prolixior Prosopopœia, *ubi Res tanquam Personæ introducuntur colloquentes, lamentantes, expostulantes, &c.*]

63. *Usus Fabularum est*, 1. ad Res explicandum jucundè, 2. ad styli floriditatem, *propter condensatos Tropos.* 3. ad quidvis persuadendum (*præsertim simplicioribus*) *controversiasque faciliùs dirimendum.*

[*Qui naturas Rerum intelligit, & Parabolas Scripturæ, aliorumque bonorum Authorum (in quibus Æsopi fabulæ eminent) non ignorat, poterit & ipse firmare infinitas. Cujusmodi sunt ingeniosissima fictiones nostri etiam ævi sapientum Virorum: ut Ludovici Vivis*, Fabula de Homine; *Campanellæ*, Civitas Solis; *Verulamii*, Nova Atlantis; *J. Val. Andreæ*, varia. *&c. Estque res miri usûs ad docendum & ad probandum. Delectat enim simul & flectit talis Rerum per invicem illustratio. Hinc* Menenius Agrippa *tumultuantem Romanam plebem unico Apologo, de membris humanis adversus Stomachum conspirantibus, in Senatus obsequium revocavit: quod vix ullis argumentis potuisset. Hinc & Deus nobiscum in Scripturis agit: & Christus plerumque, juxta prædictum Psalmi* 78. *vers.* 2.

CAPUT

Caput VII.

Dilatatio *quid*, 1. *Vocum*, 11. *Phrasium*, 47. *Sententiarum*, 53. *Periodorum*, 60. *Orationis*, 66.

I.

Dilatatio, *est Sermonis ornamentum, quô quod breviùs dictum est, aut dici possit, in plura extendimus*.

[*Addendo scil. quicquid aptè potest, ut nihil deesse videatur.*]

2. Finis Dilatationis *est Sermonis* Copia, *&* *Copiæ* Delectus: *utriusque autem, ut rem quamque eloqui sciamus plenè ac potenter, prouti est*.

[*Ut enim pulchra Corolla non fit nisi è selectissimis floribus: ita pulcher* Sermo, *nisi è selectissimis* Verborum, Phrasium, Sententiarum *flosculis. Selectioni autem locus non est nisi in* Copia, *de qua pulchrè Erasmus:* Non est aliud vel admirabilius vel magnificentius, quàm Oratio, divite quadam Sententiarum Verborumque copiâ, aurei fluminis instar, exuberans.]

3. *Est autem* Copia *duplex*, Rerum *&* Verborum. *Prior paratur arte* Logicâ; *posterior* Grammaticæ *&* Rhetoricæ *opus est*.

[*Nos proindè istâ sepositâ, hanc sequemur: addituri tamen sub Capitis finem de illa, quantulum hic opus est.*]

4. *Fit autem Sermonis* Dilatatio, *generaliter*, extendendo Vocem in *Phrasin*, Phrasin in *Sententiam*, Sententiamque diducendo in *Periodum*, aut *Orationem* integram.

[*Est enim qualibet* Sententia, Phrasis, Vocula, *veluti glomus quidam, cujus fila, usu requirente, in amplum diduci possunt.*]

5. *In specie* Dilatatio fit trifariam, *Merismo*, *Periphrasi*, *Pleonasmo*.

[*Hoc est, Partitione, Circumloquutione, Redundantiâ.*]

6. Merismus *est*, *quum loco integræ rei partes aut species ejus enumero*.

[*Ut si pro* Homo, *cum Paulo dicam*, Corpus, Anima, Spiritus. *Et pro*, Omnes homines; juvenesque senesque, docti & indocti, nobiles & ignobiles, *&c.*

7. Periphrasis *est*, *quum rem, aut ejus partes & species, non suis propriis nominibus nuncupo, sed circumloquor*.

Ut si pro Homo *dicam*; Creatura ad imaginem sui Creatoris facta. *Pro*, Corpus; Animæ habitaculum. *Pro*, Anima; hospes comesque corporis.]

8. Pleonasmus *est*, *quum rem, aut ejus partes vel species, non tantum nomino aut circumloquor, sed insuper* Synonymiis, Epithetis, Antithetis, *augeo*.

[*Sine quibus tamen* Sermo *plenus esse poterat. Ita Sententia hac*, Hominem diligit Deus, *dilatatur*, 1 Synonymia; *Hominem*, imaginem suam, *diligit & amat Deus* Jehova,

hova. 2. Epithetis; *Hominem* pium, veram *imaginem suam, amat* verè, æternùmque *diligit* sanctissimus *Deus* 3. Antithetis; *Hominem* pium, *non verò* impios, amat *verè, non* odit, *&c.*

9. Virtus Dilatationis *est Oratoris lumen, quô res per illustrem* Merismum, *aut illustrem* Periphrasin, *illustremve* Pleonasmum, *picturatior redditur, & ceu viva ob oculos sistitur.*

[*Qualiter jam in Janua LL. factum est* periphrasi Dei, *quæ exstat Sect.* 671, *& Capitibus* XCIX. *&c. decies quater; nempe Sect.* 977. 978. 982. 983. 98., 986. 987, 988, 989, 990, 991, 995, 1000.]

10. Vitium Dilatationis *triplex est. In* Merismo *insufficiens partium (aut specierum) enumeratio: in* Periphrasi *impertinentium mixtura: in* Pleonasmo *inutilium acervatio, ex qua inepta prodit* Tautologia.

[*Postremi exemplum est si dicas: Accinxit sibi* gladium & ensem. Scripsi & examivi *epistolam*, &c.]

II. Dilatatio Vocum.

11. Merismus *hic est; cùm Vox composita in suas simplices resolvitur.*

[*Ut* Magnanimus, *Vir magno animo.* Animadvertere, *adverte huc animum.* Relege, *lege denuo:* Nihil, *ne hilum quidem.* Innumerabilis, *numeratu impossibilis, qui numerari non potest*; &c.]

12. Periphrasis *est, cùm pro* Voce una *plures adhibentur, eodem sensu: quod desumitur, vel ab* etymologia Vocis; *vel à* definitione *rei, vel à* circumstantiis *quibuscunque.*

[*Primi exemplum erit, si pro* Homo, humo facta Creatura *dicas; pro* Humanitas, Hominis maximè decens Virtus; *pro* Grammatica, *a literis denominata ars*, &c.

Secundi, si dixeris, Animal rationale, *pro Homo:* Virtus humanæ vitæ coagulum, *pro Humanitas: Ars benè loquendi, pro Grammatica.*

Periphrasis Vocis à circumstantia *variè fit: per causam scilicet aliquam, aut effectum, subjectum, adjunctum aut similitudinem cum alia re; Ita ergò pro, HOMO; dicere poteris, Adami progenies; Terræ pulvis, manu Dei coagulatus; Plasma digitorum Dei; Rationis particeps animal; Æternitati destinatum animal; Terræ dominator; Artium inventor; Mirabilium operator, si se gerat sapienter; Creatoris sui æmulator; Incorporatus Angelus; Parvus Mundus; Animata statua,* &c. *Ita Juvenalis* effœminatos *periphrasi lusit,* qui digito scalpunt uno caput, *dicens: quasi qui hoc unum cavent; ne comam studiosè compositam perturbent.*]

13. Pleonasmus vocis *fit per* Synonyma, Epitheta, Antitheta.

14. *Per* Synonyma, *cùm loco Vocis unius ponuntur duæ vel plures. Ut cùm* Cicero *dicere volens* stupidus, *dixit,* Truncus *atque* Stipes. *Terentius autem,* Caudex, stipes, asinus, plumbeus, *&c.*

[*Obs.* 1. *Etiam oppositum negatum Synonymiam constituit:* Stolidus, insipiens, infrunitus. Scio, non ignoro, haud me fugit, *&c.*

2. *In primis elegans est* particularum æquivalentium Pleonasmus, *apud Optimos Authores.*

Authores. Ut Etsi quamvis, *Cicero* Quoque etiam, *Plautus* Etiam quoque, *Lucretius* Etiam &c. *Macrobius* Itaque ergo, *Terentius*, *Livius* Ergo igitur, *Apuleius* Post deinde, *Terentius* Deinde postea, *Ulpian* Tandem denique, *Apul.* Deinde deinceps, *Liv.* Repente subito, *Plaut.* Propere ocyus, *idem.* Quasi ut, *Apul.* &c.

3. *Huc facit & Vocis ejusdem repetitio: ut Ezech.* 21. 28. Gladius, gladius, *Et v.* 26. Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem.]

15. *Per* Epitheta, *cùm Voces Vocibus declarandis adducuntur.* Ut, *Asinus* stupidus: *Stupidus* valdè: *stupet* admodum, *&c.*

Nempè Nominum Epitheta *sunt Adnomina*, *Adnominum & Verborum Adverbia. Recipit autem una Vox quandoque plura* Epitheta; *ut, Vir* probus, doctus, diligens, *&c.*

16. *Per* Antitheta, *cùm ad describendum rem meliùs vox contrariæ significationis illi apponitur negativè. Ut,* Homo, *non* brutum *aut* lapis. Doctus, *rerum haud* imperitus. Clama, *ne* cesses. Loquere, *ne* taceas, *&c.*

Antithetorum *peculiaris lex est, ut non quidvis cuivis opponatur, sed oppositum opposito directè. Non ergo dices: Omnia bona,* corporalia & cœlestia, terrena & æterna, *&c.* sed corporalia & spiritualia, terrena & cœlestia, temporalia & æterna. *Non enim corpus opponitur cœlo, terra æternitati,* &c. *sed* corpus spiritui, terra cœlo, tempus æternitati.

Specialis Dilatatio Nominis.

17. *Quodvis Nomen diduci potest in duo Nomina: mutatum scil. in Genitivum, qui secum mox aliud Nomen (generis, aut formæ, aut formæ, aut accidentis alicujus) trahat.* Ut,

Temperantia, Temperantiæ Virtus.	*Cato*, Catonis gravitas.
Virtus, Virtutis decor.	*Salomo*, Salomonis sapientia.
Mons, Montis altitudo.	*Historia*, historiæ series, veritas, *&c.*

[*Specialiter huc faciunt nomina quædam* Latina, *Genitivo tali jungi gaudentia: ut* Genus, res, vis, &c. Animal, Animalis genus. *Pecunia*, res pecuniæ. *Voluptates*, res voluptatum. *Opes*, opum vis. *&c.*

18. *Idem erit, si Nomen commutes Adnomini, quoties potest.*

Ut Temperantia, Temperans animus. *Mons*, montana altitudo. *Salomo*, *Salomonica* sapientia. *Historia*, *Historiaca* narratio. *Schola*, res Scholastica. *Bellum*, res bellica, *&c.*

19. *Periphrasis* Nominum *variè fit: Recensendo nimirum Rei* 1. partes, 2. species, 3. accidentia quæcunque; 4. *aut rem designando à notabilissimo effectu aut proprietate.*

(*Exemplum* 1. *Caput, Truncus, Artus, pro.* Corpus. 2. *Aves, Pisces, Quadrupedia, pro.* Animal. 3. *Gente Judæus, tribu Benjamin, sectâ Pharisæus, prædicatione Apostolus, id est,* Paulus. 4. *Eversor Carthaginis, id est.* Scipio. *Trojani belli scriptor:* Homerus. *Peripatetica Scholæ princeps:* Aristoteles. *Stoicæ familiæ pater:* Zeno. *Voluptatis assertor:* Epicurus, *&c.*

20. Pleo-

20. Pleonaſmus *notabilis eſt in Nomine diminuto, cui Adnomen diminuens additur.* Ut, *Piſciculi minuti. Puerulus parvulus*, &c.

Specialis Dilatatio ADNOMINIS.

21. *Quodlibet Adnomen reſolvi poteſt in Adverbium & Participium. Ut*; Agilis, *agiliter ſe verſans.* Pius, *piè ſe gerens*, &c.

22. *Cùm aliquid valdè tale dicere volumus, præjungimus Poſitivo* præ, per, perquam, ſanè, ſanequam: *aut damus Superlativum. Ut*, prædives, perdives, perquam dives, ſanequam dives, ditiſſimus, *&c.*

23. *Cùm autem extenuamus, præjungimus* Sub, Utcunque, Aliquantulum, Nonnihil, Vix: *aut formamus diminutivum in* -ulus -ellus -iuſculus. *Ut*, Subniger, aliquantum niger, nigellus, molliuſculus, *&c.*

24. Comparativus *extenditur additô* magis, longè, multò, haud, paulò, nimiùm, multis modis, multìs partibus, multis paraſangis.

Ut Magis major, *Plautus*. Magis beatior, *Virgilius*. Longè doctior, *&c.* multis paraſangis doctior, *&c.*

[*Obſ.* 1. Livius *gaudet Comparativa ſubjungere* quàm pro. *Ut*: Major *Romani* quàm pro numero *jactura fuit.* Minor *cades* quàm pro tanta victoria *fuit.* Ferociores quàm pro ingenio *Gracorum gentis*, &c. 2. *Plautus verò & Apuleius præjungunt* multò tantò quàm. Multò tantò miſerior quàm *tu Labrax. Vel omiſſo* quàm: multò tanto pluribus *beneficiis honeſtarer*, &c.

25. Superlativi Pleonaſmus *eſt*, *ſi illi addatur* per, *aut* perquam *vel* maximé. *Ut*, Perdifficillimus *aditus*, *Livius*. Perquam maximo *exercitu*, *Curtius*. Maximè humaniſſimus, *Gellius*. *Item, ſi Superlativo præmittatur Poſitivus, cum additis particulis*, tam, quàm, qui. *Ut Cicero*, Tam *gratum*, quàm quod *gratiſſimum*.

[*Obſ. Rurſumque Superlativum permutare licet Comparativo*: Tam gratum, ut nihil gratius.]

Specialis Dilatatio PRONOMINIS.

26. *Pronomini poſſeſſivo ſcitè adduntur Genitivi* ſolius, ipſius, unius, duorum, trium, *&c. Ut*, Melius ſolius *hoc peccatum eſt*, *Cicer.* Meâ unius *operâ*, *Idem.* Noſter duorum *eventus*, *Livius.* Noſtros *vidiſti* flentis *ocellos*, *Ovid.*

27. *Omne item poſſeſſivum recipit* Paraphraſin. *Ut ſi dicas*: *Silentium* meum, *vel*, quô hactenus uſus ſum. *Obiit* Pater tuus: *vel*,

que

quem tibi natura dederat Parentem, *natura necessitas eundem abstulit.*

Specialis Dilatatio VERBI.

28. *Omne Verbum* resolvitur *in suum* Participium, *cum verbo* Est, Sunt, Fui, *&c.*

Cicero enim; cùm alibi dixisset, Omnes naturâ seipsos diligunt, *alibi sic extulit, Omnis natura* est diligens sui. *Et Plin. Coluber* est vivens, *pro* vivit, *in aquis. Ovid. Omnia* sunt *hominum tenui* pendentia *filo* (*id est,* pendent) *&c.*

[*Specialiter Verbum* Volo *ita permutatur Verbo substantivo, sed cum duobus Dativis. Ut Tacitus. Hac* plebi volenti fuêre, *id est, plebs voluit. Macrob. Si* vobis volentibus erit, *enumerabo, id est si voletis.*) &c.

29. *Omne Verbum circumscribitur per* Est ut; *vel*, Fiet ut. *Dico ergò pro, Omnes* te amabunt, *Erit (fiet)* ut *te omnes* ament.

Non credo: nunquam erit (fiet) ut *credam.*

Si veneris: *si* erit, ut *venias.*

Terent. Si est, ut velis *manere (pro,* si vis.)

Virgil. Erit, ut liceat (*pro,* licebit.) *&c.*

[*Sic negativè:* Non erit, ut distent; *pro*, Non distabunt, *Lucret.* Procul est, ut credere possis: *id est,* Non potes credere. *Idem.*]

30. *Verba Supino carentia, etiam Infinitivo futuro carent: eum tamen defectum periphrasi ex futuro Verbi substantivi supplent. Ut* Vergere. *Dic,* Spero fore, ut *hoc* vergat *in bonum: vel,* Futurum esse, spero, ut *&c.*

31. *Imperativi periphrasis imperiosior est, per* Fac ut; *mollior per* Cura ut, velim ut. *Dices ergò pro*, Veni *ad me:* Fac ut *ad me* venias: cura, ut *venias*, velim ut *&c.*

[*Obs. Illud Ut sapè omittitur,* Fac venias. Cura adsis. Velim *tibi* persuadeas.]

32. *Imperativus verò prohibitivus egregiè per* Cave, *&* Nolo, *vel* Nolim, *exprimitur. Dices ergò, pro* Ne credas, Cave, *credas*; Nolim, *credas*, &c.

[*Quomodo Imperativus Indicativo augeatur, & quò sensu,* *Vide supra Cap. 3. § 19.*]

33. *Omne* Verbum activum *recipit* periphrasin, *positum Supinè cum Verbo* Ire. Ut, *Contumelias* ultum ibat, *Tacit. pro*, ulciscebatur. *Ne ignoscendo malis*, *bonos* perditum eatis: *Sallust. (id est,* perdatis.)

[*Obs. Sic Verba intransitiva:* Ire cubitum. Ire sessum, *&c.*]

34. *Verbi* Frequentativi periphrasis *fit per Verba* Soleo, Gaudeo,

deo, Amo, Contingit; *ut*, Ufu venit, *ut* &c. Solet accidere. Amat fieri. Gaudet pugnare, *&c.*

35. Temporis *præfentis*, *præteriti*, *aut futuri*, *pulchra eft periphrafis* per Participium *cum Verbo* Volo, Do, Reddo, Curo. *Ex. gr.* Volo *te* rogatum, *id eft*, rogo. Curabo *hoc tibi* effectum, *feu* efficiendum: *efficiam.* Dedi effectum, *id eft*, feci, *&c.*

36. *Quodvis Verbum recipit Pleonafmum Pronominis* Mihi, Tibi, Nobis, Sibi. Ut, *In tempore ipfo* mihi advenis. *Terentius.* *Quid* agit nobis *Sannio?* *Idem.*

Dilatatio PARTICIPII.

37. *Fit refolutione in Verbum cum Pronomine relativo, aut Adnomine aliquo. Vt*, Monens; qui *monet*, *aut monere* folitus. Monendus; *moneri* dignus, *quem monebunt*, &c.

Dilatatio ADVERBII.

38. *Adverbium Loci vel Temporis primitivum refolvitur in Nomen Loci vel Temporis, & Pronomen, vel Adnomen. Vt*, Ubi? quo *in* loco? Quando? quo tempore? Cras; craftino die, *&c.*

39. *Adverbio item Loci vel Temporis adde Genitivum, fi in ufu eft, ampliaveris. Vt*, Nunc *temporis*. Olim *feculorum*. Hîc *loci*. Nusquam *gentium*, &c.

40. *Adverbia Copiæ fæpè bina copulantur. Vt*, Plùs fatis. Sat abundè. Nimiò plùs. Satis fuperque.

41. *Adverbium Quantitatis extenditur Addito* quàm. *Vt Plautus*, Admodum quàm *fævus*. Nimis quàm *pauci*. *Apul.* Satis quàm *humanè*. *Gell.* Oppidò quàm *prælicenter*.

42. *Adverbium Qualitatis circumfcribitur fuo Adnomine & aliquo Nomine; aut abftracto Nomine cum asfumto Adnomine.* Ut,

Currere Celeriter { Celeri *pede.* / Celeritate *fummâ.* }

43. *Adverbia Pofitivo addi poteft Comparativus & Superlativus fuus gradatim. Vt fi pro* Malè *factum*, *dicas*; Malè, pejùs, peffimè *factum*. *Aut*; Malè *factum*, *imò* peffimè, *ut* pejùs *non poffit.*

44. *Adverbi Superlativi periphrafis fit per* eò ut. *Ex. gr. fi pro*

Lor-

Longiſſimè progreſſus, *dicas*; Eò *proceſſit.* ut *omnes poſt ſe reliquerit*; ut *nemo alius*; ut *mirandum ſit*, &c.

45. *Duo Adverbia ſynonyma emphaſin augent. Vt*; Repentè ſubitò, *Plautus.* Unà *mecum* ſimul, *Terentius.* Repentè è veſtigio, *Cicero.* Apprimè rectiſſimè, *Idem.*

N. B. Cultè etiam geminantur hæc: Etiam atque etiam. Plus plusquam. Magis magisque. Jam jamque, *&c.*

46. *Obſervandæ & particulares quorundam Adverbiorum circumloquutiones, per* Meriſmum *vel aliter.*

Dicere enim licet pro,

Semper *ita eſt* : *Sic* fuit, eſt, *&* erit.
Nusquam : nec fuit, nec eſt, nec erit.
Nusquam : neque hîc, neque illîc, nec usquam.

Apuleius : Nunquam erit, ut non *apud te divertar, id eſt*, Semper. *Plautus* & *Horatius.* Eſt ubi, *pro* Alicubi, *&c.*

III. Dilatatio Phraseôn.

In Regula I.

47. Nomen ſpecificativum *admittit circumſcriptionem.* Ut *Virgilius*, Urbem, *quam dicunt* Romam, *pro* Urbem Romam. *Item*: Urbs cognomine *Roma.* Urbs, cui à Romulo nomen. Civitas, quæ habet Regnum ſuper Reges Terræ, *Apoc.* 17. 18.

48. *Nomina explicativa acervari plura, ſi ad rem faciant, nihil probibet. Vt, ſi de hominis fragilitate ſermo ſit, dicere licebit*; Homo flos, bulla, ſomnium, umbra, *&c.*

[*Obſ. Si verò amplius etiam dilatare placet, omne tale epitheton reſolvi poteſt in* Sententiam, *per* qui. *Vt:* Homo, qui floris inſtar progerminat, & mox tamen flaccescit & decidit. Et, qui, ut bulla aquæ innaſcens & innatans, turget quidem, ut aliquid *videatur, flatu, tamen Venti diploſus evaneſcit. Simillimus ſomnio, aut umbra: explicat ſe, ut umbra, per partes, imitatur motum*, &c.

Ex Regula II.

49. Epitheton *è bino Subſtantivo, altero Genitivè poſito, elegans eſt. Vt*, Homo flos campi; bulla aquæ, ſomnium unius noctis, umbra ſuiipſius, *&c.*

(*Obſ. Præſertim ſi habeat inſignem Hyperbolen. Vt* Homo fortunæ ludibrium. Plato Philoſophorum Deus. Cicero Eloquentiæ parens, *&c*)

Ex Regula III.

50. Dilatatio *Phraſeos hîc fit per* Epitheta *acervata, aut Adnomen in Phraſin vel Sententiam mutatum: ut*, Homo miſer, ærumnoſus,

mnosus, fragilis: *vel*, Homo miseriis undique oppressus: *vel*, Homo, quô nihil est miserabilius, *&c.*

[*Obs.* Epitheton *adjectivum ex fine & usu suo trinum est.* 1. Discretivum, *quod rem, cui apponitur, ab aliis discriminat: ut* Valetudo bona (*datur enim etiam* Valetudo mala.) 2. Explicativum, *quod rem, qualis in seipsa semper est, describit: ut* Deus Omnipotens (*nec enim datur* Deus non omnipotens) 3. Expletivum, *quod metri, aut rythmi, aut saltem plenioris sensûs gratiâ additur: ut, Deus vivus, sanctus, adorandus,* &c. *Qualibus ludunt inprimis Poëtæ: sed & Oratori laxiore in stylo permittuntur liberiùs.*]

Ex Regula IX.

51. *Cuivis Verbo addi potest Ablativus instrumenti sui, per* Pleonasmum, *etiamsi citra illum intelligi possit.* Ut, *si in Verbis Sensuum, pro,* Vidi, Audivi, Palpavi, *dicas*; His oculis *vidi*; Auribus meis *audivi*; Istis manibus *palpavi*, &c.

Ex Regula XV.

52. *Duabus rebus una copula sufficit: si tamen pleniùs loqui libet, duabus uti licet. Ita pro,* Ego & tu, Mihi tibique; *dicere licet,* Et ego & tu: Mihique tibique, *&c.*

IV. Dilatatio Sententiæ.

53. *Sententiam dilatandi modus primus est, per Regulas Phraseologicas XV. augendo quamvis Vocem iis, quæ structura plena requirit.*

[*Sit Sententia dilatanda,* Deus creavit Mundum. *Hic Regula I. monet addendum esse alterum nomen: adde igitur,* Deus Pater. *Reg. II. requirit aliud Nomen in Genitivo: Dic ergò,* Pater Hominum. *Reg. III. exigit Adnomen: da igitur vel duo.* Pater optimus maximus. *Ex Reg. IV. adde,* optimus nobis. *ex V* maximus sapientiâ. *ex VI.* Deus creavit. *ex VII.* Creavit nobis. *ex VIII.* Creatum Mundum. *ex IX.* Creavit virtute *suâ. X.* Creare dignatus est. *XI. fuit* Creans Mundum. *XII.* Olim. *XIII.* Creavit potenter, *vel* sapienter. *XIV. à se, per se, in se. XV.* Deus *&* Pater. *Concinna ex his Sententiam unam aptè, habebis talem:* Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, optimus maximus (optimus, inquam, Creaturis suis, maximus *imperio super omnia*) *creare nobis, nostrum in usum, dignatus est Mundum hunc visibilem* &c.]

54. *Alter modus est per* Merismum, Periphrasin, *&* Pleonasmum.

[*Per Merismum*) *ut,* Pater, Filius, & Spiritus S. unus Deus, produxit ex nihilo, quicquid videmus, & distinxit formis variis, implevitque virtute vivâ Cœlum, Terram, Maria, & quicquid in illis est. *Per Periphrasin.*) Qui sine principio & fine est ab æterno, dedit in tempore initium rebus extra se productis omnibus. *Per Pleonasmum, additis synonymis, epithetis, antithetis*) Deus Jehovah potens virtute, non autem simia hujus Satan, fabricatus est & concinnavit, pulchrè ac eleganter, Mundum hunc per omnia pulchrum & bonum, non vero corruptelas in illo, peccatum & mortem, *&c.*]

55. In-

55. *Interrogativæ Sententiæ interseritur admiratio, aut indignatio, aut adjungitur oppositum.*

[*Vt*: An alius esse, *quæso vos*, qui Mundum crearet, potuit? *Quæ*, malum, *ista est dementia, alium præter Deum Mundi quærere Conditorem?* vides, quàm bona in Mundo omnia? quàm hic malum nihil?]

56. *Sententia negativa extenditur, Loco NON dato,* Non est ut, *vel per* tantum abest ut.

[*Vt*, Non est, ut Creatura *seipsam creare* posset: *pro, Non potuit. Nihil præter Deum seipsum creare potuit*, tantum abest, ut alia posset, *&c.*]

57. *Si quando in Sententia duæ Voces aut Phrases sese offerant, dubitesque, utram ponas, licebit utramque, aut quotquot fuerint: sive copulatè, sive gradatè, sive cum emendatione, sive alia quacunque ratione.*

Vt Homo eminet inter *Creaturas*, imò supra *eas*. Stultè *isti loquuntur*, ne dicam impiè & blasphemè, *qui homines ut bruta mori credunt*. Plerique *homines* (*non enim* Omnes *dicere audeo*) *ita sunt animati*, &c.

58. *Ex quacunque Sententia simplici fieri potest composita quæcunque. Vt ex hac simplici*, Deus nos creavit.

1. Copulata, *per additionem alicujus prædicati: ut* Deus nos & omnia *creavit. Deus nos* non tantùm creavit, sed & sustentat.

2. Disjunctiva: aut *nos creavit Deus*, aut *alius quis præter Deum Omnipotens dicendus erit*.

3. Concessiva: Non quidem *Deus omnia manu suâ formavit, sed verbo omnipotenti tantùm, ut prodirent, mandavit*: at *nos digitis plasmare suis dignatus est*.

4. Rejectiva: Nec *à nobis exstitimus*, nec *ab alia Creatura, sed à Deo*, &c.

5. Adversativa: *Dei sumus opus*, non autem *alterius cujuspiam Creaturæ*.

6. Comparativa: *Deo convenit* potiùs, quàm *ulli Creaturæ, creationis honor*.

7. Conditionalis: Si creatura sumus, *Dei certè opus sumus*.

8. Exceptiva: *Creare nos ex nihilo*, prætérquam *Deus, nemo potuit. Vel: Omnes sumus Dei creatura*, nisi quòd *primus homo immediatè à manu Dei prodiit, nos reliqui ab illo*.

9. Restrictiva: *Deus*, quatenus fons rerum *nostri etiam origo est*.

10. Notificativa: *Creatos esse nos à Deo, Creationis testatur historia*.

11. Relativa, *per interpositionem* est qui. Deus *est* qui *nos creavit*.

12. Ordinativa; *Deus* primò *Cœlum & Terram creavit*; deindè *ordinavit & ornavit*, tum *variâ supellectile implevit*; demum *hospitem introduxit, Hominem*.

13. Finalis: *Deus nos creavit*, ut *laudum suarum haberet præcones*.

14. Causalis: *Deus nos creavit*, quia *bonus, suæque beatitudinis communicativus*.

15. Illativa: *Deus nos creavit*: Ergò *Creator noster est*: ergo *nobis colendus, in secula seculorum*.]

59. *Habet & quælibet composita peculiarem dilatandi sui formam.*

[*Ex. gr.* 1. Copulativa *Conjunctionis loco repetit Nomina, Adnomina, Verba. Vt*, Fui *hic*, & fui *illic*. Testis *est sacra*, & testis *profana, historia*, &c.

 2. Rejectiva.

2. Adversativa negata, *mutat* Non-sed, *in* Adeò non-ut etiam. *Puer* non *negligat studia*, sed *amet*. *Puer iste* adeò non *negligit studia*, ut etiam *summoperè amet*.

3. Disjunctivæ reduplicatæ *grata inest extensio*. Nec hoc nec illud: nec illud nec hoc, *&c*.

4. Conditionalis tripliciter extenditur 1. *interposito* Verbo substantivo, *cum* Ut. Si *si scribes*; *aut, si* erit, ut *scribas*. *Si scripsisti, si* fuit, ut *scriberes*; *aut, si* est, ut *scripseris*. *Ita enim Ter.* Si est, culpam *ut admiseris Antipho*. 2. *Quando actioni additur modus, repetendo hic & illic* Si. *Ex. gr.* Si *me* verè amas: *dic*, si *me* amas; *atque* si verè *amas*, &c. 3. *invertendo Sententiæ membra, opponendoque* τῷ Si Etsi. *Ama me*, si *merear*: *sed facis*, etsi *non merear*, &c.]

V. Dilatatio Periodi.

60. *Tribus fit modis.* Primò, *per diductionem Periodi unimembris in bimembrem, vel ultrà: quod concinnâ Sententiarum extensione, & aptâ ad invicem collibratione, constat.*

Ut, Si nos creavit Deus, Creatori verò à Creatura honos debetur: profectò nihil melius, quod agamus in vita, erit, quàm ut placere quæramus illi, à quo habemus, ut simus, *&c*.

61. Deindè, *per expressam pleniùs gradationem eorum, quæ undè sibi apposita minùs erescentem, unùsque afficientem, reddunt orationem.*

Ut si hoc, Deus Creator nos ad se vocat, invitat, rogat, compellit: *per particulas exaggerativas augeas, sic*: Deus nos ad se vocat, imò invitat, imò instanter orat, imo invitos etiam compellit. *Aut per negationem minoris, & affirmationem majoris*: Deus nos non tam ad se vocat, quàm blandè invitat: nec tantùm simpliciter invitat, orat insuper: atque si venire cunctamur, compellit etiam.

62. Tandem *per intersertam* Parenthesin, *si alicujus Vocis occasione utile aliquid (obiter dicendum) se offerat. Ut in illo Quintiliani*: Cùm in omni studiorum genere, tum in hoc præcipuè, bona Valetudo (quæq; eam maximè præstat Frugalitas) necessaria est.

[*Obs. Sive intersertum illud* Parentheseos *signo* ( ) *includatur, sive non, res eodem redit.* 2. Parenthesis, *quantum potest, breviuscula sit, ne longius distrahantur cohærentia*. 3. Parentheses *erebra devenustant sermonem: quia Sermonis fluxus intercidit ur*. 4. Parenthesis *in Parenthesi rarissima sit, nec nisi extremâ necessitate admittatur*.]

VI. Orationis Dilatatio.

63. *Si diffusam, & prorsus* Asiaticam, *effingere amas Orationem, hæc observabis.*

64. Primùm, *Quicquid suscipis enarrandum, enarra plenè, per* Exordium, Tractatum, Epilogum.

65. Deindè, *Particulares expressiones, per omnes* Periodos, Sententias, Phrases, *pone integrè, prout* Syntacticæ *requirunt* Regulæ.

66. *Sed & omnia plùs quàm plenè poteris exprimere, si* Pleonasmos, *ubicunque commodè poteris, adhibueris. Ex. gr.* 1. Exordium

dium longiùs petitum. 2. Narrationem prolixiorem. 3. In media tractatione longiùs immorando *eidem loco.* 4. *Aut etiam* digrediendo ad aliud, *delectandi causâ.* 5. *In fine autem* Epilogo prolixiore, *aut non uno & simplici, si se plura & pulchra offerant.* 6. *Adhibeas etiam, ubicunque datur,* Epiphonema, *hoc est, rei narratæ, aut demonstratæ, summam acclamationem.*

67. *Omniaque connectas vinculis & transitionibus suis, ne hiatus relinquatur ullus; omnia plenè cohæreant.*

Digressio etiam ne faciat hiatum, hæc observa. 1. Apta sit & ex bona occasione: (*nempè ut loco rei jam notæ, eoque sine usu iterandæ, aliud quid suaviter intersteratur: qualiter in Atrio nostro factum Sect.* 700, 701, 702, 954 *& alibi.*) 2. Non aliena à proposito, illud potiùs illustrans. 3. Non nimis prolixa. 4. Reditus in Orationis viam aptus sit & mollis.]

68. In expolitione *autem particularissimorum des operam,* 1. Ut *Vocibus, Phrasibus, Sententiis* compositis utaris potiùs quàm simplicibus. 2. *Imò, ubicunque fieri commodè potest, Voces commutes in* Periphrases, *res non nominando, sed circumloquendo.* 3. *Itemque in* Merismos, *omnia generalia in species diducendo, ac velut omnem convolutum globum in sua contenta evolvendo.* 4. Synonymiisque *aptis rem quamque illustrando.* 5. Epithetis *accommodis exornando.* 6. Antithesis *etiam liberè, modò aptè, in* Vocibus, Phrasibus, *integrisque* Sententiis, *ludendo.*

69. *Hæc si quis volet sequi, semper difficiliùs exitum Orationis, quàm initium vel progressum, inveniet.*

CAPUT VIII.

CONTRACTIO quid, 1. *Contractio Vocum,* 6. *Phrasium,* 8. *Sententiarum,* 16. *Periodorum,* 39. *Orationis,* 43.

I.

CОntractio *est sermonis Ornamentum, quô, quod pluribus dictum est, aut dici potuit, in pauciora redigimus.*

[*Detrahendo scil. quicquid potest, ut sola remaneant essentialia.*]

2. *Scopus est, ut nervosiùs loquamur, celeriùs eloquamur, penitremùsque acriùs.*

[*Ut enim Flumen in plures diductum alveos, tametsi suam quandam amœnitatem, interdumque usum habet, impetu tamen languescit; dum verò uno volvitur alveo, pleniùs volvitur: ita Oratio in multa verba diducta minùs robusta est, collectior validius ferit. Habetque*

hac laudem ex eo, quod quum nonnisi selectissima proferat, gemmarum prætia æquet, sapientisque animi index sit infallibilis.]

3. *Fit modis* Dilatationi *contrariis. Nempè* 1. Particularium *plurium ad unum generale reductione : ut , si pro* Aves, pisces , jumenta, *dicas* Animalia. *Hoc vocant* SYLLEPSIN. 2. Periphrasium *fugâ, expressionibusque simplicissimis : ut, si pro* Omnipotens rerum conditor , *dicas* , Deus. *Hoc vocamus* NUDITATEM. 3. *Resectionem Synonymorum, Epithetorum , Antithetorum, & sine quocunque res quomodocunque intelligi potest. Vocamus* ELLIPSIN.

4. Vitium in sermone contrahendo *est, quum aliquid essentiale tollitur, aut non necessarium relinquitur.*

[*Priori enim modo sensus redditur imperfectus, posteriori hiulcus, & inæqualis.*]

5. Virtus contrà est *essentialium tam nuda expressio , ut plùs hîc uno verbo, quàm aliàs integrâ Sententiâ ; & Sententiâ unâ plùs, quàm ambagiosâ oratione, dictum videatur.*

[*Tale est illud: En campos, ubi Troja fuit ! quàm brevis enim hæc est Urbis oppugnatæ, expugnatæ, succensæ, excisæ, dirutæ, non reædificatæ, ac velut à terra absorptæ, descriptio !*

II. De Abbreviandis Vocibus.

6. *Quoties Vox simplex haberi potest eodem sensu , aut brevior, illâ uti, quàm compositâ aut longiore, malis. Ut,* Sta , *pro* Subsiste ; Sic reor, *pro, Ita* existimo, *&c.*

7. *Quoties vox concîsa (boni Authoris exemplo comprobata) haberi potest, adhibeatur , ubicunque concisè loqui expedit. Ut sunt , quæ per* Aphæresin, Syncopen, Apocopen, Crasin, *abbreviantur. Vide Cap. IX. §. 5.*

III. Crasis Phraseôn.

8. *Phrasin duarum triumve Vocum redigere in Vocem unam, perelegans est : quia tum Voce unâ res duas trésve significamus.*

(*Ut cum pro,* Novus ager, *dicimus* Novale : *pro,* Cœli constitutio serena, Sudum, *&c. Cujusmodi contractio per omnes XV. Phraseologiæ Regulas locum habet : ostendemus id.*)

9. Ex Regula I.) *E duobus tribúsve ejusdem rei aut personæ Nominibus , unum usurpâsse sufficit. Ut pro,* Urbs Roma ; Urbs , *vel* Roma. *Pro,* Marcus Tullius Cicero ; Cicero, *vel* Tullius, *&c. Præsertim si alterum majestatem innuit.* Ut *Psal.* 21. 2. Rex , *pro* David Rex. Apostolus, *pro* Paulus Apostolus. Poëta , *pro* Virgilius Poëta, *&c.*

10. Ex

10. Ex Regula II.) *Genitivo expresso, alterum nomen dissimulatur, aut vicissim.* Ut, *Hector* Priami, *scil. filius.* Joh. 19. 25. *Maria Cleophæ, scil. uxor. Adolescentis est, scil. officium. Ire in* Martis, *scil.* ædem, *&c.*

11. Ex Regula III.) *Triplex hic est Crasis.* 1. Cùm reticetur nomen: 2. cùm Adnomen; 3. cùm ex utroque fit unum. *Nam,*

12. Quoties datur Epitheton eximium, *ac veluti rei, de qua sermo est, proprium,* Nomen reticeri potest. *Ut;* Prosa, *scilicet, Oratio.* Pugillares, *scil. Codicilli.* Bubula, *sc. caro.* Dextra, *sc. manus.* Annales, *sc. libri.* Cani, *sc. capilli.* Mortales, *sc. homines,* &c.

[*Obs. Idem fit, quum ex materia subjecta Nomen intelligi potest. Ut:* Paucis dicere (*verbis:*) Rectâ ire (*sc. viâ.*)]

13. Quoties autem Nomen per se aliquid emphaticum innuit, *plus dixeris, si ei nullum Epitheton junxeris.* Ut, Vir *esto!* (*pro, Vir fortis esto!*) Homo *sum* (*scil. fragilis.*) &c.

14. E Substantivo & Adjectivo fit unicum Nomen trifariam 1. *Cùm rerum numeri exprimitur voce unâ summariâ.* 2. *Cùm Adjectivum mutatur in Substantivum.* 3. *Cùm Substantivum includitur Adjectivo.*

[Exempla prioris, *cùm pro,* Dies septem, *dicimus* Hebdomades quatuor, Mensis: *pro* Menses 12. Annus: *pro,* Quinque anni, Lustrum: *pro* Centum anni, Seculum, *&c.*

Posterioris, *cùm pro,* Mons altus, *dicimus* Excelsum: *pro,* Cibi delicati, Deliciæ: *pro,* Viri primores, Primates: *pro,* Atramentum crassum, crassamentum: & *quum Vocula* Res, Negotium, *aut aliquid simile, intelligitur, Ut: Non est* dubium, *sc.* dubia res. De hoc *egimus, sc. proposito seu negotio,* &c.

Postremi, *cùm multa talia exprimimus per Adjectivum plurale neutrum, Dicimus enim pro,* Res omnes, Omnia: *pro,* Res bonæ & malæ, bona & mala, *&c.*

15. Ex Regula IV.) *Adnomen aptitudinis eleganter dissimulatur, Dativo Gerundii manente. Ut, Plin. Charta emporeutica* non est scribendo, *scil. apta. Semen exoletum non est serendo,* (*scil. utile, Idem.* &c.

16. Ex Regula V.) *Comparativus & Superlativus eleganter ponuntur solitariè. Ut,* Tristior, tristissimus. *Integrè esset,* Tristior aliis, *vel, quàm aliàs. Tristissimus omnium, vel, inter omnes.*

17. Ex Regula VI.) *Quoties Nominativus aut Verbum finitum*

omitti potest, omittatur. *Vt*, Ecce nuntius! *scil. adest*. Nulla dies sine linea, *sc. abeat*. Audi, *tu:* loquar, *ego*, &c.

(*Obs. Omittitur autem Nominativus eleganter. cum ex praecedentibus notus est: & cum agens nescitur*, &c. *Vide Grammaticam Janualem. Verbum autem* 1. *in Responsione*. Ibisne? *Non ego, sed ille, sc.* ibit. 2. *Cum sententia nota, ut Adagium, Opus non habens nisi innui; ut* Lupus Agno *sc. aquam turbat, vel turbavit*, &c.

18. Ex Regula VII.) *Dativus dissimulatur subindè*. Ostende, *quaeso scil. mihi*. *Audi*, loquor, *sc.* tibi, *&c*.

19. Ex Regula VIII.) *Accusativus aliàs omittitur, concisè loquentibus; aliàs Verbum.*

Prioris exemplum in illo Diogenis *ad Antisthenem, baculum intentantem*. Caede, modo doce: (me; *scilicet*) *Posterioris in illo Virgilii*, Me me, *adsum, qui feci*; *scil.* videte, vel prehendite.

20. Ex Regula IX.) *Ablativus instrumenti raro expressè ponitur*. *Nam verbis* Ambulo, Pugno, Scindo, Findo, Scribo, *&c*. *quid addi opus, pedibus, manibus, cultro. cuneo, calamo*, &c. *intelliguntur enim.*

[*Obs. Quaedam Ablativum occultiùs dissimulant. Ut* Teneor, *pro debeo: subintelligitur enim* teneri lege, *seu* officiō, *aut* conscientiâ.]

21. Ex Regula X.) *Verbis, quae* Scire, Velle, Posse, Conari *significant, suaviter Infinitivus subtrahitur*. *Vt*, Scit fidibus, *sc.* canere. *Multum* vellet, *non multum* potest, *scil.* praestare. Conari *extrema, scil.* efficere.

22. Ex Regula XII.) *Adverbium quandoque elegantiùs omittitur, quàm adhibetur*. *Vt*, Non canit, boat: *rotundiùs dixeris, quàm Non* canit suaviter, *&c*.

23. Ex Regula XIII.) *Adnomini vel Adverbio per se emphatico Adverbium elegantiùs non additur*. Ut *Psal*. 92. 6. Vir stultus *non intelligit*: *frustrà addas*, Valdè stultus, *&c*.

24. Ex Regula XIV.) *Praepositionum ellipsis crebra est concisè loquentibus*. *Vt*, Id *succenset*, *pro*. Ob id. *Annos natus quadraginta*, *pro*, Ante Annos, *&c*. *Videndum autem, quid ferat usus.*

25. Ex Regula XV.) *Conjunctionum ellipsis elegans est. Vt*, Plùs, *vel* minus. Nolens Volens, *seu volens seu nolens*, &c.

IV. Crasis Sententiarum.

26. Simplex Sententia *fit contracta*, *ubicunque aut Nomen aut Verbum, aut Copula, omittitur*. *Vt*, Audio, *scil. ego*. Nulla salus bello, *est*. Asinus ad lyram, *sc. ineptus est*, &c.

27. *Sententia* interrogativa *contrahitur particulis interrogativis omissis.* Ut *Terentius*; Melius pejus, Prosit, obsit, *nihil vident*: *pro*, *melius*, ne an *pejus*; *utrum prosit*, *an obsit*, &c.

28. Sententia copulata *eleganter effertur per asyndeton.* Ut *Cicero*; Abiit, excessit, erupit, evasit.

(*Specialiores modos observa.* 1. *In copulandis duobus Nominibus loco* ET, *pone* CUM. *Ut, Jura dabant populo* Remo cum fratre Quirinus: *id est*, Quirinus & Remus *frater*. 2. *Inter duo Adjectiva alterum transit in Adverbium. Ut*, Ingeniosus & diligens: *dic* Ingeniosè diligens. 3. *Inter duo Verba prius effer Participialiter*: Vigilat & somniat; Vigilans somniat. *Excruciavit* & *enecavit*, excruciatum enecavit. 4. *Quando activa concurrunt tria, licebit (abjectis copulis) primum permutare Participio, secundum Gerundio. Ut si quis dicat*: Cicero facultati Oratoriæ à juventute vacavit, *eoque*, incredibili suavitate peroravit; *&*, patrocinio suo multos servavit, *tu sic poteris*: Cicero facultati *Oratoriæ* vacans, *incredibili suavitate* perorando *multos* servavit, *&c*.

29. *In* Sententia Disjunctiva, *si particulam Disjunctivam alteram omiseris, aut utramque; suavitatem addideris. Ut si pro Græco illo*, ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι, aut bibe, aut abi, *dicas* Bibe, aut abi. *Pro*, sive velis, sive nolis, ; velis, nolis, *&c.*

[*N. B.* Velis, nolis, fiet: *tribus verbis inclusa est trina Sententia.* 1. sive Tu velis. 2. sive Tu nolis. 3. Illud tamen fiet.]

30. *In Sententia Concessiva alterutram particularum omitti liberum est. Ut Cicero priorem hic*: Qui nondum liberâ Civitate, tamen populi comitiis liberatus est; *pro*, Qui *quamvis* nondum, *&c. Posteriorem idem ille in hac Sententia*: Licet omnes undique *terrores* periculaque impendeant, succurram; *pro*, *succurram* tamen.

31. Rejectivæ Sententiæ *Crasis duplex est. Prima, ubi plura singularia negantur uno plurali. Ut cùm pro*, Nec ego nec tu, *dico*; neuter nostrûm. *Secunda, ubi duorum Adnominum in contraria mutatorum alterum ponitur Adverbialiter. Ut, si hoc, Puer* nec ingeniosus nec diligens, *sic efferas, Puer* stupidè negligens.

32. Adversativæ Sententiæ *Conjunctio non ingratè reticetur. Ut si in* Non hoc volo, sed illud, *omittas* sed. *Ita Cicero*: Tantum cibi & potionis adhibendum est, ut reficiantur vires, non opprimantur; *pro*, *non* autem, ut *opprimantur*.

33. Sententia Comparativa *reducitur ad simplicem, si omissâ particulâ* quàm *vel* atque, *cæteras voces aliquo modo mutes. Ita enim illud Sallustii*, Emori per Virtutem præstat, quàm per dedecus vivere,

vivere, *efferre licebit*, Mors honesta præstat indecoræ vitæ.

34. *In* Sententia Conditionali *particula* Si *omitti potest*: primùm, *efferendo sententiam interrogativè*: secundò, *Verbum voluntatis aut studii permutando Participio.*

[Prioris *exemplum*: Si quis negat, nego; si ait, aio. *Quod* Terentius *Ellipticè extulit*: Negat quis? nego: ait? aio. *Obs. Idem tamen Poeta aliàs non interrogando omisit*: Unum cognôris, omnes nôris: *pro*, Si cognôris, *&c*. Posterioris: Si cupis scribere *carmen, tu dic* Scripturus carmen lege *Virgilium*, &c.

35. Sententia Exceptiva *eleganter Verbum prius omittit*. Ut *Suetonius*, Nihil aliud quàm vectabatur; *pro*, nihil aliud agebat, quàm, &c.

36. Notificativa *usitatè contrahitur, omisso* quòd, *Verbo autem posteriore mutato in Infinitivum*. Scio, quòd ità sit: scio, ita esse.

[*Notandum verò Infinitivum quandoque eleganter efferri Participialiter*. Nuntiant eum venire; *vel*, nuntiant venientem, *&c*.

37. *In* Relativa Sententia *reticetur particula relativa* 1. *sæpiùs antecedens*, 2. *rariùs subsequens*, 3. *rarissimè utraque*. Ut, 1. Est, qui te conventum *cupit*: *pro*, *est* quidam, qui *&c*. 2. *Urbs antiqua fuit*, Tyrii tenuère Coloni; *pro*, quam *Tyrii tenuerunt*. 3. Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam: Nullus ad amissas ibit amicus opes, *Ovid*. (*Id est*, sicut *Formicæ*, &c. ita *amici*, &c.)

[*Obs. Speciale est, quòd in quibusdam Adnominibus copulatis prius membrum dissimulat Verbum. Ut Hor.* Immane quantum discrepant. id est, Mirum quantum valet, *&c. subintellige*, Immane est - mirum est, *&c*.

38. *Similiter & aliæ Sententiæ* Crasi *certâ delectantur*; *quod usu observandum relinquimus*.

V. Crasis Periodorum.

39. Prima *est*, *cùm Periodus trium quatuorve membrorum in bimembrem vel unimembrem contrahitur*.

40. Secunda *fit per Asyndeton perpetuum*, *cujuscunque Sententiæ compositæ respectu*: *ut in illo Cæsaris*, Veni, Vidi, Vici.

[*Potest enim tum* Copulativè *intelligi*, Et veni, & vidi, & vici: *tum* Adversativè, Non tantùm *veni & hostem vidi*, sed & *vici*: *tum* Relativè, Quàm subitò *veni & vidi*, tam subitò *vici*, &c.]

41. Tertiò, *Climax contrahitur Verbo quovis præcedente in Participium mutato*. *Ut*, *si pro*, Deus hominem, quem sub rerum exortum creavit, totoque rerum cursu conservat, tandem etiam rerum scenâ sublatâ salvabit; *breviùs dixeris*, Deus hominem creat, creatum servat, servatum salvat.

42. Quartò, *cùm quid fuisse, sed defecisse, ac desiisse, breviter significare volumus, utimur simpliciter præterito. Vt Virgilius*, Fuimus Troës. *Ovidius.* Et nos floruimus! (sed flos fuit illa caducus.) *Catull.* Fulsêre quondam candidi tibi dies, *&c. Quo eodem sensu usurpamus*, Fuit, Vixit, Habui, *&c. pro*, Non est, Mortuus est, Amisi, *&c.*

[*Huc facit, si quid, quod in aliud degeneravit, non recensendo, quibus viis eò ventum sit, ultimâ tantùm deformitate visendum sistatur, ut Virgilius*, En campos, ubi Troja fuit! *Et Deus de protoplastis ironicè:* Ecce Homo quasi unus de nobis! *&c.*]

VI. Orationis brevis (sive Laconismi) Leges.

43. *Notabis*, Sermonis brevitatem ita *Laconismum* dici, *ut aliud sit breviter, aliud* Laconicè, *loqui.*

[*Brevis Sermo rudis etiam esse potest:* Laconicus *nisi prudens, acutus, argutus, non potest.* Brevis *erit, qui pauca dicit:* Laconicus, *qui multa paucis. Sive, qui* plus dicit, quàm dicit: *eoque* dicit etiam, quæ non dicit.]

44. *Dum ergò* Laconicâ *brevitate scribere vis aut loqui; hæc observa;*

45. *I.* Res loquere, non Verba; si res desunt, tace.

[*Cùm totius* Eloquentiæ, *tum inprimis* Laconismi *fundamentum est*, Rerum notitia, *à Mente ad Mentem propaganda. Sine profundo sensu Oratio garritus est, non Oratio: Rerumque respectus usque adeò prior est in Sermone quàm verba, ut* Seneca *dicat*, Se digito malle ostendere quid velit, quàm verbis, quoties id fieri posset. *Verba enim tam rem obtegere possunt, (præsertim multa) quàm detegere: pariuntque, si res in luce non sistitur, tædium: Contra* Exiguis rebus *(etiam Sermoni)* gratia major inest.]

46. *II.* Non omnia necessaria, sed tantùm maximè necessaria, exprimere labora: reliqua retice.

47. *III.* Imò hiatus etiam relinque: modò prudenter, ut mens iis transiliendis (*facili conjecturâ sensum assequendo*) sufficiat.

48. *IV.* A merismis, periphrasibus, iterationibus, commorationibus, digressionibusque, penitùs abstine. *Dic scapham scapham, nec aliud, semel, non pluries.*

49. *V.* Utere insuper Ellipsibus, ubi datur: tum respectu totius Orationis, tum partium. *Ibi autem* 1. tum ab initio, *ordiendo sine exordio:* hoc est, *abruptè inchoando:* 2. tum in medio, *non multis molliter suadendo, aut sensa circumloquendo, sed insperatâ parrhesiâ rem exponendo:* 3. tum in fine, *abruptè desinendo.*

50. *VI.* Periodis, Sententiis, Phrasibus & Verbis, simplicibus

bus potiùs quàm compositis (*ubicunque illæso sensu potest*) *utere*: *à Periodico prorsus abstine*.

51. *VI.* Synonymiis, Epithetis, Antithetis, (*nisi prorsus aliter nequeas*) nullus sit locus.

52. *His ritè observatis, brevis esse poteris, nec obscurus, & tamen satisfacere proposito: quod artis est.*

CAPUT IX.

FIGURA in genere quid, 1. Figura Vocis. 4. Phrasis, 8. Sententia, 19. Periodi. 33. integra Orationis, 46.

I.

Figura, *est Sermonis simplicis in affectuosum commutatio.*

[*Per exclamationem scilicet, aut interrogationem, aut Sermonis aliò aversionem, aut aliam transformationem, Græci vocant* Schema, *id est, habitum: quia ut homo alio Vestitûs habitu alius ferè videtur, ita Sermo, Cicero vocat* Verborum & Sententiarum lumina.]

2. Virtutem *ac emphasin singularem habent* Figuræ, *appositè usurpatæ; ineptæ, Sermonem faciunt ridiculum.*

3. *Figuratur autem in Sermone* 1. Vox, 2. Phrasis, 3. Sententia, 4. Periodus, 5. Oratio.

II.

4. *Figura in VOCE inusitatè prolata, specialiter dicitur* METAPLASMUS: *quando Vox patitur Literæ aut Syllabæ vel* 1. defectum, *vel* 2. redundantiam, *vel* 3. aliam aliquam mutationem.

5. Defectus *est*	*ab initio vocis: ut in* Temnere *pro Contemnere*,	*Dicitur*	Adphæresis, *ablatio.*	1.
	in medio: Dix-ti *pro* Di-xi-sti.		Syncope, *concisio.*	2.
	in fine. Nihil *pro* Nihilum.		Apocope, *abscißio.*	3.
	ubiubi: Rogâsti, *pro Rogavisti*; Dî, *Dii.*		Crasis, *contractio.*	4.
6. Redundantia *est*	*ab initio*, Gnatus, *pro natus:* Tetuli, *pro tuli.*	*Dicitur*	Prosthesis, *appositio.*	5.
	in medio, Induperator, *pro imper.* Mavors, *pro Mars.*		Epenthesis, *interpositio.*	6.
	in fine, Di-ci er, *pro dici.*		Paragoge, *protractio.*	7.
	ubiubi, à divisione syllabæ: Su-a-vis, *pro Suavis.*		Diæresis, *divisio.*	8.

7. Mu-

7. Mutatio *est*
- *Literæ in literam.* *Ut* Olli, *pro Illi,* Aula, *pro Olla.* — *Dicitur* Antistœchon, *lit. pro lit.* 9.
- *Ordinis syllabarum:* I-præ, *pro* Præi. — *Dicitur* Metathesis, *transpositio.* 10.
- *quantitatis syllabæ*
  - *longa in brevem* Stéterunt, *pro* *stetérunt.* — *Dicitur* Systole, *correptio.* 11.
  - *brevis in longam* DI-a-na, *pro* DIana. — *Dicitur* Diastole, *productio.* 12.
- *continuitatis in voce*
  - *una dissecta: ut* Quo-me-cunq; *pro quecunq; me:* — *Dicitur* Tmesis, *dissectio.* 13.
  - *bina coadunata: ut* *Semper-Deus, pro sempiternus Deus.* Ante-malorum. *pro præteritorum malorum, &c.* — *Dicitur* Hyphen, *coadunatio.* 14.

III.

8. *Quâ ratione Phrasis figurari possit, & soleat, ostendemus Regularum syntacticarum exemplo.*

Ex Regula I.

9. Emphaticum *est, idem de seipso dici, seu affirmatè seu negatè.* *Ut*, Homo homo: Vir verè Vir: Rex esto rex, *&c.* *Rursumque*, Homo non homo: Vir parùm Vir: Rex non rex, *&c.*

[*Huc facit* Epitheton allusivum*: sive alludat ad sonum vocis, sive ad significationem rei, quam laudare vel vituperare instituimus. Prioris exemplum sit: Augustinus*, augustus *ille pater. Ambrosius,* ambrosiâ *suavior. Petrus non satis se probavit* petram, *&c. Posterioris: Abraham,* pater *ille* multarum gentium *(istud enim nomen Hebræum significat.) David,* deliciæ *cordis Dei. Juellus noster,* gemma *Theologorum. (Sic Anglus quidam de* Iuello*: quod nomen illis gemmam significat. Vide Cap. VI. Sect.* 41.]

Ex Regula II.

10. *Pulchrum est idem Nomen sibiipsi jungi in Genitivo. Vt*, Rex regum: Lex legum: Homo *paucorum* hominum, *&c.*

[*Obs.* 1. *Interponi solet aliud nomen, laudis aut vituperii. Ut:* Rex *splendor* regum: Lex *norma* legum: Homo *decus* hominum: Philosophus *sidus* philosophorum, *&c. Atque tum Nomen prius omitti gaudet*: Splendor regum; Decus hominum: Sidus eruditorum. *Vide Cap. VI. Sect.* 43.

Obs. 2. *Duo Adjectiva sic prolata si possunt inverti, summam habent suavitatem. Ut Cicero:* Scævola jurisperitorum eloquentissimus, *&* eloquentium jurisperitissimus. *Janus Cæcilius de Mersenne:* Religiosorum doctissimus, *&* doctorum religiosissimus, *&c.*]

Regula III.

11. *Figuratissimè Adjectivum resolvitur in Substantivum suum, effertúrque utrúmque copulatè.* Ut *Virgil.* Paterâ *libamus* & auro; *id est*, aureâ paterâ.

[*Obs. Imitari tutò licet, ubicunque angustiùs loqui libet. Vt*, Equum phaleratum *video*: Equum *video* & phaleras. En Virum & eruditionem. *Audi* Deum mandantem: Deum & mandata ejus. *Time Deum iratum*: Deum & iram ejus. *Ita Christus Luc.* 21. 15. *Dabo vobis* Os & Sapientiam, *pro* Os sapiens, *&c. Figuram hanc vocant* ἓν διὰ δυοῖν, Hendiadis.]

12. *Figurata item Phrasis est, cùm Adnomen Nomini à se formato (vel viceversâ) copulatur. Vt*, Magna magnitudo; Pulchra pulchritudo; Amœna amœnitas; Innumerus numerus, *&c.*

[*Qualibus Plautus delectatur, nec apud alios Authores ignota sunt. Vt apud Lucretium*, Anxius angor; Sonorus sonitus, *&c.*]

13. *Item cùm Phrasis invertitur. Vt*, Magna amœnitas, *&* amœna magnitudo: Eloquens sapientia, *&* sapiens Eloquentia, *&c.*

Regula IV.

14. *Pulchrum est, quoties Dativus esse potest similis principali Adjectivo. Vt*, Bona bonis, Mala malis, Magna magnis, *&c.*

Regula V.

15. *Figura hîc est, si Nomina duo casus permutent: ut*, Vagina *vacua* gladio: *pro quo Cicero dixit*, Gladius vaginâ vacuus.

Regula VI.

16. *Nomen & Verbum ejusdem originis suaviter copulantur. Vt*; Doctor docet: Discipulus discit: Rex regit: Pastor pascit, *&c.*

Regulæ VII. & VIII.

17. *Figurâ hîc est, si Dativus mutatur in Accusativum, & Accusativus in Dativum, Vt Virgilius*, Dare classibus Austros, *pro, dare* Classem Austro.

[*Naturaliùs enim dicimus*, Dare vela ventis, *quàm* Dare ventos velis: *quia ventos dat Deus, vela explicat Nauta*, &c.]

Regula XIII.

18. *Adnomini vel Verbo junctum Adverbium cognatum suaviter sonat. Vt*, Pulchrè pulcher. Fœdè fœdus. Fœdè fœdare. Pugnaciter pugnare, *&c.*

[*Obs. Sed major etiam inerit venustas, si epitheton* contrarium adhibeas. Ut, *Fœdè pulcher* (*invenustè venustus*) Indoctè doctus, Stultè sapere, *&c.*]

IV. Figuræ

IV. Figuræ Sententiæ.

19. *Omnis Sententia Indicativa efferri poteſt affectuosè per* interrogationem, *aut* exclamationem, *aut* averſionem, *aut* fictionem alius perſonæ *loquentis*, &c. *Ut hæc:* Deus creavit Mundum. Quis eſt, qui Mundum creavit, ſi non increatus ille? Ah vecordes, qui Creatorem in Creaturis non vident! Annon tu nos creâſti ô Deus? Ecce omnia in Mundo clamant: Non nos, Ipſe fecit nos, *&c.*

20. *Vocant* Figuras Sententiæ, *numerantque duodecim: quas ſic nôſſe & diſtinguere diſce:*

Figura Sententiæ mutat *vel*
- Modum loquendi, *ponens loco*
  - *indicativi,*
    - Interrogationem 1.
    - Exclamationem 2.
    - Parrheſiam 3.
  - *ſermonis continuandi: reſpectu*
    - *ſui*
      - Reticent. 4.
      - Revocat. 5.
    - *adverſarii.*
      - Conceſſionem 6.
      - Promiſſionem 7.
- perſonam
  - *alloquendam, in* Apoſtrophe. 8.
  - *loquentem, in* Praſopopœia. 9.
- alloquium *in colloquium*
  - *ſecum,* Deliberatio. 10.
  - *cum adverſario,*
    - Communicatio. 11.
    - Præoccupatio. 12.

21. Interrogatio *eſt, quum quod nobis dicendum eſſet, quid ſentiamus, dicendum offerimus aliis. Ut Mal.* 2. 10. Annon Deus unus creavit nos, *&c.*

[*Obſ.* 1. *Additur interrogationi, ſi quid majus, quàm præceſsit, ſignificare volumus,* Quid? quòd. *Ut,* Indoctus eſt: quid? quod ne proprium quidem nomen declinare novit? 2. *Gravior verò etiam efficitur interrogatio, ſi addas,* Bone Deus, quæſo te, malum! *&c.*]

22. Exclamatio (*magnum animi commovendi inſtrumentum*) *fit modis ſeptem ferè: per* 1. Admirationem. 2. Indignationem. 3. Optationem. 4. Deſperationem. 5. Objurgationem. 6. Irriſionem, 7. Imprecationem.

Exempla ſunto:

1. *ô faciem pulchram! oh clementiam!*
2. *ô ſcelus, ô peſtis, ô labes!*
3. *ô mihi præteritos referat ſi Jupiter annos!*
4. *ô fruſtra mei ſuſcepti labores! ô ſpes fallaces!*
5. *ô dementes Galatæ!* (*Gal.* 3, 1.)

6. ô ſtultos

6. ô stultos Camillos, Curios, Collatinos!

7. Dii deperdant fugitivo! ---*Careat successibus opto,*
Quisquis ab eventu facta notanda putat.

[*Obs. Exclamatio in fine rei narratæ specialiter dicitur* Epiphonema*: summam rei cum admiratione repetens. Ut Virgilius;*
Tantæ molis erat Romanam condere gentem.]

23. Parrhesia *est, quum rem invidiosam liberiùs, quàm sperari poterat, eloquimur. Ut Nathan ad Davidem:* Tu es Vir mortis, (*2 Sam.* 12. 7.) *Et hic rursum:* Peccavi.

24. Reticentia *est, cùm aliquid narrari cœptum abrumpimus, quasi affectum comprimentes, reverà tamen magis incitantes. Ut Terentius.* Ego te furcifer, si vivo (*scil. ulciscar, vel aliquid simile.*) *Virgilius,* Quos ego: sed præstat motos componere fluctus.

[*Obs. Hoc facit, dum quis dicit dicere se nolle, quod tamen dicit. Ut:* Tacebo nunc, quàm subdolè egeris, quàm iniquè hunc vel illum defraudaris, *&c.*

25. Revocatio *est, quum aliquid jam dictum revocamus, & idem hoc exprimimus aliter. Ut Terentius.* Filium habeo: ah quid dixi habere me? Habui! nunc habeam necne, incertum est. Vide istum hominem: si modò dicendus est homo, qui omnem exuit humanitatem. *Istius* fide, seu potiùs perfidiâ, *decepti sumus,* &c.

[*Obs. Revocationis nota sunt:* Imò, imo potiùs, Quin, imò verò, penè dixissem, *&c.*

26. Concessio *est, quum aliquod dictum adversario conceditur, tanquam nobis non nociturum, potiùs ipsi. Ut;* Esto, peccârim: at peccatum est humanum.

27. Permissio *est, quum alicujus facti datur licentia, sed cum comminatione.* Neglige pietatem, si ita placet, contemne Deum: sed tuo periculo; *vel,* sed senties vindicem, *&c.*

28. *Apostrophe* Aversio *est, quâ oratio ad alium se vertit, quàm quem alloqui cœpit: sive ad præsentem sive absentem; vivum aut mortuum; Deum vel Angelum, aut Angelos: vel etiam ad bestias, & res inanimatas.*

[*Ita Ecclesiastes peccata incusans populi, dicere potest:* 1. Si résurgeres Abraham, pater credentium: si patientissime Iob, *&c.* quid diceres? 2. Ignorate hæc de nobis Gentes infideles, ne propter nos blasphemetur nomen Dei inter vos. 3. Oculi tui, ò Deus, vident flagitia nostra; cohibe furorem tuum, ne absorbeas nos ut Sodomam, *&c.* 4. Spectatis confusionem nostram, ô Angeli: utinam erubescamus peccare in perpetua præsentia vestra! 5. Adeste vos Ciconiæ, vosque Asini & Boves, & ingratitudinem populi Dei redarguite exemplo vestro! 6. Audite Cœli, & auribus percipe terra (*Jes* 1. 2.) *&c,* 7. *Tandem insignis est Aversio,* dum

dum quis alloquitur seipsum: Ut si Cain dixisset, Redi ad te Cain. *Ita David Psalm. 42. v. 6, 7, 15. & alibi.*

29. Prosopopœia *est, quâ persona loquens alia introducitur: seu præsens seu absens, seu homo seu Deus, aut Angelus, aut quævis res inanimata.*

[*Ita Ecclesiastes pathetice in suorum scelera invecturus, dicere posset: Si resurgeret, & hic in medio nostri staret, Abraham* [*Job, David,* &c.) *diceret*: Non ita ego me gessi, non ita Deo refractarius fui, *&c.* 2. *Infideles ipsi condemnabunt nos die illo, dicentes:* Nobis non tam detecta fuit voluntas tua, ô Judex terribilis, atque istis. 3. *Audite Deum loquentem*: Méne non timebitis, popule stulte, *&c. Jer.* 5. 21, 22. 4. *Audite Angelos dicentes*: Nos conservi vestri sumus, si servatis Verba Dei (*Apoc.* 22. 9.) 5. *Non dubito, si Boves & Asini loqui possent, dicturos esse*: Nos agnoscimus possessorem nostrum, & præsepe Domini nostri; vos autem non agnoscetis? *&c.*]

30. Deliberatio (*seu* Addubitatio) *est, cùm ostendimus nescire nos, quomodo dignè satis rem efferamus.*

[*Ut Cic.* Quò me vertam? quid dicam? quid faciam? in hac rerum perturbatione. *Item,* Non invenio vocabulum, quo facinus tam atrox exprimam. Ingratitudinem dicam? sed hoc minus est. Scelus appellem? neque hoc satis exprimit facti atrocitatem, *&c. Ita eleganter quidam Literatum Bellatorem dilaudans addubitat*: Talis in Te Martis & Musarum temperies est, ut Marsne Musæus, an Musa Martialis sis, ignoremus.]

31. Communicatio, *est deliberatio cum aliis, ut Act.* 4. 19. Vos ipsi judicate, utrùm sit justum, vobis potius obsequi quam Deo? *&c.*

32. Præoccupatio *est, quâ, quid objici possit, ipsi monemus & respondemus.*

[*Formulæ sunt*: Sed objiciat quis: Dicat aliquis: An inquies? Cogitabit fortè non nemo, *&c. Sed respondeo: sed sciendum est: at istud nihil obstat veritati,* &c.]

V. Periodi Figuratio.

33. *Quoties in Periodo Sententiæ, Phrases, Voces, aut etiam Vocum syllabæ, occurrunt similes, vel quasi similes, non quovis modo acervandæ sunt, sed artificiosè dislocandæ, ad harmoniam quandam: sive in eadem Periodo, sive in pluribus sibi succedentibus.*

34. *Vocant vulgò* Figuras Dictionis, *sed meliùs* Figuras Repetitionis.

[*Quia totum hoc artificium in similium Repetitione consistit: nec autem sola dictiones repetuntur, seu Verba, sed & integra Phrases, adeoque Sententia: ut jam patebit. Sed & nota, Synonyma quoque hic, & Vocum species, pro similibus haberi, Ut.* Magne *Deus*, sancte *Deus*, misericors *Deus. Hic* Magne, sancte, misericors, *pro iisdem habentur, quia Adnomina sunt, Vocativi casûs. Orare* piè *orare* fervidè, *orare* incessanter. *Hic adverbia pro simili habentur, similiterque locantur.*]

35. Figuratum Repetitionis seriem ita concipe :

Repetitio est
- *inchoata, in*
  - Paranomasia, *hoc est, Allusione Vocis ad Vocem* 1.
  - Polyptoto, *hoc est, diversâ Flexione Vocis ejusdem.* 2.
- *perfecta. Ubi aliquid iteratur in Sententia,*
  - *eadem*
    - *continuè :* Epizeuxis. 3.
    - *in principio & fine :* Epanalepsis. 4.
    - *in principio & medio & fine :* Epanodos. 5.
  - *diversa in*
    - *fine præcedentis & principio sequentis :* Anadiplosis. 6.
    - *principiis :* Anaphora. 7.
    - *fine :* Epistrophe. 8.
    - *principio & fine :* Symploce. 9.
  - *Conglobata : in* Climace. 10.

36. Paranomasia, *est allusio Vocum (vel Phrasium & Sententiarum) similium ad significatas res similes. Ut,* Honos *dicitur, reverâ* Onus *est, gerere Remp.* Cui licet, quod libet ; *ei plerùmque* libet, quod non licet, *&c.*

37. Polyptoton, *est ejusdem Nominis aut Verbi diverso casu, aut tempore & modo, iteratio. Ut,*

Mors mortis morti mortem mors morte *redemit.*

In Veritatis Schola & vincere *&* vinci *pulchrum est,* &c.

38. Epizeuxis *repetit Voces, Phrases, Sententias, continuò.* Ut 2 *Sam.* 18. 33. Absolon mi fili, mi fili Absolon, *&c.*

[*Obs.* 1. *Potest quidem aliquid etiam interseri, sed leviculum. Ut.* Quæ *malùm* quæ *ista est dementia !* 2. *Suavissima inprimis est* Epizeuxis, *quum vox repetitur cum aliquo eximio epitheto ; seu affirmatè, seu negatè, seu dubitanter. Ut :* Deus, *semper*-Deus, *nunquam deserit suos.* Salomo, non sapiens ille Salomo, *sed degener.* Nero nondum Nero, *subscripturus condemnationi hominis ad mortem, optabat se nescire literas.* Origenes, *orthodoxusne dicam an hæreticus* Origenes, *non satis scio.* &c *Obs.* 3. *Artificiosa quoque est* Epizeuxis, *quâ conditio cum negato consequente exprimitur, Ut Ovid.*

Si nisi quæ facie poterit te digna videri,
Nulla futura tua est, nulla futura tua est.

Ad cujus imitationem dicere possis : Si nisi verus Christi imitator verus Christianus nemo est, nemo verus Christianus est.]

39. Epanalepsis, *est ejusdem Vocis aut Sententiæ in principio & fine repetitio.* Ut *Cicero.* Vidimus *victoriam tuam præliorum exitu terminatam : gladium vaginâ vacuum in Urbe non* vidimus.

Phosphore redde diem ! *quid gaudia nostra moraris ?*
Cæsare venturo Phosphore redde diem !

Ita Psalmum VIII. & CIII. & CXVIII, eadem Sententiæ & inchoant & claudunt.

40. Epano-

40. Epanodos, *est proximè antecedentium sonorum, duorum vel plurium, repetitio retrograda. Ut :* Non vivo, ut edam, *sed* edo, ut vivam. *Beatus est*, non qui habet, quæ cupit, *sed* qui non cupit, quæ non habet. *Item :* Quæ præsens locus & tempus exigunt, ego non calleo : quæ ego calleo, nec loco præsenti sunt apta nec tempori, *&c.*

41. Anadiplosis, *est ejusdem soni repetitio in fine præcedentis & initio sequentis Sententiæ aut Periodi. Ut : Somnio comparatur nostra* Vita. Ita *nimirum vana est ut* somnium : omnium *quippe vanitatum epitome*, &c.

42. Anaphora, *est repetitio ejusdem soni in principiis Sententiarum.* Ut *Cic.* Quid est, quod *possis defendere ?* quid est, quod *audeas postulare ?* quid est, quod *putes tibi concedi oportere ?* Anaphora integrarum Sententiarum est *Psalmo* 118. *v.* 8. *Et Jer.* 51. *v.* 20, 21, 22, 23, *&c.*

43. Epistrophe, *est repetitio ejusdem soni in clausulis Sententiarum. Ut* Cic. *Doletis tres Exercitus populi Romani esse interfectos ?* interfecit Antonius. *Desideratis clarissimos Cives ? eos quoque* eripuit Antonius. *Authoritas hujus ordinis afflicta est ?* Afflixit Antonius. *N.B.* Integrarum Sententiarum Epistrophe habetur *Psalmo* 118. *v.* 2, 3, 4.

44. Symploce, est concursus Anaphoræ & Epistrophæ; *hoc est, repetit sonos eosdem in principiis & clausulis Sententiarum. Ut :* Qui sunt, qui *fœdera sæpè ruperunt ?* Carthaginenses. Qui sunt, qui *crudele bellum in Italia gesserunt ?* Carthaginenses. Qui sunt, qui *postulant ignosci ?* Carthaginenses.

45. Climax, *est repetitio ejusdem soni in connexione gradata rerum.* Ut : *Quæ reliqua spes Libertatis manet, si illis, quod libet ;* licet, *& quod* licet, possunt ; *& quod* possunt, audent ; *& quod* audent, faciunt ; *& quod* faciunt, *vobis molestum non est ?* Climacis exempla in sacris sunt *Rom.* 5. *v.* 3, 4, 5. *& cap.* 10. *v.* 14, 15. *Et* 2 *Pet.* 1. *v.* 5, 6, 7.

VI. Oratio Figurata.

46. Hæc de *Vocum, Phrasium, Sententiarum, Periodorum*que

Figuris: quarum quantò plures in Oratione concurrunt, tantò affectuosiorem effici Orationem necesse est.

Caput X.

Sermonis LIGATURA quid, 1. *Quantitas Syllabarum*, 7. *Pedum ratio*, 30. *Versuum genera*, 34. *Disticha*, &c. 42. *Carmen, seu Poëma*, 45.

I.

Ligatura *est Sermonis ad numeros, mensuras, & pondera adstrictio.* [*Quod qui faciunt*, Poëtæ *dicti sunt.*]

2. *Sive per singulos saltem Versiculos*; *ùt fit in* Rhythmo: *sive per omnes usque Voces, & Syllabas*; *ùt in* Metro.

[Rhythmo *acquiescunt linguæ minùs cultæ, sicut &* Græca Romanaque *olim*: Metrum *summa artis est, quam illi assequuti* Rhythmum *deseruerunt.* Metri *itaque ratio potissimùm non ignoranda est Elegantiæ studiosis.*]

3. Scientiæ Poëticæ fundamentum *est* notitia Quantitatis *Syllabarum*, & *Pedum*, & *Versuum*, & *Carminum*, seu *Poëmatum.*

[*Respondent ista ornamentorum gradibus circa.* 1. Voces, 2. Phrases, 3. Sententias, 4. Periodos, 5. Orationem.]

4. Scientiæ *Poëticæ* structura *consistit in apta materiæ cantari-dignæ* Inventione, Dispositione, Eloquutione.

5. Perfectio denique ac virtus Carminis est *Inventionis*, *Dispositionis*, *Eloquutionis*que raritas & admirabilitas: *quæ excitet, delectet, moveat.*

[*Qualis in Poëtarum principe*, Virgilio, *potissimùm conspicua est*; *quem ideò* Scaliger Monstrum sine nævo, *suavissimâ Ironiâ, appellavit.*]

6. Vitium *contrà est*, Inventio nulla, *aut* diluta (*cùm* Res, Verba, Phrases, *vulgaria tantùm adhibeantur*:) *Dispositio autem obscura aut inelegans*; & *peccatum in* Metri *leges*. *Quas* Metri *leges jam disce.*

II. De Syllabarum Quantitate.

7. *Primum* Metri *fundamentum*, *Syllabarum cognitio est*, *quanta quæque sit. Sunt enim aliæ* breves, *aliæ* longæ, *aliæ* ancipites.

8. *Syllaba* brevis, *seu* correpta *est*, *quæ celeriter profertur*, *notaturque, ubi opus, sic* ˘ : *ut* Dĕ-ŭs.

9. Longa *seu* producta *est, quæ cum mora profertur, notatúrq; sic* ¯ : *ut* cōn-stāns.

10. Anceps

10. Anceps *seu communis, quæ & corripi solet & produci, notatúrque circulo ° : ut* Botrus.

11. Cognoscitur *autem Syllabarum quantitas*, 1. Regulis, 2. Analogiâ, 3. Authoritate.

12. Regulæ sunt vel communes, *de omnibus syllabis*; vel speciales, *de primis, mediis, ultimis.*

Regulæ communes.

13. Vocalis ante Vocalem brevis est, *ut* Dĕ-us.

[*Excipe* 1. *Genitivi & Dativi quintæ declinationis habent é longum : ut* diéi, *&c. præter* Fidĕi *&* Rĕi. 2. *Novem adjectivorum Genitivi in* ius *habent* i *anceps. Excipe quod, Corripit* Alterĭus *semper, producit* Alíus. 3. Fio *habet* í *longum, ubi non sequitur* r : Fíam, fíes, *&c. At* Fĭeri, fĭerem, *&c.* 4. *Græca retinent suam quantitatem,* á-er, dí-us, elegí-a, *&c.*

14. Bivocalis longa est : *ut* aúdax.

[*Excipe, si Diphthongum sequatur Vocalis, ut* præ-ire. *Jamque novi* præeunt *fasces,* &c. *item, subdibusque* præustis.]

15. Positio, *duarum Consonarum post Vocalem*, longa est. *Sive in eadem voce, ut* Amnis : *sive in diversis, ut* In me, Per te, *&c. Sic & litera duplex* áxis : baptízo, *&c.*

[*Excipe Muta cum liquida, sequentes, Vocalem naturâ brevem faciunt syllabam ancipitem. Ut,* Pătĕr, Pātris *vel* Pătris, *Hinc versiculus,*
Omne solum forti Pătria *est, mihi* Pātria *cælum.*]

16. *Omnis* Crasis *longa est. Ut,* Nîl, *ex* nihil : Cô-go, *ex* co-ago : Currûm, *ex* curru-um, *&c.*

Regula de Syllabis primis.

17. Præterita & Supina *bisyllaba priorem producunt : ut,* Móvi, mótum. Vídi, vísum; *tametsi à brevibus* Mŏveo, Vĭdeo, *&c.*

Excipiuntur tamen sex præterita, & decem supina : Bĭbi, dĕdi, fĭdi, scĭdi, stĕti, tŭli, *Et* ĭtum, quĭtum, lĭtum, sĭtum, cĭtum, dătum, stătum, sătum, rătum, rŭtum.

18. *Præpositio addita voci disyllabæ, ostendit (voce rectè pronuntiatâ) primæ quantitatem. Ut* Purus, *impúrus :* Probus, *improbus :* Pono, *compóno :* Fugio, *aúfuge,* &c.

[*Quia nempe media longa retinet accentum; brevis verò rejicit in antepenultimam.*]

19. *Præpositiones monosyllabæ,* Ab, ad, in, ob, per, super, re, sub, *in compositione breves sunt;* A, e, de, di, pro, se, *longæ. Ut,*

ăbit, ădit, ĭnit, ŏbit, pĕrit, rĕdit; áverto, éverto, déduco, díduco, próduco, séduco.

[*Excipe à* Di *brevia*. Dĭrimo, *&* dĭsertus; *item à* Pro, Prŏcella, prŏfanus, prŏtestus, prŏfundus, prŏfugus, prŏficiscor, prŏtervus. *Anceps verò est* Pro, *in* procurro, profundo, propago, propello, propino.]

Regula de Syllabis mediis.

20. *In Voce trisyllabæ mediæ quantitatem ostendit Accentus rectè pronunciantis. Ut*, Calígo, Cáliga; Coróna, Crápula, *&c.*

21. *Vocis plusquam trisyllabæ quantitatem ostendit reductio ad trisyllabam, si potest: ut* Caliginósus, *ad* Calígo; Dominátor, *ad* Dóminus, *&c.*

Regula de Syllabis ultimis.

22. *Desinentia in* a, e, b, d, t, l, m, n, r, is, us, *brevia sunt: ut*, Terră, Marĕ, sŭb, istŭd, capŭt, nihĭl, nequăm, fulmĕn, fulgŭr, orbĭs, longŭs.

[*Excipe* 1. *Monosyllaba ista*: A, me, te, se, sal, sol, pol, non, en, par, ne, *(prohibitivum)* ver, far, lar, cur, fur, glis, lis, vis, sus, mus, grus, rus, thus, jus, plus: *&* *bisyllabum* Virtus.

2. *Ab* A *excipiuntur Ablativi primæ Declinationis* (Terrá) *& Imperativi primæ Conjugationis*, (Amā) *&* Ergā.

3. *In* E *longa sunt* 1. Græca *nomina in* η, Epitomé, Logicé. 2. *Ablativi quintæ* Latinæ, Fidé, ré. 3. *Imperativi secundæ*, Docé. 4. *Adverbia*, Docté, recté, *&c. excipe* Benĕ *&* malĕ.

4. *In* N *&* R *longa sunt* Græca *in* ην, ων, ηρ, ωρ· *ut* Hymén, halcyón, æthér, rhetór.

5. *In* IS *longi sunt Dativi & Ablativi plurales*: Sylvís, lignís. 2. *Secunda persona Conjug. quartæ*, audís. 3. *à* volo, vís, velís, nolís, malís.

6. *In* US *longi sunt Genitivi singulares & omnes Casus plurales quartæ*. Fructūs, hujus fructús, hi fructús, hos fructús.]

23. *Desinentia in* i, u, c, as, es, os, *longa sunt. Ut* Dominí, patrí, tenuí, verú, lác, bonás, legés, flós.

[*Excipe ab* I, 1. *Vocativos Græcos*, Alexĭ, Parĭ. 2. *Latina*

Nisĭ

Nisĭ & quasĭ. 3. Mihi, tibi, sibi, ubi, ibi, *ancipitia.*

2. A C, Nĕc & donĕc, *brevia*; Fac & hic *pronomen, ancipitia.*

3. *Ab* As *Græca, crescentia per* ădos, & *Accusativos plurales: ut* Pallăs (*ădis*) Heroăs.

4. *Ab* Es, *quæ Genitivo crescunt:* Milĕs milĭtis, &c. Ariés *tamen,* pariés, pés, compés, *retinent longum* és.

5. *Ab* Os *excipe* ŏs ossis, & compŏs (*compŏtis.*) *Ita* Græca *per* os *breve, ut* chaŏs.]

24. O *finale anceps est: ut,* Maro, caro, quando, ego, ergo.

[*Excipe* 1. *monosyllaba* Do, sto, flo, no, ô, pro. 2. *Dativos & Ablativo secundæ,* Dominô. 3. *Adverbia:* Falsò, citò, &c.]

25. *Hæc de Regulis.* Analogia *docet quantitatem syllabarum in terminationibus vocum* derivatarum, compositarum, declinatarum, conjugatarum. *De similibus enim simile est judicium.*

[*Ut*; *quia dico* Ocul-átus (*penultimâ longâ*) *quidni* & capit-átus, pedátus, ocreátus, &c. *Si* Frugĭfer, (*penult. brevi*) *quidni* & pómifer, báccifer, ármiger, sígnifer, fúrcifer, &c. *Si* Pátribus: *quidni* & mátribus, frátribus, sorórìbus, &c. *Si* Legérunt; *quidni* & scripsérunt, &c. *Ergò* Analogiæ exempla rectè in *Lexico* & *Grammatica* didicisse, est Poëseos fundamenta jecisse.]

26. *Derivata sequuntur quantitatem primitivorum. Ut* ămo, ămicus, ămasius, &c.

[*Excipe* 1. *A primitivis brevibus quædam derivata primam producunt. Ut* à Vŏco, *Vox vócis:* à Lĕgo, *Lex légis:* à Rĕgo, Régula, & *Rex* régis. *Sic* Tégula, à *Tĕgo*: Sédes, à *Sĕdeo*: Júnior, à *Jŭvenis*: Mácero, à *Măcer*: Stĭpendium, à *stĭpe*: Státutus, à *stătum*: Láterna, à *Lăteo.*

2. *A longis primitivis brevia fiunt:* Dux dŭcis, à *Dúco*: Dĭcax & dĭcus (*in compositis,* maledĭcus, &c.) à *Dico*: Fĭdes, à *Fido*: Sŏpor, à *Sópio*: Nŏto, à *nótu*: Năto, à *nátu*: Vǎricosus, à *várix*: ŏdium, *ab ódi*: Lŭcerna, à *lúceo.*]

27. *Composita simplicium quantitatem sequuntur. Ut,* ămo, *redămo.* Lego, *elĭgo,* &c.

[*Excipe,* Innŭba, Pronŭba; Deiĕro, peiĕro à *longis*, Núbo, Júro. Connubium *anceps est.*

 2. *Com-*

2. *Contrà*, Utique, siquidem, videsis, valedico, *ultimam simplicium longam corripiunt*, &c.]

*28. Authoritatem *vocamus exemplum ex Authore classico citatum, de syllaba quantitatis dubiæ.*

[N.B. *Voces dubiarum syllabarum, & quarum quantitas non aliundè quàm authoritate cognoscitur, labore utili collegit* Henricus Smetius. *Notabis autem Authores quandoque licentiâ Poëticâ producere aut corripere syllabas, quod imitari non sit tutum. Ut Virgil.* Exercet Diana choros. *Item* Liminaque laurusque Dei. *Et Obstupui*, stetĕruntque *comæ*, *pro*, stetérunt, *&c.*]

29. *In nominibus propriis primam & mediam syllabam, Authores liberè usurpant, prout numeris suis quadrat.*

[*Ex. gr.* Italus, Orion, Priamus, *primâ longâ vel brevi.* Batávius, *vel Batăvus:* Busíris, *vel Busĭris:* Cybéle, *vel Cybĕle:* Díana, *vel Dĭana*, &c. *mediâ longâ vel brevi.*]

III. De Pedibus.

30. *PES est certus syllabarum, brevium & longarum, complexus.*

[Pedes *dicuntur dimensiones istæ, quia super illos Versus, ut Animal super pedes, currunt.*]

31. Pedes primarii *sunt octo: quatuor bisyllabi, totidem trisyllabi. Nempè,*

1. Pyrrichius, *è duabus brevibus, ut* Dĕŭs.
2. Spondæus, *è duabus longis:* præstáns.
3. Iambus, *è brevi & longa:* rĕcéns.
4. Choreus (Trochæus,) *è longa & brevi:* Armă.
5. Tribrachys, *è tribus brevibus:* Dŏmĭnĕ.
6. Molossus, *è tribus longis:* Vírtútés.
7. Dactylus, *è longa & duabus brevibus:* Díscĕrĕ.
8. Anapæstus, *è duabus brevibus & longa:* Vĭgĭláns.

[*Sunt & alii pedes, trium, quatuor, quinque, sex pedum, ad* 124. *quos Grammaticorum otiosa curiositas commenta est: sed sufficit hos octo scire.*]

32. *Nota hîc duo:* 1. Vocalis ante Vocalem eliditur, *ut è duabus syllabis fiat una. Ut*, Difficile est.

[q. Dif-

[*q.* Difficil' est. *Non solum autem in diversis vocabulis, sed & in eodem: ut,*

Sum comes ipse tuus, timidique antè ambulo Regis,
Nunc praecedentem sequitur, nunc praevius anteit.]

33. 2. *Eliditur verò etiam* m *finale, cum sua Vocali: ut* Sincerum est nisi vas: *q.* sincer' est.

[N. B. *Aliquando tamen* elisio *omittitur, hîc & illîc: ubi Vocalis longa ante Vocalem fit brevis, nec id tamen semper.* Ut,

1. *Et longùm formose vale,* vale inquit *Iöla.*
Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt.
2. *Ter sunt* conati imponere *Pelio Ossam.*
3. *Semina sëque simul* cum eo *commiscuit igni.* Lucret.
Digna sum, & *cupio, &c.* Ovid.

IV. De Versibus.

34. *Versus est certus pedum complexus, duorum, trium, quatuor, quinque, sex.*

[*Pedum enim numero distinguuntur, ut* Dimetri *(q. d. duarum dimensionum,)* Trimetri, Tetrametri, Pentametri, & Hexametri, *dicantur.*]

35. Versus Dimeter *est* Adonicus, *constans, è Dactylo & Spondeo, vel Trochaeo: ut* Pēllĕ tĭ mōrem.

36. Trimeter *est* Glyconicus, *è Spondeo & duobus Dactylis: ut* Mœce - nas Equi - tum decus.

37. Tetrameter *est* Asclepiadeus, *è Molosso, Anapaesto, & duobus Dactylis:* Dignum lau - de virum - Musa ve - tat mori.

38. *Pentameter Versus est vel*

1. Phaleucius, *è Spondeo, Dactylo, & tribus Choreis:*
Vitam - quae faci - unt be - ati - orem.
2. Sapphicus, *è Choreo, Spondeo, Dactylo, Choreisque duobus:*
Inte - gĕr vi - tae scĕlĕ - risque - purus.
3. Elegus, *è bino Dactylo vel Spondeo, & syllaba; duobúsque Dactylis & syllaba:* Vulgus a - miciti - as - utili - tate pro - bat.

39. Hexameter *Versus usitatissimus est* Epicus, *seu* Heroicus, *è quatuor Spondeis aut Dactylis, quinto Dactylo, sexto Spondeo aut Trochaeo:*

ibæo. Nulla sa - lus bel - lo pa - cem te - poscimus - omnes.

[N.B. *Quinto loco etiam, sed rarò, Spondeus est præcedente Dactylo:*
Chara De - ûm sobo - les mag - núm Jŏvĭs - incré - mentum.

40. Hexameter item est Iambicus, *sex constans Iambis: aut temperatus (imparibus locis) Spondeo:*

Suis - & ip - sa Ro - ma vi - ribus - ruit.
Quid ob - sera - tis au - ribus - fundis - preces?

41. *Hæc sunt usitatissima Versuum genera. Vbi observa, quàm pulchrè Versum decoret* cæsura; *ubi Vocis pars in hunc, pars in alium incidit Pedem.*

[*Vbi cæsura nulla est, singulique pedes singulis absolvuntur Verbis, ridiculus fit Versus: ut,*

Nuper - quidam - doctus - cœpit - scribere - versus.

Fac cæsuram, mox emendaveris:

Nuper e - rat do - ctus cœ - pit qui - scribere - versus.

V. Ligatura Periodi.

42. *Integra Periodus absolvitur* Disticho, Tristicho, Tetrasticho *(hoc est, 2, 3, 4. Versibus.)*

43. Distichon *usitatissimum fit ex Hexametro & Pentametro: qualibus Ovidius utitur. Vt,*

Principiis obsta: serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

44. Tetrastichon *celebratissimum est Sapphicum, ubi tribus Sapphicis additur Adonicus. Vt,*

Integer Vitæ scelerísque purus,
Non eget Mauri jaculis nec arcu,
Nec venenatis gravidâ sagittis,
Fusce, pharetrâ.

VI. Integra Poëmata.

45. *Cùm* Poësis *ad describendas Artes, vel Historias, rerúmque Encomia, & laudes Dei, adhibetur,* Poëmata *vocamus: tantò suaviora, quantò rarioribus scatent inventionibus, illustrioribusque enitent expressionibus.*

[*Rectè* Erasmus: Poëtica est placenta, deliciis condita, ex omni

omni disciplinarum genere. *Exsultant inprimis Poëtæ novis Inventionibus, Tropis & Allegoriis, Figurisque omne genus, Græcismis item,* &c. *ut omnia sint quàm maximè luminosa.*]

46. Carmine Rhythmico (*seu* Rythmo metrico) *usi quoque nonnulli sunt eleganter. Vt est Psalmus* 117. *sic iambo & rhythmo expressus,*

Gentes - vaca - re lau - dibus
Dei - piis - que plau - sibus:
Constans - enim - benig - nitas,
Et sem - piter - na ve - ritas,
Ejus - fovet - nos & - regit
In se - culum - que pro - tegit.

47. *Observa tandem*, Numerum etiam in Oratione prosa delectare, *præsertim in principio & fine Periodorum, tametsi non tam strictè observetur.*

[*Poëticus numerus certis adstringitur Pedibus, Pedumque numero & ordine: Oratorius liberè fluit, jam hoc jam illo adbibito Pede, sed non usque in Versum continuato, nisi si quando incogitantibus excidat. Vt* Tacito, *historiam ab hexametro inchoanti*, Urbem Romam à principio Reges habuére.

48. *Summa est: ut* Periodorum initia, & clausulæ longæ adhibeantur in rebus severis; breves & concitatæ in exhortationibus; in mediocribus temperatura sit. *Vbique autem commendantur voces plurium syllabarum, inter quas excellit* Dichoreus - ᴗ - ᴗ .

[*Refert* Cicero, *sæpiùs se vidisse Conciones exclamantes, quum Verba aptè cecidissent: ut cùm C. Carbo diceret,* Patris dictum sapiens temeritas filii cómprŏbávit. *Ecce enim Dichoreus! Quæ verba si invertantur, periit venustas.*]

CAPUT XI.

De Exercitiis Styli elegantis, eleganter instituendis.

***In exercitiis Styli antiquorum diligentia, 2. Ordine in illis opus duplici, 3. Primo respectu novem Ornamentorum, 4. &c. Tum respectu quinque graduum, 16.** &c.*

V*Idisti* Elegantiarum *fontes: jam indè rivulos deducere disce, præceptionibus in exercitia sic translatis, ut rem quamcunque vel infinitis variare queas modis.* [*Nam*

[*Nam sicut eidem Ceræ aliud atque aliud imprimi potest sigillum, ita eidem Sermoni varia induci forma.*]

2. *Præiverunt hic diligentiæ exemplo antiqui, levioribus velitationibus ad Eloquentiam præexercitando sese, quàm exercerent ipsammet.*

[*Notum est,* Ciceronē *adeò huic exercitationi indulsisse, ut cum Mimo Roscio certare solitus sit, utrùm hic sæpiùs eandem Sententiam variis gestibus effingere, an ipse per eloquentiæ copiam Sermone vario exprimere, posset. Et* Virgilii *admiranda cujusdam diligentiæ aliquot exstant experimenta,* de Speculo, de Fluvio gelu concreto, de Iride, de Solis exortu, de quatuor Anni partibus, de duodecim signis Cœlestibus. *Quæ satis ostendunt, non tantum fuisse futurum Maronem, nisi tanta ejus fuisset circa tirocinia, & quasi ludicra exercitamenta, industria. At non variando tantùm lusus iste fuit Authoribus, sed & dilatando, rursumque contrahendo:* dum rem eandem nunc ita cohibent (*inquit Erasmus*) ut adimere nihil queas; nunc ita locupletant, ut nihil possis adjungere. *Imitanda ergo nobis quoque hæc industria.*]

3. *Exercitatio hæc non difficilis erit, si gradata erit: juxta seriem, &* Ornamentorum *&* Pensorum.

[*Hoc quid sit, si non intelligis, relege Capitis* 1. *Sect.* 18. *&* 20.

4. Sermo enim purus, puraque Latinitas, *firmum ponet omni* Elegantiæ *fundamentum.*

[*Juxta illud Erasmi*: Si quis Copiam affectare velit, priùs quam linguæ Latinæ munditiem sibi comparârit, non minùs ridiculè fecerit, quàm si quis pauper, cui nec unica sit vestis, quam sine pudore possit induere, subindè mutato vestitu, aliis] atque aliis pannis obsitus, in forum prodeat, ambitiosè mendicitatem suam ostentans pro opibus, *&c.*

5. *Proximus indè transitus erit in Latinitatis supplementum*, Latinismos, *usitatosque Latinis* Hellenismos.

[*Magnum hic accedet Sermoni, non mole tamen, sed splendore, ornamentum: ideòque nec molestum.*]

6. Transpositionis *variæ tentamen*, *suavem potiùs*, *quàm ullo modo gravem, dabit exercitationem.*

7. *Nec* Transmutatio *partium Orationis Grammatica*, *ingratum aliquid, præceptionum ductum sequutio, minatur.*

[*Delicias potiùs, ex jucundo, quàm multis modis variari possit idem, spectaculo.*]

8. *Styli floridi*, Tropis, Adagiis, Allegoriis*que sese commendantis*, *studium, difficultatem habet aliquam, nec tamen insuperabilem.*

[*Verum est, quod nonnemo monet,* Adagio loqui perfectæ sapientiæ est: *non tamen ideò negandum sapientiæ tironibus exercitium. Quia non adsuefaciendi sunt adquiescere inventis, sed apertis jam fontibus, & exhibitis rerum classibus, quærere nova: eritque res infinita tum fœcunditatis tum amœnitatis.*]

9. *Fundamentum exercitii hujus est*, Omnia de Omnibus dici, 1. Affirmatè aut negatè, 2. in Casu recto vel obliquo posse, 3. propriè vel tropicè: *nempè per* Metaphoram *aut* Ironiam,

Syn-

Synecdochen *aut* Metonymiam, Hyperbolen *vel* Allusionem.

10. *Quod exemplis aliquam multis declaratum, aperiet Discipulis in infinita oculos, ut omnia esse imitatu facilia pateat.*

[*Exemplis, dico, docebit hoc Praeceptor. At quomodo? Eat per Rerum universitatem, vel Janua LL. serie: singulaque rerum Nomina, Adnomina, Verba,* &c. *applicet ad certum thema, formetque inde Sententias. Et quia ibi prima rerum Nomina erunt,* Deus, Mundus, Omnia, Nihil, Cœlum, Terra, *&c. primaque ibidem Adnomina,* Æternus, Temporarius, Primus, Ultimus, Summus, Imus, *&c. Verba autem*: Esse, Vivere, Creare, Existere, Durare.

Dicat ergò Omnia hæc dici posse de omnibus. *Verbi c.* de Deo. Deus *est* Mundi (*ecce obliquus casus*) Conditor: Deus omnia *condidit*: Deus nihil *mali creavit*: Deus Cœli (*seu Cœlestis*:) Deus *totius* Terræ, *&c.* Deus *est* æternus: A Deo *profluxerunt temporaria omnia*: Deus *est* primus & ultimus: Deus *super omnia* summa & ima, *&c.* Deus est - vivit - creat, manet *in æternum*, &c. *Sic ad particularia quæcunque delatus invenies semper, quomodo illa de Deo enunties: dicendo* Deum esse ignem consumentem, *esseque* lucem, *& habitare* lucem inaccessam; *esse* rupem immotam, *&c.*

Simpliciter de Homine dici possunt omnia: ut Homo *homini est* Deus, *vel* Angelus; Homo *parvus* Mundus: Homo cœli *hæres*: Homo Terræ *incola* &c. *Idem* Homo *dicetur* Fulgere (*quod aliàs Solis est*) *cùm virtutibus coruscat*: pati Eclipsin, *cùm in damnum incidit*: *Esse* directus *aut* retrogradus (*ut Planeta*) *dum in Virtutum cursu pergit aut restitat*: Ardere *cupiditate, aut* incendere *alios, dum proritatur aut proritat*; Frigére *dicatur, quum segnescit*: Latrare, *dum malitiosè rixatur*: Rugire, *dum minatur*, &c. *Et sic omnia de omnibus: ad qua non tantùm intelligendum, sed & satis aptè imitandum, quodvis mediocre ingenium satis reperietur idoneum, modò manuductio apta ne desit.*]

11. *Dilatandi sermonis artificium, ut per se nihil habet, quod puerilis ingenii vires excedat: ita transmutationis & transnominationis usu adjutis facilè jam procedet.*

[*Adolescentibus ut per ætatem humores in corpore vigent, spiritusque agilitate suâ se dilatant, ita cogitationes & sermo diffundunt se potius, quàm constringunt.*]

12. *Difficilius aliquantò erit Stylum aptè contrahere, verbaque in robur cogere: nec tamen jam impossibile, dilatandi vias gnaris.*

[*Non absurdè enim dictum est*, Viam dilatandi & contrahendi unam esse: *sicut est via, qua Româ Capuam, & qua Capuâ Romam, ducit. Quarum alteram qui citra errorem novit, alteram facilè quoque addiscere potest.*]

13. *Hinc Figuris illuminare Sermonem non adeò arduæ erit operæ, quin expeditè id possit, quicunque præcedentia rectè callebit artificia.*

[*Quia & per se difficilis non est Figurarum doctrina, & imitatio ejus non vulgariter oblectat ingenia: dummodo Discipuli exemplis adjuti plurimis, formularum non laborabunt defectu.*]

14. *Summum indè studii Philologici fastigium attingere promptum erit, Poëseos peritiam, quanta communi Eruditioni sufficit.*

[*Nam si quis excellere hic volet, uberiore tempore, aliisque præsidiis, opus erit.*]

15. *Pro-*

15. *Procedéntque exercitia jucundè, si ordine debito. Nempè ut*

1. Primò, Versus Authorum dentur disturbati, *hoc est, Vocum serie nativâ: Discipuli verò redigant in Pedes.*

[*Quod erit exercitium, Trajectionis Poëticæ*]

2. Tum sumat Præceptor alios versus (*Discipulis ignotos*) mutetque Verba & Phrases per Transmutationem Grammaticam: *illi verò tentent restituere Verba & Phrases Metro includi apta.*

3. Tum tollantur Tropi, resque enuntientur simpliciter: *jussis Discipulis divinare, per quos* Tropos & Adagia, *vel per quam* Allegoriam, *id expressisse putent Authorem.*

[*Hoc difficultatem habere videbitur: non nimis ergò urgendi, præsertim tardiores, ne macerentur ingenia. Ingeniosioribus autem sive iisdem* Tropis & Allegoriis *exprimere (felici conjecturâ) poterunt, sive aliis, in laude & lucro erit.*]

4. Licebit exindè Sententias Carminis ampliare superadditis *Epithetis, Antithetis, Periphrasibus*, vel etiam *Synonymis: illi verò amputent; quæ superflua videbuntur, reliquis in Pedes & Versum reductis.*

5. Rursum ab aliis Versibus recîdantur expletiva, relictis solis essentialibus: *jubeantúrque Discipuli explere, ut fiat Versus.*

6. Dehinc auferantur à Versu (*ignoto iterum aliquo*) Figuræ omnes: *ut prolatum simpliciter sensum Discipuli affectuoso aliquo convestire discant habitu.*

7. Tandem propria tentare jubeantur carmina *datâ ipsis elaborandi materiâ certâ. Et primò quidem Versibus dimetris, tum trimetris*, &c. (*ut expositi sunt Cap.* X. §. 34. *&c.*)

16. *Ita* de Styli diversi, *quomodo gradatim excolendus sit*, exercitiis: *sequitur de ordine Pensorum.*

[*Neque enim in eodem quoque Styli genere inchoabimus à fastigio, sed à fundamento: nec ab operibus, sed à rudimentis.*]

17. *Primus Exercitii gradus est circa* Verba *singula: proximus circa conjuncta*, Phrases: *tum circa* Sententias *variandas*, & Periodos, *demúmque integras* Orationes.

[*Non frustrà hæc monentur, sed quia sic iri facilitati servit. Verba enim singula ornandi sunt modi certi: qui possunt etiam in Phrasi decoranda observari, singula verba sic ornando seorsim: sed est præterea peculiaris modus ornandi Phrasin, quâ* Phrasis *est. Tum* Sententia ornatur tripliciter: 1. *per singula Verba*, 2. *per singulas Phrases*. 3. *demumque ut Sententia est talis vel talis.* Periodum colorandi quatuor sunt viæ: *per Verba scilicet, Phrases, Sententiasque singulas; ac demum in ipso integro Periodi complexu, sic eam vel sic*

tran-

transformando. Oratio *denique* modis quinque: *per* Verba, Phrases, Sententias, Periodos *ac demum per propria sua* Ornamenta. *Viden', quanta hîc messis surgat?*]

18. *Poterit itque, perlecto Capite* II, *institui* exercitia Styli Perspicui, *mense uno : perlecto Capite* III, *Styli Idiotici*, *itidem mense uno* ; *& sic consequenter.*

19. *Sed ita, ut exercitiis proponantur primâ hebdomade* singulæ sententiæ ; *secundâ* integræ Periodi ; *demum* Oratiunculæ, *aut* Historiæ, *&c.*

20. *Addam, quomodo quisque compositum jam quoque exercitium suum perpolire, antequam exhibeat Præceptori, possit.*

1. *Revide Orationis cardines*, Exordium, Propositionem, Tractationem & Conclusionem, *an rectè stent, & an satis aptè ab invicem fluant?*

2. *Attende, an rectè cohæreant omnia? ut, si nondum, vinculis connectas meliùs.*

3. *Tum observa*, an rectè Periodi singulæ habeant? *num* Figuris *rectè exornatæ sint? vel adhuc* Exclamationes, Interrogationes, Apostrophas, *&c. opus sit addi.*

4. *Denuò vide, an* Sententiæ in Periodis *rectè sint constructæ?*

5. *Et* Phrases *an satis Latinæ?*

6. *Demum* Verba singula *rebus suis exprimendis an exactè idonea?*

7. *Quibus singulis emendatis*, denuò totum percurre ; ut an stylus per omnia sit purus, Latinus, ornatè variatus, æquabilis tamen, videas. *Atque tum si quid animadvertes hians, explebis ; si superfluum, recîdes ; si exstans nimis, deprimes ; si subsidens, attolles ; si tautologicum, variabis. Operam dans, ut inventiones, variationes, formulæ, aut semper novæ sint, aut frequenter : nec tamen longè quæsitæ, sed sub manu, & è rebus ipsis natæ, aptéque proposito accommodatæ.*

21. N.B. *Monitum hoc, de propriis emendandis scriptis, non in Schola tantùm, sed & perpetuò pòst, bonum habebit usum.*

CAPUT

CAPUT XII.
De eleganti Elegantiarum usu.
I.

COmparatâ *sic ornati* Sermonis *copiâ*, *usum quoque ejus verum disces: ut ne ineptâ Elegantiarum affectatione inelegans fias.*
[*Siquidem Cupediarum quoque nausea est, si nimia aut intempestiva fuerint.*]

2. *Scopus ornati* Sermonis *elegantia est, non vanitas; oblectatio, non fastidium; admiratio, non risus.*

[*Ut Vestituum ornatus ineptè adhibitus morionem potiùs ostendit, quàm Virum gravem: ita Orationum lenocinia nimia, aut ineptè adhibita.*]

3. *Elegans Elegantiarum usu consistit primò in* Elegantiarum Delectu. *Secundò*, in Voce aptè Rebus attemperata. *Tertiò*, in Actione & Gestu.

4. *Delectus Elegantiarum hoc vult, ut Elegantiarum usus sit* Modicus, *& tamen* Varius, *perque omnia* Decorus.

5. Modicus *esse debet: quia* 1. Sermonem *ornare non necessita*[s] *est, sed jucunditas, cui minùs vacandum.* 2. *Sæpè* ornari res ips[a] negat, contenta doceri. 3. *Sæpè Auditor non phaleras sibi ostend*[i] *exspectat, sed Equum: rem scilicet introspicere, ut in seipsa est, nudam, non involucris opertam aut pigmentis coloratam: quæ si nimi*[a] *fuerint, aut suspicabitur fucum, aut fiet reverà rebus fucus, mentibu*[s] *nebula.*

[*Nempè, quomodo nimium lumen rerum colores confundit, oculos autem præstringit; it*[a] Oratio *omnis luminosa res obscurat, mentem verò obtenebrat. Ergò quia rectè Augustinus* Sermonem esse clavem sensus reserantem, *dixit; in clave autem non tam ut sit pul*[*]*chra, quàm ut sit apta & firma, requiritur: simile sit de* Sermone *judicium. Et quia r*[*]*ctè alius, Ornamenta Sermonis mentis ἡδύσματα, non ἐδέσματα, (hoc est, condimenta, n*[on] *cibos) esse dixit; neminem autem condimentis (sale, adipe, saccharo) satiari, sed cib*[o] *solido, liquet: liqueat simul insipidum quid esse, nimis condire Sermonem. Ac proindè,* Elegantiæ partem esse, Elegantiam temperare, nihilque agere affectatè; *operam da*[n]*do,* ut sermo plenior sit rebus, quàm picturis. *Aliàs prodes mentis vanitatem, aë*[re]*que eam potiùs & vento, quàm solidis pasci. Verba enim quid nisi sonus sunt? & sonus qu*[id] *nisi percussus aër?*]

6. Varietas *Ornamentorum requiritur: ut non eadem, aut eode*[m] *modo, dicantur semper, aut sæpè, sed aliis atque aliis modis. Idqu*[e] *ad excludendum auditoris tædium, proliciendam verò novam sempe*[r] *novam semper attentionem.*

[*Nam* quis auribus est adeò patientibus (*inquit Erasmus de Copia l. I. cap. VIII*) ut vel paulisper ferat Orationem ubique sui similem? Tantam ubique vim hab[et] varieta[s]

varietas, ut nihil omninò tam nitidum sit, quod non squalere videatur citra hujus commendationem. Gaudet ipsa Natura vel imprimis Varietate, quæ in tam immensa rerum turba nihil usquam reliquit, quod non admirabili quodam Varietatis artificio depinxerit. Et sicut oculi diversarum aspectu rerum magis detinentur; ita semper animus circumspectat, in quod se, veluti novum, intendat. Cui Cuncta sui similia occurrant undique, tædio protinus avertitur atque ita perit totus simul Orationis fructus.]

7. Decorum *requiritur, ut sive temperas Ornamenta, sive varias, fiat id* Apposite 1. ad Res, §. 8. Personas, §. 9. Circumstantiasque præsentes, §. 10. ad 19. 2. ad ipsum Orationis fluxum, §. 21. 3. ad mentem, §. 23.

8. Ad Res, *quæ sub manu sunt, respicias, necesse est, ut quomodo illæ ornari volunt, ita ornes, non aliter. Non enim omnia omnibus conveniunt.*

[Ad formulas loqui, non ad rem, puerilis ineptia est. *Tu ad negotia Mentem affer, Verba è negotiis nascuntur. Accommodata ipsis Rebus* Atque tum verum erit, *quod Salomon dicit:* Mala aurea cum figuris argenteis, qui loquitur Verbum in tempore suo Prov. 25.11. *Exempli gratia: De Morte Regis loquens honestissimâ uterjs periphrasia à subjecta dignitate:* Placuit Regum Regi ad meliora eum transferre Regna, & immortalibus aptare sceptris. *De Lazaro aliquo*: Placuit Deo miseriarum imponere finem. *De Milite:* Placuit Militiæ facere finem, & transferre ad triumphos. *De Studioso*: promotus jam est ab inferiore hujus Vitæ classe ad superiorem cœlestem, seu veriùs à triviali Schola ad æternam Academiam *& sic mille modis.*]

9. Ad Personas *respicies: quia aliis atque aliis aliter atque aliter loquendum est:* Rudibus ruditer, doctis doctè, occupatis breviùs, otiosis prolixiùs, *cuique modo sibi conveniente.*

[*Exempli causâ: si cum* Agricola *loqueris, & sermone forsan uti libebit tralatitio,* Tropos, Adagia, Similitudines, *mutuaberis ab* Agricultura: *si cum* Piscatore, *à piscatura: si cum* Milite, *à militia. Ita enim audiet lubentius, & capiet promptiùs, & ad assensû deducetur faciliùs. Tum & hoc: si loqueris eruditis, quibus, quæ afferre habes, pranota sunt, eóque sic prolata parùm afficerent; danda est singulariter opera, ut singulari aliquo colore illumines. Nempe* ut proferas antiqua novè, nova velut antiquè. *Illud ad amoliendum fastidium, è re nimis trita prosilire solitum, & ne superstitiosulus antiquarius videaris: hoc, ad conciliandum Voci aut Phrasi novæ authoritatem, ne temerarius audias novator.*]

10 Ad Circumstantias *quoque respiciendum est* Loci, Temporis, & Negotiorum: *ut ex illis quemadmodum* Sermonem, *ita Sermonis flores, tuúmque circa illa studium, nasci appareat.*

[*Exempli gratiâ; Ne quem laudare citra necessitatem & occasionem suscipias, nec aliter, quàm rerum circumstantiæ poscunt. Nam* sicut non accusatum aliquem Virum honestum defendere, traducere est; ita laudare extra necessitatem, est se aut illũ reddere suspectum, laudare autem frigidè, vituperare est, *&c.*

Circumstantia itaque rerum & personarum in te affectum ardoremque temperabunt, ut

ne in argumento calido frigeas, in frigido caleas: aut aliquid ultra modum exaggeres vel extenues, impertinentibus Ornamenta rem onerando verius quam ornando. Grandi stylo utendum *est tantum* in re grandi, humili in humili, mediocri in medioeri. Rarioraque usurpanda rarius; obsoleta nonnisi in re obsoleta; ridicula in ridicula *&c.* Optimus Est Calceus, qui convenit pedi; & Speculum, quod talem reddit rem & tantam, qualis & quanta in se est: ita & Sermo. *Sermonis ergò tui norma erunt ea ipsa, quæ rem, de qua sermocinaris, circumstant. Quod si observes,* nullum non Verbum, Phrasis, Adagium, alicubi erit optimum: *quantumvis fuerit humile, inusitatum, poeticum, priscum & obsoletum, novum & insolens, barbarum & peregrinum, imò, sordidum etiam, dummodo rei suæ conveniat. Ita* Stercus & Stercorare, *non fit inhonestum dicere apud Agricolam, de agricultura sermocinando: erit si de ingeniorum cultura differendo Metaphoram in te sumptam hac ipsâ voce exprimere velis, cùm honestiore,* fœtificandi, *aut* humore vitali imbuendi, *uti liceat. Ita* Vomitare, Alvum superiorem dejicere, Nauseam facere, *idem sunt re: primum tamen crassius dicitur, & putidiusculè, honestius alterum, honestissimè tertium.*]

11. *Idem hic Circumstantiarum respectus docebit te, ubi hôc potius, quam illo Ornamentorum genere, & quidem magis aut minùs, uti conveniat. Qua de re per singula novem Ornamentorum genera sigillatim monendus es aliquid.*

12. Perspicuè loquendum *imprimis est, ubi aliquem rerum adhuc imperitum ante te habes: si hunc non circumducere, sed rectà in rei notitiam deducere, vis.*

[Extra hunc casum non prohibeberis argutè quid ponere, *quod non primo statim intuitu pateat, sed ingenii aliquam requirat vim, etiamsi aliquid barbarum, aut solœcophanes, sonare videatur. Quale fuit illud in Theatro,* Calamitas nostra magnus est: (*intellexit enim Pompeium Magnum, exactionibus populum affligentem*) Nec prohiberis alicubi obscuritate sensum tegere, ne quilibet intelligat; *uti sæpe* Cicero in Epistolis ad Atticum: *Aut certe ne sine intensa cogitatione intelligat quomodo fit, cum Res datâ operâ Ænigmatibus involvimus, ut sensus quæratur attentius, inventusque hæreat profundius.*]

13. Purè Latinè loqui *ubique necessarium propemodum est: ut tamen siquis* Latinismus *obsoletior sit auditoribus, aut lectoribus ignotus fortè, parces: mavolesque communiore Phrasi uti, aut certè antiquatam illam, quid sibi velit, illustrabis.*

[*Est enim, ubi* Xenismus (Hebraismus, Græcismus, Italismus, Germanismus, Polonismus, *&c*) *intolerabilis sit; erit contrà ubi elegantiam augeat, modo te non imperitiâ, & Latinioris dictionis inopia istuc deferri, sed data opera sic loqui appareat. Patebit autem, si auditore præmonito, aut veniam præfatus* (ut eleganter *Græci* loquuntur; ut *Hebræa Phrasis* habet; sic emphaticè nostri efferunt; detur venia peregrinæ voci, *&c.*) *proferas.*]

12. *Erit quoque, ubi* decentiùs Oratio fluat naturali ordine: *& ubi rursum* trajici eam elegantiùs fit.

[*Usque adeò ut etiam ipsa* Synchysis (*vitium alias Orationis*) *miram afferat gratiam: in describendis nimirum perturbatis vel rebus vel animis, Quemadmodum Virgilii exempla duo, suprà Cap IV. §. 53 allegata ostendunt.*

15 Si

15. *Si ad eandem rem sæpiùs redeundum, aut illa pluries repetenda:* non eâdem uti Voce, aut Phrasi aut Sententia, sed æquipollentibus, artis est. *Et tamen alicubi artis, imò necessitatis est, ne apice quidem mutato, eadem, eodemque modo, iterare & ad ravim usque inculcare.*

[*Ex. gr. Ubi negligentia vel stupor (intelligere tam plana nequentium, aut nolentium) exprobandus est, ut Ies. 28. v. 10. & 13.*]

16. Est, ubi stylo utaris florido, *ubi rursum commodiùs simplici, & exsucco. Rursumque alibi commodius adhibeas hunc quàm illum* Tropum, Adagium, Allegoriam, Parabolam, *etiam* Hyperbolen & Catachresin.

[*Coram imperitis tutius ligonem ligonem, & scapham scapham, nominabis: de re autem jam nota si loqui pergis, variegare eam picturis nihil prohibet, modo ut decorè, ad omnes respectando circumstantias. Qua in re tantâ circumspectione opus est, quam exprimere verbis vix sufficimus.*]

17. *Contingit etiam* in amplum deferri campum, ubi sermonem diffundi nihil prohibeat: *rursumque in arctum redigi, ubi res & verba densare omnia cogant.*

[Non est igitur, cur semper aut copiam quæras in dicendo, aut brevitatem, sed medium. *Nec multiloquium per se, nec breviloquium, hominem ostendit sapientem: sed aut imperitum explicare animi sensa nequeuntem; aut vanum, cristas ubique, jam sic jam aliter, explicantem. Scias igitur, non adeò nos pluribus aut paucioribus verbis loqui, ut plus loquamur vel minùs: sed ut objectemus melius, aut penetremus profundiùs, prout res aut persona, vel tempus, locúsve, requirunt: quas occasiones notare, iisque scire uti, ingenio est opus. Copiose loqui, plus pompæ habet, ut flore cooperta Arbor, sed concisè loqui, plus usûs, ut Arbor onusta fructu. Erit ergò, ubi cum laude brevis sis, erit, ubi copiosus. Non ignorat miles, meliùs alibi hasta, alibi pugione, rem geri: neque igitur ignoret Orator, ubi cogitationes suas & auditoris conglobare; & ubi rursum easdem, ut è glomo fila, in fusiorem discursũ explicare, necessitas postulet.* Sæpè plus dicit, qui minùs dicit: *Si* Verba, Phrases, Sententias *que breves & acutas, ut mucrones & aculeos vibrat. Contra sæpè nihil dicit, qui eadem variè, sed languidè iterando, ac veluti debilibus repetitis ictibus cuneum adigendo, rem & auditorem eodem relinquit loco: aut etiam*

ipsâ verborum prolixitate, rem & auditorem involvit. Verissimè enim Cicero: *Sæpè res minus est intellecta longitudine magis, quam obcuritate narrationis, (1. Rhet.) Sic ergò in summa tenendum; tam quòd concisè, quam quod diffusè docetur, idem esse debet; non mutilatum necessariis ibi; nec oneratum superfluis hic: sed hic & ibi totum: ibi involutè, hic evolutè; utrobique unum idémque corpus diversa contectum veste, prouti temporis rerumque circumstantiæ requirant, communiter tamen aureæ mediocritati attemperando, ut omnia, ita Sermonem.*]

18. *De concisi styli usu in specie notandum, cui eò uti potissimum conveniat. Qua de re ita Scaliger:* Declamationes ambitiosorum opera, otiosorum cibi sunt. Divinitatis negotiis impedito animo studendum est ei brevitati, quæ res æquet Verbis: Demonstrationes certas habeat pro nectare (*Exercit.* 307.)

[*Sermonis enim finis est, ut res, quam expositum imus, intelligatur, hôc obtentô, quicquid addis, supervacaneum erit, etiamsi apex sit unus. Nominatim autem* Breviloquentia pulchrè convenit. 1. Personis gravibus, *in eminentia constitutis*; ut sapientum Verba sint sicut stimuli, quasi clavi in altum defixi (*Eccl.* 12.11,) 2. Occupatis; cui enim multa sunt agenda, ei pauca loquenda. *activè & passivè: hoc est, & ipse loquatur pauca, & ipsi alii* 3. Doctis *denique intelligunt enim promptè. Respectu Circumstantiarum autem, in* celeritate *temporisque angustia, ubi pugione opus non hasta.* 2. in indignatione, *ubi malleo opus est, non flabello.* 3. si quando cum loquacibus sermo est, *objicienda illis apopthegmata, ut confusi blaterare desinant.*]

19. Picturatus Figuris Sermo *pulcher est; sed si nimium, fit ridiculus: æquè ut si quis, quicquid agit aut loquitur, affectum & vehementiam præ se ferre velit, etiam ubi familiariter cum familiaribus agendum erat; quod in contemptum & risum exit.*

20. Stylo uti ligato, *rarò usu venit, nec est cujusque quemadmodum rectè monuit* Muretus, *ad fratrem ita scribens:* Malos Versus facere turpe est; mediocres, inglorium; bonos, difficilius, quam ut ab illo præstari possit, cui aliud agendum est.

[*Si*

[*Si cui tamen vena fuerit Poëtica, seu naturâ seu usu, nihil prohibet Musarum illa modulatione oblectari: modo ne quid nimis. Nimietas etiam hic vitiosa, dum quis* quidquid conatur dicere, Versus erat. *Non enim semper saltitandum est, etiam aliquando modestè incedendum: nec semper cantillandum, etiam aliquando loquendum. Fugiendus item est in prosa Versus: tametsi ut verba aptè cadant, Orationemque efficiant numerosam,* negligens quædam requiratur diligentia: *uti Cap. X. §. 48. dictum est.*]

21. *Etiam requiri ad Orationis decorem,*ut ad ipsum Orationis filum appositè *dicantur omnia, dixi.* Æqualitatem styli intelligo, *quâ character Orationis retineatur continuetque humilis humiliter, sublimis sublimiter, floridus floridè, Laconicus Laconicè,* &c.

[*Aliàs Oratio Centonis cujusdam, ineptè suturis variegati, refert faciem. Non confundendi ergò styli, humili grande quid intermiscendo, aut grandi humile: ne quidem Phrases permiscendæ Oratoriis Poëticæ. Quo et spectat, ne quid in stylo sit coactum, omnia libera & sine jugo. Quod non difficulter observabit verè doctus, & de suo promens: vix evitabit, qui ex aliundè congestis, rebus & verbis, Centones consuit.*]

22. *Si tamen fortè Oratio eadem diversis adaptanda est rebus, & personis, & circumstantiis, variare quoque stylum nihil prohibebit: sed prudenter & aptè, ut in ipsa etiam inæqualitate condecens quædam appareat æqualitas.*

[*Exempli gratia, si quando propriis permiscenda sunt tropica, hic observandum est,* ut tropica præcedant; propria sequantur. *Ita Cicero:* Semper consilia mea togæ ac pacis, non armorum atque belli, fuerunt. *Ita Christus: Joh. 3. Nisi quis regenitus fuerit* ex Aqua & spiritu, *&c. Ratio Præcepti hujus est, quia obscuriora illustrari debent clarioribus, non verò clara obtenebrari obscuris. Omnis autem vox propria clarior est translatâ, &c. Observandum item, quòd talis (propriorum & tropicorum) mixtura in diffuso solùm stylo locum habet, non item stricto.*]

23. *Tandem* appositò omnia ad Mentem ut dicantur, *dixi:* Nempè, *ut ostendas, te rem intelligere, & è dignitate sua æstimare posse:*

posse: non faciendo ex musca Elephantem, vel rursum ex Elephanto musculum: ut illi faciunt, qui exile quidvis magnificè efferendo, aut magnificari digna perfunctorie expediendo, se & res prostituunt.

[Luminare enim, quod umbram corpore majorem projicit, seipsum corpore minus esse ostendit: majus autem luminare, majorem collustrando corporis partem, umbram facile corpore minorem sese cuspidantem, tandemque vanescentem, Ergo qui negotia nimis exaggerat, pusillanimitatem suam prodit: qui extenuat nimis, fastum. Rem proindè ita Sermone pingere, ut qualis est, talis appareat, doctè eloquentis nota erit certissima.]

24. Ad Sermonis Elegantiam vocis quoque & Gestus elegantia requiritur.

[Quia dum loquimur, duobus sensibus servimus, Auribus & Oculis (Est autem sensus Aurium superbissimus; Oculorum delicatissimus.) Danda igitur est opera, ut satis fiat utrique; imprimis in Sermone arte concinnato: ut ne formosum per se corpus turpi derformetur veste.]

25. Vocis Elegantia in eo summatim consistit, ut loquaris, non musses, aut clames; & loquaris voce plenâ, non fractâ; fluente, non titubante, aut inæqualiter se jactante, &c. nisi fortè res ipsa requirat aliter.

[Nam & vocem accomodari decet rebus: ut in lætis sit serena, in tristibus flebilis: in fluidis fluida; in conturbatis turbata, &c. Ergò & mussitatio & clamor, & hæsitatio, &c. locum inveniunt in Oratore scito.]

26. Similiter & Gestus, seu Corporis membrorumque motus, rebus ipsis decenter accommodantur.

[Ex. gr. Caput in bona causa erigendo; in desperata, aut prostrata, demittendo. Frontem autem in rebus lætis exporrigendo; in tristibus contrahendo; in ira caperando. Manus in obtestationibus attollendo; in gratulatione complodendo. Pedem in indignatione supplodendo. Pectus in affectibus vehementioribus percutiendo, &c. Quæ omnia Rhetorum præceptis docentur, & usu.]


FINIS.

Johann. Amos. ComenI

ERUDITIONIS SCHOLASTICÆ

A T R I U M,

Rerum & Linguarum Ornamenta exhibens.



Plato in Gorgia.


Ornatus quidam in unaquaque re accedens, singulas res bonas facit meliores.

Quintilianus.

Supervacaneus foret in studiis longior labor, si nihil liceret melius invenire præteritis.

Senec. 3. Contr.

Magna & varia res est Eloquentia! nec adhuc ulli sic indulsit, ut tota contingeret. Satis felix est, qui in aliquam ejus partem receptus est.



LATINÆ

LATINÆ LINGUÆ ATRIUM,

Rerum Historiam elegantiori exornatam Stylo exhibens.

PRÆFATIO Ad Præceptorem.

F*uerunt de Sermone variè ornando præcepta: quæ si discipulis diligenter exposuisti, exercitiisque particularibus (uti monebaris) familiaria reddidisti, profecisse sperabimus aliquid. At quia plenos artifices nonnisi plenior Usus facere potest; en adjungimus Styli per totum Rerum & Linguæ ambitum continuò variati exemplum, sub* Atrii Latinitatis *nomine! Cujus texturam dare novemplicem cogitabam, pro Ornamentorum numero: sed non vacavit tam esse diffuso, nec libuit Tibi cum Discipulis pulcherrimi exercitii præripere occasionem, de quo postea monebo. Nunc, ut ne desit exemplum, quomodo totus* Januæ LL. Textus *novem modis variari possit, en specimen in Capite primo toties variato!*

Tentamen
Textûs *Janualis* in *Atrialem* versi, elegantia novemplici disjunctim.

Synopsis artis Ornatoriæ.

Eleganter loqui, est loqui Verbis, Phrasibus, Sententiisq; aut

- iisdem cum Stylo nativo & simplici, sed aliter
  - Expositis, *Perspicuitate*, I.
  - Positis, *Transpositione*, II.
  - Flexis, *Transmutatione*, III.
- aliis
  - Latinioribus, per *Idiotismos*, IV.
  - Suavioribus, aliundè mutuatis per rerum *Transnominationem* V.
- si iisdem sive aliis, aliter tamen: nempè
  - *Pluribus* quàm necessitas requirat, per *Dilatationem*, VI.
  - *Paucioribus*, quàm necessitas requirat, per *Contractionem*, VII.
  - *Mucronatis*, per *Figurationem*, VIII.
  - *Ligatis*, ad numerum, mensuram, pondus, per *Poësin*, IX.

I. Elegantia ex Styli PERSPICUITATE.

[N.B. Hîc est ipsissima *Janua LL.* Stylo perspicuo scripta: cujus pleraque linguis vernaculis verti possunt ad verbum.] *Viz.*



Ector amice, salve.

2. *Si rogas*, quid sit esse Eruditum? *Respondeo*, Nôsse Differentias Rerum, & posse signare rem quamque propriâ appellatione suâ.

3. *Nihilne præterea? Nihil adeò: Is posuit fundamentum Eruditionis totius, qui perdidicit Nomenclaturam Rerum.*

4. *Nam Vocabula sunt notæ Rerum: Verbis rectè perceptis, Res percipiuntur: Et utrumque discitur meliùs junctim, quàm separatim.*

5. *At id est forsan difficile? Facillimum, si eatur ordine concinno, quo Res digestæ sunt in se ipsis, lubentiaque adsit, & attentio sedula.*

6. *Aude me sequi! Traducam te per omnia; ostendamque tibi Res singulas, ibi, ubi sunt: & appellabo sic, quomodo appellandæ sunt.*

7. *Quicquid conspexerimus, (inquam) nominabo tibi, & describam primò rem totam, ut scias quid sit; tùm partes ejus, ut intelligas quid habeat: demum differentias illius, ut tibi notescat, quot modis aliquid sit, faciat, deficiat: & quomodo id Latinè sit efferendum proprie.*

8. *Eja! prodeamus* sub dium, *ibi contemplaberis, quicquid Deus ab initio produxit, & adhuc operatur per naturam.*

9. *Pòst adibimus* Villas, Opificinas, Scholas; *ubi conspicies, quomodo homines, tùm accommodent divina illa opera usibus suis, tùm erudiant seipsos in* Artibus, Moribus, Linguis.

10. *Dehinc intrabimus* Domos, Curias, Principumque Aulas: *ad spectandum, qualiter gerantur communitates.*

11. *Tandem visitabimus* Templa: *ubi observabis, quam diversè mortales quærant venerari Creatorem suum, illique uniri spiritualiter, & quomodo rursum ille moderetur omnia per omnipotentiam suam.*

12. *Ita nobis cuncta venient in conspectum, quæ usquam sunt vel fiunt, tibique innotescent (rationabili inspectatione Rerum, ac nomenclatione)* Res ipsæ Naturales, Artificiales, Morales, Divinæ, totaque Latinitas pura.

13. *Pa-*

13. *Pavescisne, quod habemus transire tam multa? Confide! dum ibimus rectâ, & continuò, poterimus pertransire citò: neque tædebit te deambulationis tam jucundæ, ubi semper nova spectacula obvenient.*

14. *Ora Deum, ut fortunet institutum! & si voles subsequi me alacriter, spera profectum bonum, ultra quam promitto.*

II. Elegantia ex Transpositione.

[Hic erit *exemplar mutatæ Orationis structuræ, per solam Vocum, Phrasium, Sententiarum, trajectionem:* quod artificium aliæ linguæ imitari possunt, aliæ non possunt.]

Introitus.

1. Salve amice lector.

2. *Eruditum esse quid sit*, si rogas: *Rerum differentias nosse, & unamquamque suo insignire nomine posse*, respondebo.

3. Præterea nihilne? Certò adeò nihil. Totius is Eruditionis fundamentum posuit, qui Rerum nomenclaturam perdidicit.

4. *Vocabula* namque *Rerum notæ sunt:* qui rectè percipit Verba, percipit Res; meliùsque utrumque junctim, quàm separatim, discit.

5. At forsan istud difficile est? (Imò) si concinno eatur ordine, quô in seipsis digestæ sunt res, adsitque lubentia, & sedula attentio, facillimum.

6. Sequi me aude! Per omnia te traducam, tibique singulas Res, ubi sunt, ibi ostendam; & quomodo appellandæ sunt, sic appellabo.

7. Nominabo, inquam, tibi quicquid conspexerimus: primòque *totam* describam *Rem*, ut, quid sit, scias; tum *ejus partes*, ut, quid habeat, intelligas: illius demum Differentias, ut quot aliquid modis sit, faciat, deficiat, & id quomodo efferendum sit propriè Latinè, tibi notescat.

8. Eja sub dium prodeamus! Ibi, quicquid produxit ab initio Deus, & per Naturam operatur adhuc, contemplaberis.

9. *Villas* pòst, *Opificinas*, *Scholas* adibimus: ubi, quomodo Homines cùm divina illa opera suis usibus accommodent;

tum ſeipſos in Moribus, Artibus, Linguis, erudiant, conſpicies.

10. *Domos* dehinc, *Curias*, *Principúm*que *Aulas* intrabimus: ad Communitates ſpectandum, qualiter regantur.

11. *Templa* tandem viſitabimus: ubi quàm diversè Creatorem ſuum venerari, ſpiritu aliterque illi uniri, quærant mortales; & Ille rurſum quomodo ſuam per Omnipotentiam omnia moderetur, obſervabis.

12. Cuncta nobis ita in conſpectum, quæ usquam ſunt vel fiunt, venient; tibique (Rerum inſpectatione ac nomenclatione rationali) ipſæ *Res*, Naturales, Artificiales, Morales, Divinæ, Latinitasque tota innoteſcent.

13. Non paveſcis, quòd tranſire habemus tam multa? Dum continuò, & rectà, ibimus, citò pertransire poterimus, confide! neque te tam jucundæ deambulationis (ubi nova ſemper obvenient ſpectacula) tædebit.

14. DEUM ora, inſtitutum ut fortunet! atque me ſi alacriter ſubſequi voles, bonum profectum, ultrà quàm promitto, ſpera.

III. Elegantiæ ex Transmutatione.

[*Atrium Styli variati Grammaticè.* Ubi Linguæ variè variant.]

I. *Ingreſſio.*

1. Salveat Lector meus.

2. Cui ſi ſciſcitari libet, *Ecquid Eruditio ſiet?* reſponſum dabo: *Rerum non ignorare discrimina, appellationeque ſuâ inſignire quamque poſſe.*

3. Anne nihil amplius? Haud quidquam profectò. Fundamentum Eruditioni integræ poſuiſſe ſperari poteſt, quisquis totam Rerum nomenclationem cum intellectu edidicit.

4. Vocabulorum etenim eſt *Res notare:* Verborum vim ſi rectè percipis, Res percipis: diſceſque hoc & illud expeditiùs conjunctim, ac ſeorſim quodque.

5. Sed id fortè difficultatem habet? Imò verò magnam facilitatem, ſi ordinem, quem ipſæ Res inter ſe ſervant premendo, lubenti in his animo, & ſedula cum attentione, verſemur.

6. Auda-

6. Audacter me sequere! ducem tibi quaquaversus futurum, ostensurumque Rerum singula locis suis, & appellaturum appellationibus suis.

7. Quicquid sub conspectum venerit, inquio, nominabitur tibi: & describetur primùm *Res integra*, ad sciendum, ecquid siet. Dehinc *partium ejus series*, ad intelligendum, quid in se contineat. Tandem *species ejus*, ad cognoscendum, quibus modis Res in essendo, operando, deerrandoque variet: & quibus rectè Romanis id efferre conveniat verbis.

8. Age, foras mecum prodi! contemplaturus ibi, quæcunque Deo primitùs producere, & adhuc naturæ ministerio operari, allubuit.

9. Posthac à nobis adibuntur *Villæ*, *Opificinæ*, *Scholæ*: ubi conspicere dabitur, qualiter homines & adaptent illa Dei opera necessitatibus propriis; & reforment ad Artes, Mores, Linguas, seipsos.

10. Subsequenter introibimus in *habitacula Familiarum*, *Prætoria Civitatum*, *Regúm*que *Aulas*: ut quali ratione illi rem communem regant, spectemus.

11. Extremò *visendis Templis vocabimus*: ubi observare poteris, quantâ diversitate mortalibus quæratur coli Creator suus, ad se Illi uniendum spiritu: & quàm ab Illo rursum administrentur, vi Omnipotentiæ suæ, cuncta hæc.

12. Hoc modo nobis nihil non venire poterit in conspectum, quæ uspiam sunt aut fiunt: tibique innotescere tam rationabiliter inspectatæ ac nomenclatæ *Res Naturæ*, *Artis*, *Morum*, *Dei*que *ipsius* (arcana) cum tota Latinitate pura.

13. Nónne pavitas à transeundarum rerum multitudine? Confidendum tibi est, ordine rectô & continuô euntibus nobis pertransitum iri omnia citiùs: nec te cum tædio perambulaturum hæc tam jucunda, semperque nova, spectacula.

14. Orare ne intermittas, Deum, fortunare dignetur, quod instituimus! meque sequere alacris, spei de profectu bono, suprà quàm promittere audeam, plenus.

IV. Elegantiæ ex Idiotiſmo.

[*Atrium Latiniſmi puri.* Ubi Lingua quælibet ſuas ſequitur conſuetudines, non verbum verbo, ſed ſenſum ſenſu, reddens.]

I. *Ephodos.*

1. Salvere te jubeo, Anagnoſta.

2. Si eſt, ut ex me quæras, *Eruditione pollere quid, & quale ſit?* verbo expediam: *Res à Rebus intellectas diſcriminare, appellationibusque germanis disterminare*, poſſe.

3. Confectúmne ſic dabitur negotium? Ita enimverò. *Quàm amplè patet Eruditio, ſtatumina ejus firmavit, cuicui Res in numerato habere, & nominatim compellare* (ad Idiomatis indolem) promtum fuerit.

4. *Vocamina rerum, rerum teſſeræ ſunt:* illis ritè perceptis, percipiuntur hæc: perceptarique ſatius fuerit utrumque ſtudio unito, quàm divulſo.

5. At hoc multæ operæ & laboris eſt fortean? Per ludum & jocum iſta queas: dummodo ad Rerum ordinem nos referendo illarum ſequemur ductum, cum animi prolubio, ingenii contentione.

6. Audeſis ire ſecundùm! Ducem me tibi per univerſa præbeo, ibi locorum ſingula exhibiturus, ubi locorum ſunt: & nuncupaturus nomina Rerum propria, non aliena (*ſcapham dicendo ſcapham, & ligonem ligonem)* juxta Linguæ genium.

7. Quicquid ſe intuitui obtulerit, dixi, dare illi vocamen docebo: depingamque primodum Rei corpus totum, ut, quid ſit, teneas: deinceps *ejus contenta*, ut partium ejus accipias intelligentiam: tum denique *Varietates ejus*, ut diſtinctè, quomodo Rerum *Eſſe, Operari, Deficere*que ab invicem abeat, idioticisque formulis (quantum poteſt') exprimenda veniant omnia, pervideas.

8. Adesdum, prodeambulemus ſub aperta Cœli! inibi ſpeculaberis, quid à primordiis Rerum condiderit, atque etiamnum inſitâ Rebus vi perpetuet, Divinum Numen.

9. Secundùm ea ſumus adituri *Rura & Opificum fabricas, literariosque*

variosque Ludos: ſpectatum, quo pacto homines tum Naturæ Illis operibus ad ſua abutantur; tum ſemetipſos ad *Literaturam*, & *Morum polituram*, *Linguæ*que *nitorem*, excolant.

10. Exindè nos in *privatorum Ædes*, & *Civitatum Senacula*, *Regnantium*que *Palatia*, penetrabimus: quâ prudentiâ illi Societatibus præſideant obſervaturi.

11. Noviſſimè *Fana* interviſemus, in id intenti, quàm multifario cultu homines Illum, à quo pendere ſentiunt omnia, ſpiritu ſibi adunare ambiant: & quàm Ille rurſum, omnia permeante ſuâ vi, ſibimet coadunet & ſubordinet cuncta.

12. Hoc demum pacto ſupererit nihil, quod effugere queat oculos noſtros; aut notitiam tuam ulla primaria, ad *Naturam*, *Artem*, *Mores*, *Religionémve ſpectant*, rationeque inſpectatâ, Res; nec denique Latiniſmus elegantior ullus.

13. Ab hac diſcendorum numeroſitate nonne metum capis? Benè potiùs præſume: dum recto tramite graſſaturi ſumus, perrecturique usque & usque, tranſituros ociſſimè. Nec te affectum iri tædio lepidiſſimæ obambulationis, per oblata recentia ſemper theatra.

14. Adora prece Deum, ut cœpta bene vertat! atque ſi quâ præibo, veſtigiis inſiſtere meis animum inducis, progreſſionem, quæ ſuprà pollicitata ſit, ſpe concipe.

V. Elegantiæ ex Transnominatione Rerum.

[*Atrium ſtyli Allegorici*, ubi aliud dicitur, aliud intelligitur.]

I. *Limen.*

1. Propitiam tibi Salutem, Muſarum cultor ſuaviſſime.

2. Qui ſi venando aucuparis, *Elegantiæ Literaturæ ſumma quæ ſit*, prodam? *Res Rebus per intimas rationes conferendo, appellationes quoque earundem inter ſe permutare poſſe; ut aliud dicatur, aliud intelligatur.*

3. Hicne *prora & puppis?* Hoc *utramque facit paginam.* Quantaquanta eſt eloquens Sapientia, ſapiénsve Eloquentia, fundamenta ejus jacta ſunt illi, qui ſimilia in ſimilibus, contraria in contrariis, diverſaq; in diverſis ſpectandi, eoq; *Res ſpecioſè transnominandi*, ſibi comparaverit uſum.

4. Quippe ita Res ſunt, ut *non lac lacti æquè ſimile ſit*, atque Res Rebus ad eandem, vel diverſam, vel contrariam, ideam factis. Undè fit, ut illarum ad invicem habitudine deprehenſâ, altera alterius ſuaviter detegat naturam. Quod dum obſervamus ubique, *duos unâ dealbamus parietes fideliâ*: Animam tingimus ſapientiæ lumine, & Linguam imbuimus èloquentiæ lepóre.

5. *Pelagus mihi novum*, neſcio, an enatabile, *ostendis*. Imò *pedum videbitur via*, *tam in vado te ubique ſenties*, *ubique intra ordinis cancellos ductus*. Accinge te ad luſtrandum modo novo omnia: lubenti animo haud quidquam difficile, modò ſimul afferantur *attentionis oculi*, ut, *quod agis*, *agas*.

6. Adeſto animo, meiſque perge inſiſtere veſtigiis! Circumducam te denuò per *Rerum campos*, ſed florum amœnitate ita jam contectos, ut colorum & odorum communicatio futura ſit perpetua: dum Rem quamque tibi alterius imagine oſtendam, *honorariisque titulis*, aliundè mutuatis, condecorabo.

7. Revolet, dico, ſub oculos quæcunque Res, *obtendemus illi alterius rei velum*, ut noſcatur è ſocia, ſi quæ non (ſuaviter ſatis) cognita eſt ex ſe: aut ſaltem alium illi colorem inducemus, ut à variato Sermonis ductu novum accipiat ſpiritum & vitam: fiatque oculis evidens tuis, quàm vario ſermonis habitu præſentari poſſit idem.

8. *Indue talaria*, provolemus ab inchoato *ſub Jovem!* in propatulo ſic habituri quæcunque adorandum *Numen*, *Principium illud ſine principio*, *Rerumque fons unicus*, *& baſis æterna*, ſibi gloriæ, nobis oblectationi, primitùs fabricavit; hactenusque *filia Dei*, *& Rerum parens*, *ſuique conſervatrix ſedula*, ſolerter operatur *Natura*.

9. Pervolitabimus indè *Agros*, Ruricolarum ſpectaturi cum Deo negotiationes; & Opificum *Ergaſtula*, eorumque circa Naturæ exuvias ſudores; Literarias denique *Palæſtras*, & Ingeniorum ibidem luctas: ut quàm omnes hi diverſa licet agere videantur, ſimiliter tamen agant, & alter alterius Operas Nomenclaturasq; illuſtret ſuis. Quô intellectô, Artium, Morum, Linguarumque *tibi augeri ſenties harmonicum lumen*.

10. Pax

10. Pax exindè ratio erit, ubi *Oeconomicæ*, *Politicæ*, *Monarchicæque Navium gubernacula* contemplando, singulas Regiminis formas nihil nisi Naturalium & Artificialium esse imitamenta deprehendes.

11. Coronidem contemplationi imponent *Aræ:* ubi quô ritu hi, isti, illi Numina revereri, & invisibilis Opitulatoris gratiam demereri connitantur; quoque rursum occulto nomine cœlestis illa omnia permeans vis gubernet, & in sibi notos fines dirigat universa, observabis.

12. *Hac luce dissolventur tenebræ*, ut quicquid ad Rerum & Sermonis complicatos colores detegendos facit, perspicilii vicem præstet: Tuque Rerum ad res collatione, & mutuâ transnominatione, ipsas Naturalium, Artificialium, Moralium, & Divinorum, ad invicem habitudines perspectabis. Undè tibi *Rerum & Linguæ recessus*, *Latinitatisque veneres omnes* (pictæ scil. Rerum imagines, & Sermonum mucrones) *patescent* meliùs.

13. Sed à conspectu *tot denuò scandendorum Montium* ánne Vertigo tibi subit? Nollem factum. *Clivum* potiùs *hunc uno ut exsuperes spiritu*, annitere. *Tentando ad Trojam pervenerunt Graci.* Quid & nos tentare nocet? *Solvamus ancoram! Vela demus ventis* & rectum tenendo cursum *remis velisque promoveamus*, ut volemus, nec tibi nauseæ veniat libido.

14. *Admotâ manu invoca Deum, navigare* nos jubeat *cum felicibus! Solemque aversum, & ventum adversum, ne immittat.* Quo impetrato, ad novas *lucis & deliciarum Insulas* nos appulsuros, ne dubita.

VI. Elegantiæ ex Dilatatione.

[*Atrium Asiatismi :* ubi pauca dicuntur multis.]

I. *Exordium.*

1. Salute impertior te plurimâ, quisquis nostra hæc lecturus ades.

2. Cui si requirere allubescit; *Illud, quod Eruditionem vocamus, quidnam & quale siet?* accommodatius quod respondeam, vix habebo, nisi ut *Rerum, in quantum per differentias suas certas in*

classes abeunt, *vel dimanant*, *notitiam*; *& unamquamque earum Vernaculo sibi nomine appellandi peritiam*, esse dicam.

3. Credámne hoc totum universum esse, nec requiri aliud? Tutò credes, si credideris. Solida mentis eruditæ fundamenta jecisse censendus est, cuicunque Rerum genera & species probè lustrâsse, appellationumque varietatem rectè percepisse, datum fuerit.

4. Enimverò Vocabula inventa sunt, ut Rerum existant simulachra: Vocabulorum ergò perspectâ vi, Res ipsas eatenus perspici necessum est. Atque reverà utrumque illud, Res & Verba, Verba & Res, disci compendiosiùs, suaviùs, utiliùs, operâ junctâ possunt, quàm separatâ.

5. At rem fortè operosam, molestique laboris, tibi suadeo? Imò præfacilem, quæ nihil molestiæ dabit, si non confusim in Res irruamus, sed quo illæ sese in oculis nostris expandunt ordine, eundem sequamur: animati in hoc studium benè, & cum firmo hoc agendi, non aliud, proposito.

6. *Tam inaudax sis*, ut præeuntem me bonâ fide fidenti animo insequi trepides? Ecce enim per totum Rerum ambitum tibi me ducem præbeo! exhibiturus tibi, quicquid usquam est, non alibi quàm loco suo; & nuncupaturus Res non aliter quàm nominibus suis.

7. Nempè quæcunque Res in conspectum nobis (dicere volebam) redierit, cognominabo eam tibi ab aliqua notabili proprietate; aut circumscribam, lepóris gratiâ, verbis pluribus: sive *totam*, ut in se sua complectitur omnia; sive *per partes*, in quas se explicat; sive per speciales differentias, in quas se diffundit, diffundique eâ ratione laxiorem quoque de se narrationem patitur.

8. Eja age, demus nos in Cœli conspectum! Illîc ibi prospeculaberis oculis ea, quæ à Rerum exordio in esse produxit, & hucusque congenito rebus vigore in esse conservat, Omnipotentia Dei.

9. Post id locorum descendemus ad lustrandum *Rem rusticam*,

& *Rem*

& *Rem mechanicam* , & *Rem Scholasticam* : ut quàm variè illa Divinæ manûs opera usionibus suis attemperet humanum Ingenium ; Hominesque reddantur homines , expoliendo Mentem ad Literaturam, Mores ad elegantiam, Linguam ad facundiam, spectator sis.

10. Secundùm hæc introitum faciemus in *Collegia Familiarum, Civitatum, Provinciarum* : observaturi hîc, istîc , illîc, prudentiæ leges ac normas , ad quas humanæ gubernantur Societates.

11. Quod superesset, salutatum ibimus *Ædes sacras* : in oculis illîc habituri , quàm multiformi varietate multifariam à se divisi mortales Illi, à quo Vitam habent, cultum exhibere, sibique propitium reddere , quærant. Et quomodo vicissim Ille, occultâ Providentiæ suæ vi , moderetur , & in fines suos disponat, omnia.

12. Ad hunc modum nihil omnium eorum, quæ reperire usquam est, subducere se à conspectu nostro poterit : sicut nec à notitia tua Res tantâ sagacitate inspectatæ tamque accuratâ nomenclatione (ut inconfusæ sint in oculis mentis tuæ) ab invicem discriminatæ ; *seu illæ in sinu Naturæ* , seu *in gremio Artis, Morúmve & Religionis censu fuerint.* Cui pleniori Rerum notitiæ plenior Latinæ linguæ notitia fiet accessio.

13. Nónne diffidenter ad hæc tam numerosa accedis ? Tantum tibi in ordine accurato , quô utemur, & cursu continenti, quô cœpta persequemur, fiduciæ sit ; ut nec lentitudinem in hoc omnia lustrandi studio metuas , nec fastidium , aliis atque aliis, isque semper novis, obvenientibus spectaculis.

14. Exposce precibus & votis à supremo Numine , ut , quod inceptamus , successu beet ! Atque , si presso pede me sequi fixum tibi stat, eâ nitere spe, fore , ut progressio (ad sapientiam & eloquentiam) supra omne id, quod à me promitti audis, conspicua sit.

VII. Ele-

VII. Elegantiæ ex Sermonis Contractione.

[*Atrium Laconiſmi.* Ubi multa dicuntur paucis.]

I. *Initus.*

1. Salve.

2. Quæris, *quid Eruditio ſit? Strictim dicam: Rerum & Verborum notitia.*

3. Satin' id? Certè. Fundamenta dixi.

4. *Nam Vox eſt nota Rei.* Ut Rem nôris, Vocabulum diſce. Junge hæc, ne ſepara.

5. Aſt id arduum? Ne fingas: modò eamus ordinatim, libenter, attentè.

6. Sequere! Ducam te per omnia, ostendam & nominabo omnia.

7. Primùm rem quamque totam; tum ejus partes; demum ſpecies: ut quid ſit, & quid habeat & agat, demum quomodo, proſpicias.

8. Prodeamus! ut ante omnia *Dei & Naturæ opera* videas.

9. Indè ituri per *humanas Opificinas*; ad viſendum, quî homines opera Dei aptent ſibi, aut ſeipſos adaptent illis.

10. Poſt inibimus *Regentium penetralia,* Regiminum ſpectatum formas.

11. Denique *Sacraria* viſemus, viſuri pervarios Deum colendi ritus: Illiusque rurſum nos gubèrnandi modos.

12. Ita latentia quæque, ubicunque, pateſcent: tibique cum lingua *res Naturæ, Artis, Morum, Pietatis,* noteſcent.

13. Paveſcis? Cave. Via recta brevis eſt: & quam Verborum paucitas etiam reddet breviorem.

14. Ora, multumque ſpera.

VIII. Elegantiæ ex Figuris.

[Sive *Atrium ſtyli figurati:* ubi Sermo ad nervoſitatem, vario ſententias enuntiandi modo acuitur.]

I.

Exclamatio. 1. *O ſalve, ſalve,* Theatro te iterum reddens gnave
Epizeuxis. Rerum Luſtrator, *ſalve!*

2. *Am-*

2. *Ambire* ego te, *ambitiosum* in Elegantias, iterum aliquid suspicor: quid sit, edissere. *Sermonis Elegantias utrùm me jam docueris omnes, an supersit aliquid*, scire aveo. *Figuris* te *Orationem colorare* nondum docui: ut *sive* Oratio sit nativè structa, *sive* transstructa; variataque *sive* per Vocum transmutationem, *sive* per Rerum transnominationem; & diffusa in Asiatismum, aut contracta in Laconismum: eam tamen ipsâ eloquendi configuratione ad nervositatis penetrandum armare scias. Prosthesis. Epanalepsis. Polyptoton. Trolapsis. Prosopopœia. Interrogatio. Anaphora & Epistrophe.

3. Habétne res hæc peculiare aliquid? *Habet*, omninò *habet*: ut hactenus non nisi colorem & sanguinem Orationis *vidisse videri* possis, nunc nervos torosque spectaturus sis, vera demum Eloquentiæ fundamenta. *Quid, Fundamenta dixi?* Structuram fastigiumque. Interrog. Epanal. Epistrophe. Polyptot. Revocatio.

4. Priora namque illa ornamenta ad doc*endum* & delect*andum* præcipuè faciunt: hoc ad mov*endum*, pervinc*endum*, triumph*andum*. Epistrophe.

5. *Cave* autem novas difficultates, Herculeosque aliquos nodos, suspiceris, *cave*, metuas! Nam *sit* difficile, *sit* arduum, *sit* prolixum hoc studium: *at* est pulchrum, *at* suave, *at* utile. Si nihilominus postremum hunc laborem recusas, *licet* remittas studium, *licet* consistas in medio cursu: at exspecta opprobrium, te *devorato bove defecisse in cauda*. Parrhesia. Anaphora. Concessio. Anaph. Anaph. Permissio. Anaphora.

6. *Aude* potiùs, *quâ* præibo *cunque*, denuò me sequi aude! *Muniam* tibi *per* hunc quoque Elegantiæ campum *viam*; *præferam per* hæc quoque antra *faces*. Epanal. Tmesis. Symploce.

7. *Faces*, dico, præferam exemplis perpetuis, omnium in Janua dictionum, sententiarum, periodorumque habitum commutando à simplici & recto in figuratum. Anadiplosis.

8. *Placétne* à Jova fieri contemplationis initium?

Meritò,

Communicatio sect. 8, 9, 10, 11. Anaphora quadruplex. Epistrophe. Symploce.

Meritò, quia Ille rebus dedit initium: invisibilisque ipse in se, visibilem se fecit Operibus, quæ *sapienter præcogitavit, concinniter ordinavit, potenter creavit.*

Interrog. Anaphora. Epistrophe. Symploce.

9. *Placétne* pòst à Naturalibus ad Artificialia fieri transitum? *Meritò, quum* Ars *nihil nisi* Naturæ simia *sit, nihil nisi* Naturæ imitatione *possit: sive* homines Naturæ opera usibus accommodando suis, ea sibi ad placitum *transformant; sive* ad seipsos perficiendum exemplaribus utendo Naturæ, seipsos *reformant.*

Interrog. Polyptot. Polyptot. Anaphora.

10. *Placétne* deinceps ab Artificialium lustramine ad Moralium transire lustramen? *Meritò, quum* regimen Morum plus *Artis* ac *Ars* ulla indigeat: nempe quia Hominem, omnium animalium ferocissimum volubilissimumque, regere, *Ars Artium* est. Ad quam discendum quærenda est accurata idea: *optimè* scilicet *ordinata* Domus, *optimè ordinata* Respublica, *optimè ordinatum* Regnum.

Communicatio. Paranomasia. Anaphora. Epanalepsis. Anadiplosis. Paronom. Polyptoton. Paronom. Polypt.

11. *Placétne* tandem à Moralibus in Spiritualia veniri? *Meritò, quum Moralitas* nostra, quantumvis decora, nisi in Pietatem & tendat & desinat; *Morositas* potiùs *fiet.* Visitabimus igitur *Templa: Templa,* inquàm, visitabimus quoque, quonam modo *Mortales immortali* sese jungere, & quàm *religiosè religione* eidem se *religare,* quærant, spectaturi. Sed & quomodo Ille rursus occulto *nomine* & *numine* gubernet omnes & omnia.

Apostrophe. Symploce. Climax.

12. Non effugietis nobis, ô Res, quascunque Cœlum & Terra habet, manifestas vel occultas! Ibitis *in lucem,* si Vos ordinis vi protractum ibimus *in lucem:* non Naturales solùm, sed & Artificiales; nec solùm Artificiales, sed & Morales; nec denique Morales solùm, sed & Spirituales ac Divinæ.

Interrogatio. Paronom. Deliberatio.

13. *Te autem* rerum hæc *turba* ánne *turbat?* Si *nescio, utrùm* te hortari pergam, *an* desistam; & u

milite

militem corde pavido (Juxta Mosis legem, Deut. *Communicatio.*
20. 8.) domum remittam? *Quid videtur? Gnavus*
an ignavus audire mavis? Fuge ignaviæ notam. *Ecce*
Res ipsæ in aciem se novam disponentes te invitant! Veni *Prosopopœia.*
dilecte, Vide nos & aciem ordinatam tuum denuò exspe-
ctare lustramen!

14. *O bone* DEUS, jube, ut quod *bonitate* tuâ freti *Apostroph.*
denuò aggredimur, *benè* vertat! Ita mecum tu Spe- *Polyptoton.*
ctator *suspira*, & benè *spera*: hanc Rerum & Elegan- *Apostrophe.*
tiarum viam crebrò *itu* & *reditu* si triveris, *sapientem* *Paronomasia.*
te *fore*, *eloquentem fore*, *elegantem fore*. Sed malo tace- *Epanalepsis.* *Aposiopesis.*
re, quàm largiloquus promissor viderier. *Paragoge.*

IX.

[*Elegantias* ligati Styli *relinquimus aliis.*]

De nostro autem Atriali Textu, ex omni Ornamentorum genere promiscuè composito, monendum Te existimo: *non solum nobis Styli variationem fuisse scopum*, *sed meliorem*, *pleniorem*, *suavioremque Rerum ipsarum expressionem*: quod cognoscet, quisquis Janualem Textum cum hoc Atriali conferre voluerit. Et Tu proindè utrumque hunc pariter Tibi propones scopum: nempè ut Tuos & Rerum cognitione altiore imbuas, & Res easdem vario lepóre colorare condocefacias.

Priori scopo serviet, ut *Ipsemet Encyclopædicè doctus sis, nihilque adeò de Rebus majoris momenti ignores.* Tanta quippè est Rerum omnium concatenatio, ut ignoratâ vel unâ insigniter multa ignorentur, scientiaque vacillet: & rursum occasione cujusvis Rei, aut Vocis, quidvis pulchrum & admirabile doceri possit, magnâ ingeniorum oblectatione, magnoque scientiæ augmento. Quum ergò docere alios nequeat, quod quis ignorat ipse: Tibi autem elegantis Literaturæ duci omnia, quæ Tuos faciant elegantes, docenda sint, non possum non totius Encyclopædiæ studium seriò tibi commendare; etiamsi historicâ solùm interim rerum variarum recensitione, cùm Res per essentiam docere non tuum sit, sed eorum, qui Te sequentur, positisque à Te fundamentis altiora superstruent.

Posteriori scopo serviet prænotatorum jam Grammaticæ Præceptorum *Praxis, Analytica & Genetica.* Attende, quæso, quæ de utroque illo exercitio dicturus sum, ut urgere queas utrumque feliciter.

In condendo Atriali Textu quia nos liberè sumus versati, & promiscuè jam hoc jam illo Ornamentorum genere (qualiter in Styli cursu fieri adsolet) usi: elegans Tibi cum Tuis exercitium erit, si perlectâ Periodo quâvis (Januali & Atriali) mox hanc *analysi* resolvere, & quô ornatûs genere nativus sermo ibi
conde-

condecoratus sit attendere, atque ad suum fontem (Elegantis Grammaticæ præceptum aliquod) reducere jubeas. Continuatam enim tale hoc examen multum pollicetur profectum. At majorem longè, si adjungatur *genesis:* hoc est, si quamlibet Periodum, ornatu nostro veluti exutam, aliis etiam, & quidem omnibus novem, convestire jubeas decoribus. Aliis injungendo, ut *Perspicuitatem* examinent, atque si quid obscuri superesse videbitur, ad Perspicuitatis leges explanent. Alii videant *Latinismos*, eosque, sicubi fortè deesse videbuntur, aut Lexicon Latino-Latinum suggeret alios, vel suppleant, vel varient. Alii partes Orationis aliter, quàm nos fecimus, trajicere: alii Grammaticè variare, alii dicta simpliciter in allegorias transformare: alii nostra pressius (alicubi) dicta dilatare; alii rursum dicta laxiùs contrahere; alii simpliciorem nostram texturam Figuris illuminare; aut etiam metrorum numeris (si cui vena Poëtica salire incipiet) includere, tentent. Vides, quanta hic Exercitiorum seges! quanta Ornamentorum messis! & quàm fluida, modò industria ne desit, hæc omnia! Adhúcne de Methodi nostræ difficultate, quasi non pro puerilibus faciat Ingeniis, queremini? Atqui hæc non pueris in puerilibus detinere semper, sed promovere ad virilia, debemus. Assevero autem, & agnoscent, qui de his talibus judicare possunt, Methodum nostram puerilibus reverà esse adaptatam Ingeniis: si sint, qui gradatim ire, & hiatus cavere, velint. Sed non positis fundamentis, aut ruinosè positis, festinare ad fastigia, aut in medias structuras irruere sine ordine, & tractare hæc raptim duntaxat, & obiter, ac perfunctoriè, non potest non parere tricas, profectus autem retardare, vix excludere penitùs. Ut taceam, mihi non tantùm, quid Vos accipere, sed & quid me dare signum sit, attendendum esse.

Pergo autem, Poeseos Latinæ Tibi quoque committuntur rudimenta: quia sine Poëticæ cognitione Linguæ Latinæ nunquam sibi constabit integritas. Cui usui *Catonis disticha* servient; & *Murmelii è Catullo, Ovidio, Horatio, Martiali excerpta.* Poteris & è *Salernitana Schola* seligere, Discipulisque (Methodo, quam Cap. XI. sect. 15. &c. præscripsimus) dictare, *Diætetica:* & quædam *honestè faceta ex Oweno* & aliundè, ad ingenia perelegantı hoc studio oblectandum & inescandum. Undè si quem ad Poëtarum imitationem naturæ impetu rapi, & Carmina scribere velle videbis, non prohibebis, juvabis potiùs. Quò & sine Te non inelegantem Poëtam Classi huic elegimus Moderatorem. Sed neque rursum quenquam coges: sive naturâ sit alienior, (nôsti illud, *Nascuntur, non fiunt, Poëtæ*) sive quod festinet ad alia.

Inter memoriæ hic exercitia (ut id obiter tangam) sit *concertatorius lusus.* Parentur schedulæ 22. pro Literarum Alphabeti numero: (loco nimirum K.X.Y. à quibus Latina vox incipit nulla, datis *Jod* & *Vau.*) Has inter se sortiantur, quotquot Collusores fuerint, ut quam quis nactus fuerit Literam, ab illa incipientem aliquem recitet Versum, aut Versu deficiente Gnomam: sed nunquam eandem iterando, semper aliam depromendo, donec aliquis hærere se sentiens, defectum fateatur. Is ergò ludum perdet, & abscedet: reliquis, si fuerint plures, eousque ludum continuando, donec unus triumphet. Pulchrum hoc lusûs genus faciet eos in Diariis colligendis, repetendis, ad usum expromendis, diligentes: res itaque boni usûs erit. Modò simul hoc etiam observetur, ut schedulæ plures fiant ex illis Literis, à quibus multa incipiunt, ut *A, C, D, F, M, P, R, S,* &c.

Ad *Lexicon* tandem *Latino-Latinum* Tuos deduces: cujus ductu Latina Latinissimè, verèque Latina variè Latinè, efferre docebis. Verùm hoc quia nondum luci datur, informationem de illius Usu differamus. Tu hæc interim gratâ manu accipe, utque Tui multùm ex te proficiant, enitere. Vale.

IN LATINITATIS ATRIUM

I. Ingressio.



Alvere te jubeo, quisquis nostra hæc lecturus ades.

2. Atque si est, ut ex me quæras, *Elegans Literatura quid sit*? Responsum dabo, *Res Rebus speciosè conferendo appellationes earum proprias permutare posse elegantibus, juxta Linguæ cujusque genium.*

3. Confectúmne sic dabitur negotium? Ita enimveró. Quantaquanta est *eloquens Sapientia*, fundamenta ejus jacta sunt illi, *cui Res transnominare loquendique formulas ex arte variare* (*ad cujúsque idiomatis indolem*) *in promptu fuerit.*

4. Quippè non lac lacti æquè simile est, ut Res rebus ad eandem ideam factis: ut deprehensâ illarum ad invicem habitudine, altera alterius suaviter detegere queat naturam. Quod dum fit, duos unâ dealbamus parietes fideliâ: Animam nempè tingimus sapientiæ lumine, & linguam imbuimus eloquentiæ lepóre

5. *Verum istud ardua forsitan fuerit opera*? Pedum videbitur via, tam in vado te ubique senties, ubique intra cancellos ductus. Lubenti animo haud quidquam difficile; modò simul attentionis afferentur oculi.

6. Aude-sis meis insistere vestigiis! Circumducam te denuò per rerum campos; sed florum amœnitate jam contectos: non appellando amplius scapham scapham, & ligonem ligonem, sed condecorando rem quamque honorariis titulis, aliundè mutuatis.

7. Quæcunque res in conspectum redierit (dicere volebam) obtendemus illi alterius rei velum, ut noscatur è socia, si quæ non (satis suaviter) cognoscitur ex se: aut saltem alium inducemus colorem, ut à variato Sermonis ductu novum accipiat spiritum & vitam: fiatque oculis evidens tuis, quàm variè enuntiari queat idem.

8. Adesdum, *provolemus sub aperta Cœli!* in propatulo sic habituri, quæcunque Deus (principium illud sine principio, rerumque fons unicus & basis æterna) sibi gloriæ, nobis oblectationi primitùs condidit: & hactenus filia Dei, rerumque parens, & sedula sui conservatrix, *Natura*, solerter operatur.

9. Postmodum nos *ad Rura, & Opificum ergasteria, humanitatisque officinas Ludos literarios*, conferemus: ubi spectare erit, quâ ratione Omnes hi, diversa licet agunt, similiter tamen agant; & alter alterius operas nomenclaturasque illustret suis: quod ubi rectè intellexeris, Artium, Morum, Linguæ, augeri tibi senties lumen.

10. Par exindè ratio erit, ubi *Oeconomicas, Politicas, Monarchicasque administrationes* contemplando, singulas regiminis

regiminis formas Naturalium & Artificialium imitamenta esse deprehendes.

11. Coronidem contemplationibus imponent *Templorum sacraria*: ubi quô ritu hi, isti, illi, Numina revereri, & invisibilis Opitulatoris gratiam demereri connitantur; quâque rursum ratione Cœlestis omnia permeans vis gubernet ac in fines suos dirigat universa, observabis.

12. Ad hunc modum effugere oculos nostros poterit nihil, quicquid ad Rerum & Sermonis complicationes detegendas facere possit: Tuque Rerum ad res collatione, & mutuâ transnominatione, ipsas *Naturalium, Artificialium, Moralium & Divinorum ad invicem habitudines* prospectabis: Undè tibi Rerum ac Linguæ recessus, Latinitatisque veneres (pictæ scilicet Rerum imagines, & Sermonum mucrones) patescent meliùs.

13. A conspectu tot denuò scandendorum montium ánne trepidas? Spe bonâ esto! Dum Rerum premendo vestigia non absque ordine sparsim feremur, sed scopos petemus directè, neque post terga respectabimus spatia hæc spe citiùs emetiri poterimus: ibuntque omnia in delicias, nusquam non, quod animum blandè titillet, sese offerente.

14. Quod igitur felix, faustum, fortunatumque sit, Porta patet, ingredere; Resque de integro, à capite ad calcem, modo novo lustra: neque, nisi stadio à carceribus ad metas percurso, desiste. Factò hôc oculatum te ad omnia humana & divina reipsâ comperies: plus siquidem in recessu habebit, quàm promittit à fronte, venustulum hoc exercitii genus.

II. Mundi facies prima, in Elementis.

15. *Sub Jove aperto* sumus! Circumfer jam oculos per amplissimum istud rerum receptaculum, *Locum*, sex constantem parietibus: Suprà & infrà; Antè & retrò; Dextrùm & sinistrùm. Intra hæc quicquid vides MUNDUM vides, Compagem universorum absolutissimam, Amphitheatrum spectaculis refertissimum.

16. Extimam illius circumferentiam testudiniatam, visum nostrum undique terminantem, non abs re ut *mundana Civitatis mœnia*, omnia suo sinu complectentia, concipies.

17. Substrato verò huic pedibus nostris solo, & perfuso passim scatebris, circumfusoque profluentibus ac ponto *Telluri* nomen est.

18. Hoc tandem diastema diaphanum, Cœlo & Terræ parabiliter interситum, spirabilique naturâ repletum, *Aëris* nomine venit.

19. Quatuor hæc *genitalia corpora*, ut reliquorum Corporum sedes, matrices, nutrices, ita & populatrices sunt. Aër quippè res allambendo, Rerum simul & refocillator est, & arrosor perpetuus. *Aqua* Rerum refectrix, eademque putrefactrix: *Terra* omnium nutrix & omnium devoratrix: *Ignis* omnium fotor, & omnium vastator, si invalescere permittatur. Hæ sunt *Elementaris Mundi rota quatuor*, per quas eunt & redeunt omnia.

20. Elementis vacans locus nullus est, omnia his referta, tamque densè stipata sunt, ut inane spatium nusquam detur, sed agitatio, attritus, permistio: quorum temperatura salutem dat rebus, intemperies perniciem. Solatio est, si quid corrumpitur, in sua redire principia, indèque Res prodire novas.

III. Cœlorum Exercitus.

21. Intende jam oculos in supernum illud Mundi palatium, tot candelabris conspicuum, sphæram illam æternùm volubilem! Vide picturas Firmamenti, *gemmantia Sidera!* Vide Astrorum cohors! Vide Cœlorum exercitus!

ercitus! Vide Flammas inexstinguibiles, Mundi lampades fulgentissimas! Vide Horologii mundani motores primos, Rerumque circulatores sempiternos! Quorum præsentia dat *Lucem*, oculorum collyrium, Rerumque omnium revelatorem; absentia *Tenebras*, Oculorum præstigias, Rerumque (etiam maximè præsentium) Velatorem.

22. Vide mihi *Phœbum* lucis aurigam, Tenebrarum flagellum, caloris fontem, Mundi oculum, Astrorum regem! Umbram illam lucis Dei, Arcanorum detectorem, tenebrionum proditorem, Itinerantium ducem, Temporum dispensatorem, Dieique (qui est quotidianum principium, æternaque computatio) quotidianum reductorem. Oriente quippè illo, diuturna lux oritur, occidente occidit; ut locus sit nocti, quietis reductrici, somni genitrici, curarumque domitrici.

23. Ab eodem Sole Annus, quadriga Mundi, normationem accipit; ut nobis *jam Ver*, pratorum pictorem, adducat; *jam Æstatem*, frugum maturatricem, comparere faciat; *jam Autumnum*, anni horreum, sistat; *jam Hiemem*, terræ requiem, reddat. Ab ejusdem Phœbeæ lampadis vicinitate *Æstus*, herbarum paralysis; à secessione verò *Gelu*, frigoris ille partus, aquarum condensator, herbarumque persequutor, veniunt.

24. Nec minùs tota Seculorum complicatio, per Annorum Mensium, Hebdomadarum, Dierum ac Noctium, Horarum denique & Scrupulorum, in se redeuntes spiras, ad hujus coryphæi ductum sese convolvit & revolvit: hujusque ipsius Thesei itus ac reditus, rebus per tot revolutionum Labyrinthos oberrantibus, verum Ariadnes filum sunt.

25. Vide mihi & *Phœbi sororem* ac æmulam! tenebrarum facem, noctis honorem, humorum præsulem; sed vario se nobis ostentantem vultu, & Proteo mutabiliorem. Vagabundâ etenim cùm sit, & nativâ luce carens, fratris tantùm de lumine lucens (eoque dimidiâ sui parte illuminata, reliquo corpore tenebricosa) quantò illi accedit propiùs (semel mense) tantò magis à nobis luminosum suum avertit vultum. *Menstrua* ergò hæc *diva*, jam pernox est, orbe pleno micans; jam silens, orbe toto latens; jam reparans cornua, & orbem resumens; jam contrahens & angustans: eoque noctem nunc nitidam, nunc obscuram, nunc cæcam, reddens.

26. Extra hos luminis nostri diribitores specta mihi, apricante noctu cœlo, triplex Stellarum genus. Et primùm quidem errantia sidera quinque (Graio nomine Planetas) alterantia tum cursum, tum inter seipsos intervalla, & à terra altitudinem: stellam puta *Saturni*, stellam *Jovis*, stellam *Martis*, stellam *Veneris*, stellamque *Mercurii*. Quæ, Luminaribus junctæ, veluti septem vitalia Mundi viscera sunt. *Sol* siquidem planissimè *Mundi cor*, totius ejus vitæ fontem; *Luna cerebrum*, motuum directorem; *Mercurius* stabilem *pulmonem*; *Venus genitalem* rerum *calorem*; *Mavors* Mundi *fel*; *Jupiter jecur*; *Saturnus splenem*, referunt. Veneris jubar si quando Astrorum & suum regem primo mane antecedit, & in plaga Eoa conspiciendum se præbet (quod mensibus novenis facit continuis) *Phosphori* gaudet nomine; si rursum a tergo comitatur, & primâ nocte in plaga hesperia seu occidua se ostentat, (quod tantodem temporis spatio facit) *Hesperi*.

27. Reliquus Astrorum, fixis inter se distantiis radiantium, æquabilique motu terras circumvolitantium, chorus, totum occupavit Olympum: quos ab Erronibus tremulæ radiationis vibratio (in his, præquam in Venere & Mercurio, inobservabilis) discernit.

28. Insunt quoque Firmamento perparvulæ, densissimèque consitæ, stellulæ, quas per liberum aspectum, & circa specillorum opem, non videas;

quippè quæ candentiam tantùm quandam circum se excitant: quemadmodum omni serenâ nocte, in illustri illo astriferæ Sphæræ tractu, quem *Galaxiam* dixerunt, spectare datur: (præsertim si quis Optico tubo instructus, cœlestia illa tecta intueri animum inducat.)

29. Postremum stellarum genus insolitum est; flammigeri, nunquam terris impunè spectati *Cometæ*, ferales illi Calamitatum nuncii, Regnorumque eversores horrifici: quorum fulgor à propriáne flamma veniat, an à Sole transpareat; quia inter Authores disconvenit, sub judice lis est.

IV. Sublunaria ostenta Ignea.

30. Rectè IGNEM motorem moventium, fotorem nascentium, excoctorem maturescentium, retextoremque ac dissipatorem omnium, dixeris: ut qui pabula sua quærens, & lambendo attrahens, illa quidem corpora, quibus blandè inest, secum sustentat; ea verò, à quibus pabula sumit, absumit; depascit, destruit.

31. Arida ardere in proclivi est: ut & inardescentia gliscere, flammescere, æstuare etiam, si perflatui detur locus; concremari denique, & à favillis cinefieri. At *Favilla* quid est? Vivus cinis. *Cinis* verò? rei combustæ incombustiles reliquiæ. Sed madida, vel etiam humida, citra *fumationem, fumigationem, crepitationem*, scintillarumq; *dujectionem*, ustulari nequeunt.

32. Interim exiguissima quoque strictura, arenti stramento, aut stupæ, aut cuicui inardescere aptæ materiei illapsa, nullo ei negotio igneâ suâ vi inflammationem infert: Tu verò, quò Vulcanum compescas, è vestigio superinjectamentis opprime, aut fontibus obrue, vel tandem alimenta ipsa ignis dissipa.

33. *Fumus* quid est? Rerum densè textarum, sed ignis vi subitò retextarum, sursum evolantes flocci. *Flamma* quid? resolventis se in aërem & lucem pinguedinis splendor. *Fuligo* quid? condensantis se rursum materiæ ustæ scoria: cinis ater volaticus, periculosum camini agglutinamentum, nî deradatur identidem.

34. *Torris* quid est? ligni unius durans incendium. *Titio* quid? lignum obustum, aut semiustum. Quid autem *Pruna*? Carbo vivus. Et quid *Carbo*? restincta pruna.

35. Ne autem sis nescius, dum terrena fervoribus ignis urgentur, exurgeri halitus retorridos: qui in sublime evecti, ignitionemque (sulfureâ suâ vi) passi, *flammantia Ostenta*, quibus aër ludat, producunt. Quæ illa? (1.) *Stella cadens*: fumeus scilicet funiculus, perpendiculariter extensus, cujus pinguedo desuper accensa deorsum labitur, donec exstinguatur. (2.) *Draco volans*: trabs nempè fumosæ pinguedinis in transversum posita, conceptâque flammâ stricturas disjectans. (3.) & *Ignes fatui*: flammæ videlicet ad palustria humi surgentes, & vagè oberrantes. (4.) *Fulgetra* autem & (5.) *Coruscationes*, quid nisi missilia ignita Dei, mutaque fulmina, sunt? (6.) Sed *Chasma* in cœlo nihil nisi nubium antrum, luceque privata profunditas, est.

36. Atenim quando exhalationes ejusmodi igne correptæ *collisionem* patiuntur, edunt *fulgurationes* & murmura, cum horrisono nubium fragore: coruscant enim flammæ, & *retonant* nubes, & discutit cœlum fulmina, ut consternatione reddamur exanimes propemodum.

37. *Ignes nubibus elisi, trisulca illa Jovis tela*, temporis puncto emicant, violentiâque tantâ, ut obvia quæque ictum experta prosternantur, diverberentur, præurantur, aut etiam penissimè perurantur & deflagrent.

V. De Aura ætherea, ejusque vario fluxu.

38. Radiis Siderum continenter verbera-

verberatus & penetratus Aër, est secundùm minutas sui partes in jugi, rebusque vegetandis inprimis salutari, agitatione, nobis etiam insensiter: persentiscimus nihilominus tamen plerumque, sive secundùm se totum in motu aut quiete sit, sive secundùm partes.

39. Nam quoties Aër calorem sentit, toties liquescit, diffluit in ampliora spatia se diffundit: quoties frigedinem patitur, conspissat se, constipat, in angustum cogit. (Ita *Calor* nihil est nisi æstuantium dissolutio ac distensio; *Frigus* nihil nisi rigescentium, & se intra se comprimentium, stipatio) Utroque versum aut se loco tenet uno, quiescens; aut undabundus fluit aliò, jam remissiùs, jam incitatiùs.

40. *Ventus* ergò quid sit, quæris? *Aëreum flumen: Aëris* puta dilatati aut impulsi, eoque novas sedes quærentis, *de loco in locum migratio*, & quà transit, rebusque se allidit, *humiditatum exsiccatio, putredinumque expurgatio:* verbo uno, Scopę mundi. *Aura* quid? placidus æquabilisque Aëris fluxus *Procella* quid? Torrens aëris, aëreum omnia obruens diluvium. *Turbo* quid? Aërei fluminis (penetrare non valentis, ideòque sese in seipsum collidentis, & in gyros agentis) vortex. Cui si tandem non ampliùs à tergo insistitur, sistit ille, & in malaciam desinit.

41. Principes venti, à quatuor Mundi cardinibus venientes, cum interjectis & ex obliquo spirantibus, varias locis variis receperunt appellationes: ut eorum Nomenclatura non satis sibi apud Græcos & Latinos constet.

42. Operationes ventorum si spectes, *Septentrionariis* & *Orientalibus* asperandi, adstringendi, gelandi; *Australibus* rursum & *Occidentalibus* remolliendi, resolvendi, regelandi, inesse vim, observatio te docebit. *Etesia flabra* annua sunt; præsertim qui Caniculâ Terras urente à lateribus Aquilonis gliscentes, fervorem solis temperant.

43. Eadem spirabilis natura omnia intima Terræ cava opplens, si concitata in fluorem exitum quærat violenter, conquassat illam, vexamineque tali Montes & Urbes concidere facit: dumque in locum evacuatæ auræ Terra ipsa prolabitur, Labes fiunt & sedimenta.

VI. De Aqua, Ostentisque in sublimi aquosis.

44. Spectemus *Aquas*, pulveris terreni glutinamentum, rerum mollimentum, sitis levamentum. *Fons* quid est? Subterreæ abyssi vivus canalis, naturalisque sipho. *Puteus* quid? subterraneorum humorum cribrum. *Fluvius?* Naturalis aquæductus, aquarum natatio, cursus indeficiens, Regionum æquatio. *Mare?* Terræ limes, regionum divisor, imbrium fons, fluviorum hospitium, aquarum comitia perpetua. *Oceanus?* Aquarum omnium origo, rursumque vorago, Terræ amplexus universalis, ad Antipodas via, *&c.*

45. *Salinæ*, sunt optimi condimenti promptuarium: *Acidulæ*, vicarii vini suppromus: *Thermæ*, balneæ sine Balneatore, & sine Medico medicinæ admirabilis virtutis.

46. Eruptio hinc indè fontium dat *Rivorum* venas; quarum corrivatio efficit *Fluvios*; horum autem confluxus majora, intra suos alveos ripis interclusos demanantia, *Flumina*. Pluviatilium verò aquarum collecta, & præcipitanter volvens vis, *Torrentes* facit, *Eluvionum* quibus interdum Campi restagnant & vastescunt, materiam.

47. In Fluminis meatu, ubi aquam continuò meare cernes, *Fluentum* erit; ubi in gyrum volvi spectabis, *Gurges* & *Vortex*; ubi absorberi à seipsa contueberis, *Vorago*; ubi adeò in altum descendere, ut fundo destituatur, compereris, *Barathrum:* ubi autem nullum aquæ

aquæ profluvium senties, nullumque decursum, sed tumorem & diffusionem solùm, *Stagna* erunt & *Lacus*; ubi ne motum quidem notabis, terram tantùm humore superfusam & permadentem, *Palus*, aut *Lacuna*, cœni confluges.

48. Mari salsitudo inest, salsugini muriæ non absimilis: cujus undæ ab intraneo æstu quotidiano intumescentes litoribus bis affluunt, bisque remeant, horrendo cum sonitu, intra fretorum angustias potissimùm.

49. Confinia Maris & Terræ non ubique rectam per lineam decurrunt, nec eandem sui ostentant faciem. Alibi enim *Promontoria*, quæ eminentis terræ partes sunt, in mare procurrunt: alibi *Sinus* Maris intra terræ limites se infundunt: alibi *Insulæ* undique Mari circumluuntur; aut *Peninsulæ, Isthmo* veluti collo quodam Continenti cohærent.

50. *Vapor* quid est? rarefacta aqua, volaticus fluor, Aëris rigator, Nubium genitor. *Nubes* autem quid? Cœli velamentum, Terræ umbraculum, Ventorum vehiculum, æstuantium omnium refrigerium, pluviarum niviumque mater. *Nebula* quid? Est nubes in terra, nox in die, aëris caligo, insalubritatum fomes, roris seges. *Sudum* quid? Nubium & Nebulæ, omnisque caliginis absentia, exporrectaque & ridens purissimi Cœli facies.

51. *Rorem* quid esse dicis? Tenuiorum vaporum concreturam, insensilem pluviam, tenellum herbarum pabulum. *Manna* autem? Mel aëreum roscidum, salivam siderum. Et *Pruina* quid est? gelatus Ros hibernæ arborum frondes. *Nix* denique quid; tacitarum vellus aquarum, siccescentes aquæ (non enim commadefaciunt quamdiu in sua forma) flos brumæ, lætamen, quo stercorantur agri, plutiæ, quibus foventur & à frigore defenduntur segetes.

52. Nubis in aquam resolutio, accipit à majore vel minore spissitudine diversa *Rorationes*, *Pluviæ*, *Imbris*, *Nimbi*, *Grandinis* & *Vredinis*, nomina, *Roratio* enim subtilissima est, roris instar, pluvia. *Imber*, densa spissaque confertis guttis pluvia. *Nimbus*, cum impetu ruens imber. *Grando*, congelata pluvia. *Vredo* autem, ardore solis adustum, iterumque plantarum frondes adurens, stillicidium.

53. *Gutta* jacens Gutta est, defluens *Stilla*: cadens autem in aquam cum impetu, inserit aquæ portiunculum aëris, qui ad superiora remeans obducit sibi aqueam pelliculam, fitque *Bulla*: quarum minuta congeries *Spuma* est: stillantis verò aquæ frigore facta conduratio, *Stiria*; stantis aut fluentis, *Glacies*, in tantam obdurescens firmitudinem, ut fluminibus instrata pontium præstet usum.

54. Luminaribus quoque Cœli alias atque alias species vaporosa aëris constitutio obducit: *Coronas* puta circa sidera; & *geminatos Soles*, *aut Lunas*; *Arcusque* coloratos splendore admirando Cœlum urgentes; quos ideò Arcus *pluvios*, & *imbriferos*, dixerunt Poëtæ, quia pallentes venientem, sereni abeuntem nunciant pluviam.

VII. Telluris facies & dissimilitudo.

55. Demitte jam oculos in solum Terræ, solidescentium corporum sustentaculum, quàm inæqualem sui ostentet faciem! hinc quidem porrecta camporum æquora; indè umbones & dorsuosas prominentias, alicubi confragosos & salebrosos tractus; quin & præcelsa montium juga, præaltasq; vallium concavitates: inaccessas scopulosasque cautes, & derupissimas hiatuum voragines ac præcipitia. Alibi gramineo cespite obumbratam videas humum; alibi præ macritate soli glabrentia, rursumque uliginosa & palude stagnata, loca. Hàc spectes solum pingue ubereque glebâ; istàc sitiens, sicca;

ficcaneum, fabulofum; illàc fcrupofum & petrofum, faxeaque mera.

56. O poſſes autem viſcera ejus contueri oculis! occurrerent infiniti latebrofi receſſus, variaque hinc indè meacula vaporationibus perflata perpetuis & fluoribus perluta continuis: quos dum ſubterranea frigora denſando coagulant, progenerant res minerales & foſſitias, variæ formæ.

57. Tere pede glebam, aut fria digitis, pulverem habebis: dilue aquâ, dilutum erit lutum. Sed infuſcata aqua reditura ad limpitudinem, condenſat ad fundum craſſamen, quod limum vocant: Cœnum verò proſubigimus pedibus.

58. Terræ genera ſunt varia. *Argilloſa* tenacitate ſuâ fictilibus formandis convenit. *Marga* pinguetudine ſuâ agris lætificandis inſervit. *Creta, Ochra, Minium, Cinnabaris*, ſuccis infectoribus parandis aptæ ſunt: quin & Medicinis, minerali vi præditæ omnes.

VIII. Foſſilium ſpecies prima, Succus Mineralis.

59. Fluore minerali leviculâ duntaxat alteratione ſolideſcente, ſucci generaſcunt Minerales, formæ & uſûs varii.

60. Sunt etenim alii aquâ eliqueſcentes, omnis nimirum ſalſilago, ubiubi ignem ſiccum ſentit cum crepitu diſſultans. Cujuſmodi *Sal uſualis* eſt, ignotus nemini, ſeu nativus fuerit, foſſilis aut cæſus; ſeu factitius ex aquis marinis, aut ſalſis putealibus. *Alumen* idem dulciter ſtipticum, & *Chalcantum* acidè ſtipticum. Tandem & *Sal nitri*, quem concretum *Salem petræ* (& *Salem petroſum*) nominant.

61. Sunt alii ſucci pingues, concipere flammam idonei: ſive fuerint coagulati ſive liquati. Cujuſmodi *Sulfur* eſt, magnâ inardeſcens celeritate: & *Naphtha*, ſeu *Oleum vivum*, cujus incendium eminus etiam attractum aquâ extingui non poteſt, ſed pulvere: & *Electrum* pertranſlucidum: & *Ambra* odoratiſſima; aliaque varium genus *Bitumina*.

62. Sunt denique ſucci fragiles, in pulviſculos friari aut in pigmenta teri, apti: ut *Arſenicum, Auripigmentum, Sandaracha*: illud candidi, iſtud lutei, hæc rubentis; *Antimonium* denique, (quam & *Stibium* & *Stimmi* vocant) ſublividi coloris.

IX. Foſſilium ſpecies ſecunda, Metalla.

63. METALLA (quæ non abs re fluidam terram, ſolidatamve aquam, dixeris) tot primaria ſunt, quot nobis Vitalia viſcera, & Cœlo motu proprio graſſantia ſidera. *Aurum* enim, cor & Solem; *Argentum*, cerebrum & Lunam; *Cuprum* jecur & Jovem; *Ferrum*, bilem & Martem; *Stannum*, renes & Venerem; *Plumbum*, lienem & Saturnum; *Hydrargyron*, pulmonem & Mercurium, referunt.

64. Crudiſſimum inter omnia *Plumbum* eſt: è cujus materia pro picturis paratur *Minium*, & pro emplaſtris *Ceruſſa*, & pro fictilibus incruſtandis *Lythargyrum*.

65. Duratius aliquantò, & percoctius, *Stannum* eſt, ex quo vaſa eſcaria potiſſimùm parantur: Sed omnia rigore ſuperans *Ferrum* (indomitus illæ Mars terræ, omniumque propemodum inſtrumentorum materia) rubiginem ſitu trahit, perroditurque. Cujus medullam & nucleum *Chalybem* dixerunt, quo ferramentorum acies roboratur.

66. *Æs Cyprium* ahenis procudendis habile (obſequitur enim promptè malleis) æruginem luculentæ viriditatis contrahit. Ex ipſo autem *Cupro* cadmiæ mixto conflatur *Orichalcum*, metallum factitium: non ampliùs ductile, ſed fuſile, hoc eſt, non

malleis tundi, sed ignis vi liquari ac in formas fundi se permittens.

67. His omnibus purius *Argentum* subterranea illa Luna, suas nihilominus habens scorias.

68. Purissimum ante omnia *Aurum*, metallorum ille sol, intus mera puritas, foris merum pretium, est; quia cum sit compactissimæ substantiæ, eoq; pondere omnia corpora vincens, immittas id sexcenties licet catillo, substantiæ nihil deperdit, nec ullam sentit rubiginem: *Obryzum* inprimis, naturæ ipsius artificio absolutè elutum.

69. Metallaris quoque naturæ *Talcum* est: sed eò mirabilius, quòd ob indominabile omninò robur neque liquationem neque malleationem admittit ullum. Cui contrariò more *Hydrargyron*, æterni liquoris vomica, nunquam concrescit, nunquam durescit, semper liquidum & tremulum, (nullam licet rem madefaciat, imò ne humiget quidem) omnia præter aurum metalla perest.

70. Inter Metallorum misturas *Electrum* est: cinnus nempè stanni cum argento, neutro excellens, utriusque particeps.

X. Fossilium species tertia, Lapides.

71. *Lapides sunt ossa Terræ*; in tantam usque concrescentis duritiem, ut deliquescere nesciat. Minutulos acervatim collectos Lapillos *Arenam* vocamus; majores & asperos *Glaream* & *Scrupos*.

72. Rudissimus Lapidum facilè in arenam friabilis, eoque scabratus & bibulus, *Tophus* est. *Pumex*, fistulosum saxum, ex spuma maris natum, nihil nisi lapidea spongia. *Scissilis* in laminas Lapis, atratus, aptissimas dat Scripturariis tabellas, domorum tectoribus tegulas. *Phengites*, specularis est Lapis, vitrum illiquabile, in membranulas lapideas, tenuiores atque ulla esse charta potest, dissectile. *Thracius Lapis*, *Calx* est, quam accendit aqua, exstinguit oleum. *Anthraciten* ædificiis adhibere tutum non fuerit: quippè qui bituminosus existens ligni instar comburi patitur.

73. *Pyrites*, æternus ignis thesaurus est: *Cos*, ferri famiator: *Lapis Heraclius*, seu *Lydius*, metallorum examinator: *Siderites*, è ferro vitam quærens, ferro vescitur, ferrum sibi præ amore attrahit, aut etiam illi per justa spatia ipse assilit: *Hæmatites*, sanguinis venis insignis, sanguini sistendo valet: *Smiris* acuta vitris & marmoribus scindendis conducit.

74. *Rudum saxum* nihil nisi humi jacere (seu emineat foràs, seu sublateat in terra) novit: *Scopulus* supereminet extra aquam: *Cautes* in aëra cacumen exserit. *Marmor* solidissimum, & ad nitorem poliri aptum: albulum vocant *Parium*; candidum, *Alabastriten*; rutilum, *Porphyriten*; ferrei coloris, *Basalten*.

75. *Gemmæ*, quid nisi subterranea sidera videntur? splendicant enim fulgidulé. Nihil tamen quam gummi saxorum sunt. Nubeculâ aut scabritie notata, mendosa habentur.

76. Vis Gemmarum quædam nôsse genera? *Pyropus* Sol inter gemmas est, flammæ instar rutilans. *Adamantem* ex purissimè radiante nitore agnosces. *Hyacinthus* purpureo, roseo & violaceo fulgore diluta gemma est. *Smaragdus* præviridante colore sese approbat. *Rubinus*, sanguinis ad instar rubens, jucundè tangit oculos. *Sapphirus* cœrulei cœli gratè refert faciem. *Topazius*, Adamantis æmulus, in aureum tamen declinans, duritie illi longè non respondet. *Jaspidem* vario colore, sanguineis tamen ubique interpunctum maculis, videbis.

77. Secundarum partium gemmæ sunt; *Sardius* (*Carniolo* nuper dederunt nomen) & *Carchedonius* (Granatum nunc vocitant) hic & ille subrubicun-

rubicundus: *Achates*, mirâ colorum varietate, (ut plurimum tamen croceo) variarum rerum figuras refert.

78. *Crystallus*, lapidosis antris hexagonæ stiriæ formâ innascens, ut glaciem sonat, ita nihil nisi lapidescens glacies est: adeò durata, ut intabescere nequeat. *Margarita*, seu *Uniones*, splendentes Concharum calculi sunt. *Corallium*, fruticis marini lignum, sub undis molle, aquâ exemptum lapideam trahit duritiem, sanguineumque induit candorem: ut in baccarum formam dolatum, margaritarum prætia æquet.

XI. Stirpes generatim: speciatim Fungi.

79. *Stirps*, affixum loco animal effigiat, cui os *radix* est, nutrimentum trahens; Viscera, *corpus* ipsum nutrimenta coquens; caput & artus, foràs eminentes *frondes*, *flores*, *fructus* sunt: quibus, succo destituta, illicò privatur.

80. *Fungus*, terræ fermentum est, plantæque quoddam rudimentum descendens quidem radice, sed fibris exiguis; ascendens caule, sed non se diffundens ramis, tantummodò in massam orbicularem, mollicellam, imitùs imbricatam, concorporans.

81. Quin inter naturæ miracula numeratum *Tuber*, nullam radicem fibras, aut capillamenta, quibus Terræ cohæreat, habens, ne foràs quidem extuberat, membranulâ duntaxat tenui se obvolvit.

82. Nonnulli fungorum ad escam sunt, & inter scitamenta ponuntur; maximè *Piperites*, *Spongioli*, *Rufuli*, *Capreoli*, *Boleti*: alii lethales sunt, si edantur, ut *Pulverulenti*, *Muscarii*, cæterique ejusdem commatis.

83. Germana planta stirpe capillatâ est, stipite corticatô, ramulis pampinatis, plerumque multifidis. Minoris harum annuâ vice moriuntur & renascuntur; grandiores emori contumaces, ætatem benè ferunt, perennantque; mediæ mediam proceritatem & durationem assequuntur: quarum illæ *Herba*, hæ *Frutices*, istæ *Arbores*, audiunt.

XII. Herbarum sylva.

84. Cauli suo nixam dum vides Herbam (seu fuerit unicaulis seu multicaulis) *Victualisne* sit, an *Coronaria*, vel *Medicinalis*, cogitabis.

85. Inter Victuales (nam non omnes vescendo sunt) numerabis sponte naturæ proveniens *Gramen*, virore solùm, non semine, conspicuum: tum quæ hominum curâ seminatæ cum flore semina edunt, *Olera*, *Frugesque*.

86. Graminei generis herbæ, sunt *Muscus*, herbeæ nationis initiamentum; & *Carex*, incautè prensantibus manum incidens; & *Polygonum*, sanguinalis herba humi se ad vias explicans; *Trifolium*, & aliæ, quas recensere infinitum foret.

87. Germina hortorum dant *rem cibi*, vel *è foliis*, vel *è radicibus*, vel *è fructibus oleraceis*.

88. *Folia* nobis in escam dant, tum *Lactula*, tum *Atriplex*, tum aliæ: sed agmen ducit *Brassica*, quæ semine primùm enata, pòst in aliud solum transferta, mox è medulla sui cymam nacta, circumplicatis circa illam foliis magna facit capita. Degener hujus species in caulem altiorem prosiliens, foliisque patulis se explicans, *Crambe* est. Ex Asparago quod estur, thyrsi sunt; è scolymo capitella, unguinosis foliis complicata.

89. Radices summittunt productiores, albentes quidem *Rapa*, *Napus* & *Raphanus*; pallentem *Pastinaca*; flaventem *Siser*; rubentem *Beta*. At radices articulosas, seu bulbaceas, in *Cepe*, *Allio*, *Porro*, habemus; quibus omnibus foliorum loco thalli sunt, seu styli: sed Cepæ bulbus replicat se in tunicas

tunicas, Allii & Porri bulbulus, in nucleos.

90. Fructus autem Oleracei, Cylindraceæ propemodum omnes figuræ, sunt *Cucumeres, Pepones, Melones*, & quæ ad stupendam excrescunt magnitudinem, *Cucurbita.*

91. Frugum est ferre grana; spicatarum quidem spicis, paniculatarum paniculis, siliquatarum siliquis, inclusa: quarum illæ & istæ nobis *Frumentum*, hæ *Legumentum*, effundunt.

92. *Frumenta* prosiliunt in culmos geniculis interstinctos, cacuminatos vel in spicam folliculis grana foventem, aristisque præmunientem (reperias tamen & muticas) ut sunt *Triticum*, &c. vel in paniculam, fasciatim granula complectentem, ut *Avena, Milium*, &c.

93. *Legumini* debilior scapus est, quamvis & ipse geniculatus: in vicem autem spicarum siliquæ sunt, valvulis grana includentes, quemadmodum in *Faba, Piso, Lente*, &c. videre datur.

94. Accessio frugum reputari possunt *Cannabis, Linum, Urtica*, quæ à staminea vena commendationem habent.

95. In edulium herbarum numero reponendæ sunt, quæ condiendis edulliis serviunt; ministrando condituris sive *foliorum comas*, (quales sunt Acetosa, Intubus, &c.) sive seminum grana (cujusmodi Sinapi, Cyminũ, &c.) sive *florum gemmulas* (Crocus, &c.) sive *radicum stirpes*, vel truncos (ut Raphanus major, seu Sinapi Persicum; Juncus odoratus, &c.)

96. *Coronarias* herbulas vocant floridas & odoratas, quæ coronis floreis, & serviis olfactoriis, sertis denique gramineis, plectendis conveniunt; intellige *Violas*, &c. (Tinctorias his, seu infectivas, annumerare queas, *Rubiam* & *Isatin*, seu *Glastum*, è quo *Indicum*, seu Balaustinus color, cœruleus nigricans, paratur.)

97. *Remidialium* quasdam Campi fundunt, ut *Betonicam, Cychorium*, &c. alias sylvæ ferunt, ut *panaces Angelicum*, &c. nonnullæ ex Hortis benè cultis proveniunt, ut *Hyssopum, Hipposelinum*, &c.

98 *Sempervivum marinum, Veratrum, Rhaponticum folia Sena*, catharticæ sunt, ventri movendo utiles; *Ranunculus, Cicuta, Nepellus*, virosæ & venenosæ, cum imis stirpibus evellendæ. Papavereum capitellum, vulnere violatum, exsaniat *Meconium*; succum scilicet somnificum, narcoticum seu stupefactivum, quin etiam peremptorium.

99. Ad extremum, sunt herbæ, quæ aquis supernascuntur, innatantque: qualis *Fucus marinus, Lens lacustris, Castanea aquatica. Spongia* fungi subaquei genus est, quod saxis adnascitur: substantiâ totâ fistulosâ adeòque siticulosâ, ut exempta etiam aquis aquas sitiat, attrahat, imbibat.

XIII. Frutices cum fruticeis fructibus.

100. Plantulæ arborescenti, caudiceque multifido exsurgenti, *Fruticis* nomen perhibetur: quorum numerum persequi necessariúmne? Familiariorum saltem.

101. Nuculas abellinas ferens frutex, *Corylus* est; pruna sylvestria, *Spinus*; sambuceas baccas, *Sambucus*; paliuri baccas, *Paliurus*; Rosas, *Rosa*; rosas agrestes, baccaspue postea Cynosbati, Cynorthodos.

102. Uvas vinaceas profert *Vitis vinifera*; Uveas spineas *Vitis spinifera*; Berberes *Oxyacantha*; S. Johannis baccas *Ribes*; sentis mora *Sentis*; rubi idæi mora *Rubus idæus*; Cappares *Capparis*.

103. Siliquas dulces dat *Ceratonia*; corticulas dulces *Cinamomum* (bicubitalis arbuscula, in sicco crescens, pluviâ sterilescens;) radiculas mellitas *Glycyrrhiza: Hedera* verò luxuries arbores & muros supervagata, illos & illas depascitur.

104. *Bal-*

104. *Balsami* arbuscula inter bina cubita alta, folio rutæ, perpetuâ comâ, osseis vitreisve incisa cultellis (à ferro enim trepidat, & demoritur) destillat *Opobalsamum*, aurum pretio antecedentem succum.

105. *Xylum*, arbuscula lanigera, lanam fert ligneam: barbatæ enim nucis similem defert fructum, cujus ex interiore bombyce lanugo netur.

106. Etiam hi paludibus innascentes fruticosi sunt: *Juncus* dodrantalis; *Scirpus* (in summo typhas ostentans) tricubitus, in quo frustrà nodum quæras, quia enodis est, texendisque mattis & canistris servit; *Arundo*que geniculata scapis & nodata, tantæ in India magnitudinis, ut è singulis internodiis navigiola, ternorum hominum capacia, fiant.

107. *Cardui*, Asinorum lactuca; *Ebulus*, botros sambuceis similes proferre gnarus; & *Ericæ*, *Nardi*que omnes species, & *Pseudonardus* fœmina, *Ruta*, *Salvia*que & *Marinus ros*, & *Absinthium*, & *Artemesia*, cum *Myrtillo* (Vaccinia nigra & rubra ferente,) aliisque Fruticum majorum altitudinem non adæquantibus, *Suffrutices* cluunt.

XIV. Arbores, cum arboreis fructibus.

108. Stirpem stipite uno sese attollentem, *Arborem* dices: atque si placet, ut humanum humi fixum corpus considerabis. Ubi *Truncum* DEUS veluti corporis staturam posuit, mox *Ramis* quasi brachiis diffundit, *Cortice* veluti cute circumvestivit, pelliculæ interioris loco ei *Libros*, adipis loco *Alburnum*, carnis musculorumque loco *Pulpam*, ossiumque vice *Medullam*, pro capillamentis denique *Frondium* foliaturam dedit.

109. Et quia nostros usus respectabat Creator, fecit aliis lignum *fissile*, interveniis distinctum; aliis *flexile* & *vitile*, admixto glutine lento; aliis denique *rigidum* & *fragile*, negatis fibrarum nervis.

110. Nec folia omnibus pari filo texta, aut simili formâ figurata sunt: Ventosiora his, lanuginoliora illis: aliis rotundata, aliis mucronata, plùs aut minùs laciniosa, pleraque marginem serrata. Autumno in hiemem inclinato defluunt arboribus, vere ineunte repullulascunt; præquam gummatis, quæ usque & usque vernant.

111. Quibusdam umbrosissimæ sunt frondes, ab exuberante viridantium foliorum luxuria: quibus dum peramœnè vireta opacantur, gratissima est sub illarum tegmine spatiantibus, aut recubantibus, à sole defensio, &c.

112. Ad sterilitatem damnatæ serviunt aliàs nobis percommodè: cum foco pabula præbendo, quæ velocioris incrementi sunt, *Alnus*, *Betula*, &c. tum ædificiis materias ministrando, procerioris aut compactioris substantiæ, *Pinus*, *Cedrus*, *Quercus* &c. tum denique vimina contexendis cratibus suppeditando. *Salices*, *Ligustra*, &c.

113. Fructiferarum notissimæ sunt *pomifera*: fructum proferentes corticillâ extrinsecus molli contectum, introrsus *grana* vel *ossicula* (seu ligna) foventem.

114. Quæ *grana* fovent, poma sunt, *Fici*, *Pyra*, *Mala*: non hæc duntaxat nostra vulgaria, sed & *aurantia*, *citrina* seu Medica, *granata* (per excellentiam sic dicta, nihil enim præter grana continent) & *lanata*, seu *Cotonea*, *Mespila* denique & *Sorba*: officula foventia & nucleos, sunt *Cerasa*, *Pruna*, *Persica*, *Armenica*, *Oliva* & *Corna*.

115. Pomiferas excipiunt *nucifera*, molli sub putamine durum corticem, & sub hoc demum mollem oleosumque nucleum occultantes: ut *Jovis glans*, &c. Tu verò in *Palma* quære dactylos, in *Abiete* strobilos, in *Robore* gallas, in *Subere* & *Ilice* glandes, in *Fago* seu Esculo fagineas glandes, &c.

116. *Baccas* molliores racematim ferunt, *Morus* arbor sapiens, & *Laurus*, (quam

(quam fulmine tangi negant,) & sylvestris *Sorbus*, aliæque id genus.

117. *Aromatum arbores* nominibus apud nos carent: ut quibus *Piper*, *Caryophilla*, *myristica nuces* (*myrabolani*) cum suis corticibus (macidibus dictis) innascuntur, &c.

118. *Resinaceas* tandem vide arbores, *Pinum*, & *Piceam*, cum ex iis defluente, & in iis residente humore, *Resina*, picis & axungiæ materie; & *Lentiscum*, cum sua Mastyche; & *Terebinthum*, cum Terebinthina; aliasque *Myrrhâ*, *Thure*, *Camphorâ*, cæterisque pretiosis lacrymis stillantes arbores.

119. *Fructifera quomodo pariant*, scire si aves, attendito. *Gemmascunt* (hirundine primâ) omnes Arborum surculi, gemmisque hiascentibus prodit *Flos*: (Fici tamen arbor proverbio locum fecit: *Ad flores ficus venias*, id est, nunquam: nunquam enim florem emittit, sed *grossulum*: sicuti Corylus julum gemmationi præmittit:) florem mox ipso pediculo pensilis *Fructus* insequitur, sensimque grandescit & mitescit, donec percoctus ad maturitatem deveniat.

120. Condensus arboribus ager *Sylva* induit nomen: referta graminum & arborum amœnitate, aviumque concentu canora loca, *Tempe* sunt; saltuosa rursum, salebrosa, saxis & vepretis hispida, eoque transire contendentibus impervia, *Tesqua* dices. At sylvam distaratam, subindeque intercisam ubi spectabis, *caduam* vocabis; sicut incæduam, opaca nemorum & montium ostentantem, *Lucum*, &c.

XV. Animantes in commune: seorsum autem rudiores, Palpitantes, Repentes, Serpentes.

121. *Animal* non sine causa Ambulatilem plantam, non sub se, sed ubivis, alimenta quærentem, eoque Vitâ robustâ, potentiâque res eminus co[g]noscendi, & facultate illis sese admovendi, præditam dixeris.

122. Hæ *Vita actum* consequuntur oriundo, pertexunt pascendo, multiplicant similia proseminando: quæ causa est, ut per omnia genera in sexum, virilem & fœmineum, dissecta sint.

123. Potentia res cognoscendi *Sensibus* constat, illis rerum interpretibus ac nuntiis: quos rebus (alimoniæ inprimis gratiâ) quinquefariam, attrectando, obodorando, delibando seu degustando, auscultando, obtuendoq; obvertit.

124. Admovent autem se rebus concupitis, aut se amovent à fastiditis, Pennatæ quidem animantes *volatu*, pinnatæ *natatu*, pedatæ *incessu* seu ingressu.

125. (In transcursu notabis, animal extra motum aut *Cubare*, membris omnibus humi stratis; aut *Sedere*, inferiora substratis, superiora arrectis; aut *Stare*, membris de humo sublatis, & super pedum bases sese æquilibrantibus; vel saltem in aliquod adminiculum reclinatis.)

126. Simpliciora tamen, quæ rudimenta solùm quædam animalis generis sunt, simpliciùs etiam se de loco in locum promovent: *palpitando* puta, ut *Conchæ*; aut reptando, ut *Vermes*; aut serpendo, ut *Serpentes*.

127. *Conchæ*, (animalcula crustata, formæ variæ, carne viscosâ & exsangui testis adhærente) non aliter se sub aquis quam palpitatu, ideòque lentè, & relictâ post se in luto semitâ, dimovent. In quo genere eminent, plenissima sapidi succi *Ostrea*; & pretiolos intra carnem progenerantes calculos, *Uniones*, *Conchylium margaritiferum*; *Murex* denique, turbinata testa, tingendis purpuris expetendum succum evomens.

128. Similiter his *Cochlea* (seu terrestris fuerit seu fluvitalis) testeum suum tuguriolum, quaquà languidè graditur,

tur, secum trahit. Orbam luminibus credunt, sicut & *Limacem*, seu Cochleam nudam. Utrique tamen cornua sunt, ad prætentandum.

129. Minora conchis animalcula, *Vermes*, pariter exsanguia & exossa, corpusculum solum convolvendo & evolvendo repunt: atque nutrimentum è materia, undè nati, quæritantes, eam ipsam perrepunt, perrodunt, & peredunt, &c.

130. Atenim *Insecta* pediculis instructa, expeditiùs longè cursitant vel saltitant: quales sunt, *Pediculus*, capillorum animal; & *Pulex*, pulveris pullities; & non absimilis huic, sed perniger & prædurus, *Ricinus*, carni animalis capite ita immersus, surgereque non cessans; donec crepet; & *Cimex* rotundus, fœdus & fœtidus Cubilium hospitator; & Oniscus cum Millepeda; & *Formicula* ruricola, omniparentis Terræ agilis alumnula, fatigari nescia; & *Aranea* muscarum venatrix, cassiumque, quibus eam implicet, ingeniosa tum textrix tum distentrix.

131. *Serpentum* nomine veniunt longiores illi Vermes, quibus corpus cartilagineis contextum contigit annulus, cujus sursum & deorsum arcuatione, aut ad latera sinuatione, tractu reciproco sese metant: cujusmodi sunt *Anguis* vulgaris, subindè se in spiras colligens; & *Coluber*, nemorum umbras incolens; & *Hydrus*, in aqua vivens; & *Aspis*, penetrantissimo veneno; & *Acontias*, qui se librando jaculi instar projicit; & *Excetra*; sola serpentini generis vivipara; & *Cæcilia*, utrinque capitata; & *Basiliscus*, diademate insignis, sibilo alios serpentes fugans, hominum aspectu perimens, frutices contactu & afflatu necans; tandem *Draco*, ingens atque (ut scribunt) volaticus.

132. Huic venenatorum generi accenseri pedestria hæc memineris: *Lacertam*, brachiolis lacertosis; *Sepam*, lacertæ persimilem, sed minorem; *Stellionem*, aureolis picturatum maculis; *Salamandram*, cui tantus rigor, ut ignem tactu non secus ac glacies exstinguat; & denique acumine caudæ metuendum *Scorpionem*.

XVI. Alites, cum volaticis cæteris.

133. Animal pennigerum, *Avis*, alatum remigio in auras se tollens, in aëre librans, præpetique volatu quocunque transferens, veluti aërius piscis est. *Cauda*, animalium appendix, quadrupedibus quidem in pudendorum Velamen datur, sed volucribus (sicut & natatilibus) in gubernaculi usum. *Penna* plerisque versicolores, ornatûs gratiâ: *Pluma* omnibus mollicellæ, formenti causâ; *Rostra* singulis cornea, dentium vice. Solus *Vespertilio* (inter aves monstrum, quippè nihil nisi Mus alatus) pro alis membranas obtinet.

134. Bipedes itidem omnes ad unam sunt: (ne quidem *Paradisi ave* exceptâ, quam perpetuò volare, eoque pedibus destituti, fuerunt, qui authores fuerint) licet prægrandiores pedibus tantùm ad ambulandum, minutiores tantùm ad saltitandum, intermedii incrementi ad utrumque, utantur.

135. Ingluviem ut referciant, escam rostris capessunt: quam licet pitissando diluant in ventriculo, urinam tamen non faciunt, humiditate omni in vapores, quibus humectandæ sunt plumæ, perpetuò abeunte.

136. *Cubilia* sibi Nidosque utplurimùm inaccessis locis fingunt & construunt. (*Alcedinem*, passerinæ magnitudinis aviculam, in ipso mari circa brumam, mitescente tunc æquore, nidulari scribunt, nidamento ex spinis piscium collecto, cucurbitæ formâ.) Tum eadem nidificia quàm possunt mollissimè substernendo pariunt *Ova*, quibus mox incubatu fotis excubant

infantes

infantes pullos. (N.B. Ex albo Ovi formatur aviculæ corpusculum, luteum verò alimenti loco est, quamdiu intra testam vivit pullus.)

137. Giganteâ inter alites mole, *Struthiocamelus* est, ad volandum ob pondus inutilis: pumiliâ, *Regulus*, sepimentorum foramina pervolitare gaudens. Rex alitum gloriosissima, *Aquila* est, Jovis ales, visûs acie cum sole certans: ignobilissima contrà *Upupa*, cristis quidem à capite exeuntibus galeata, in stercore tamen & fimo semper degens. Speciosissima omnium *Pavus*, Iunonia avis, multicolor, & discolor, & versicolor, caudâ splendore toties mutatâ, quoties motâ, ut rotatione illius & contemplatione efferat se insolentiùs: Invenustissima rursum *Noctua*, lucifuga, cum aliis, quæ solem nesciunt, & noctis monstra sunt, non cantu vocales, sed gemitu, *Bubo*, Asio, Ulula, Aluco, &c.

138. Cæterarum Volucrum in greges partitio talis est, ut vel indigenæ sint, vel adventitiæ seu peregrinæ: Camporum incolæ, vel sylvarum aut aquarum.

139. Nostrates vernæ pleræque scalpuriunt terræ purgamenta unguibus. Inter quas familiam ducit *Gallus*, canora avis, nocturnus vigil, familiæ excitator, galliciniique sui statis horis iteratione Horologium vivum: qui Gallinacei gregis dux fidus, dum contra æmulos generosè pugnat, victus silet, victor cantat. *Ales ab Indis*, Pavi æmula (formositate tamen non exæquans) glabro ac depili capite, obducto cristâ rubrâ, carnosâ, cùmque irascitur, purpurascente. *Columbinum* genus propter timorem summa in tectis loca captant: pennipedes inter formosas habentur.

140. Domesticarum ordini adscribe, quibus ædes circumcolere nostras volupe est: *Hirundines* puta, aves æstate nobis hospitas, hieme sub aquarum glacie, aut per arborum cava, exulantes; Et *Passeres* brevissimi ævi ob salacitatem, ultra biennium enim rarò provivunt; Et *Monedulas* furaces; *Cornices* imbrium augures; *Picas* item garrulas; & in turribus nidificare amantes *Tinnunculos*, Columbarum amicos, Accipitrum ab iis depulsores. Ex aquaticarum tandem genere *Anserulos* & *Anaticulas*.

141. Camporum accolæ, omnes frugilegæ, sunt: *Alauda*, rectâ in aërem subvolando cantillare, humi silere, gaudentes; quarum cristatum genus *Galeritas* vocant. Tum *Coturnices*, & his majores *Perdices*, & magnitudine Anserem superantes *Bistarda*; & *Grues*, quando loca calidiora petendo maria transmittunt, trianguli efficientes formam, &c.

142. Sylvarum incolæ sunt, ex majoribus *Urogalli*, Vulturis magnitudine; & *Phasides*, Gallinæ sylvestres picturatissimæ; & *Attagenes*, (Perdices montanæ) in mensaram honorem expetiti; cum Palumbis & Palumbulis, Cuculisque & Turturibus.

143. Minores sylvaticas cibatu discriminamus, quia quibus quæque rebus delectantur, iisdem insidiantur: *Ficedula* ficubus, *Meropes* apibus, *Rubecula* muscis, *Curruca* vermiculis, *Pici* bestiolis sub arborum cortice nidulantibus, *Turdi* juniperinis baccis, &c. quos perniciem sibi cacare aiunt, si verum est, &c.

144. Minimæ memoralium oscines sunt: inter quas principatus est *Philomela*, liquidissimos admirabili suavitate cantus fundenti, dehinc *Fringilla*, *Galbula*, *Paro*, *Luteola*, *Linaria*, *Carduelis*, &c.

145. *Psittacus*, pulchritudine nulli avium secundus, & *Sturni* nostrates, *Merula*que, vocis humanę solertes imitatrices fiunt, si erudiantur: *Vanellus* elegantulus quidem, sed ingratus vociferator.

146. Prædatrices, carnibus vorandis intentæ, obvia rapiendo, ac præacutis rostris & unguibus dilaniendo, solitariè divagantur: in quo genere sunt

Accipitres,

Accipitres, plùs animo quàm viribus armati; cum *Nisis*, & *Falconibus*, & *Buteonibus*, & *Milvis*, & *Vulturibus*, & *Coracibus*, omnibus accipitrariam exercentibus artem.

147. Aquaticis, quò natare queant, remorum loco plani pedes dati sunt: quod facilè in candidissimo *Olore*, profundissimæque gulæ *Onocrotalo*, *Pelicano*, *Butione*, *Querquedula* & *Mergo*, ac *Fulice*, videbis.

148. Sunt quidem ichthyophagæ volucres ungulatę etiam, seu digitatæ, non tamen natatrices, sed aquarum tantummodò circumvolatrices: quales *Ardea*, *Ciconia*, *Gavia*, *Motacilla*, & aliæ si quæ sunt ripariæ & litoreæ.

149. Volantium ordini accensenda veniunt *Insecta alata*: sive pungentia aculeo, quales sunt melligera *Apum* plebecula (sed harum degeneres, *Fuci*, aculeo deficiuntur) & fremebunda *Vesparum* colluvies, furiosaque *Crabronum* familia; sive fodicantia rostello, cujusmodi sunt omne *Muscarum* genus, sub quibus *Culicibus* etiam, humorum illis alumnulis, & sanguisugis, Tabanisque & Asilis, sedes datur.

150. Rore pascentes *Cicadæ*, pinnarum & femorum attritu stridorem edunt, quô pratorum maturitatem prænuntiant: majores autem his *Locustæ* (in India trium pedum longæ) messium depopulatrices, ipsæ alicubi edules fiunt: *Papiliones*, ut nihil nisi volatiles Erucæ sunt, ita nihil nisi easdem disseminant: *Grylli* fistulâ ventris strident; *Pyraustæ* ad lucernam avidè advolantes, exustæque pereuntes, proverbio *Pyraustæ gaudium gaudere* locum fecêre.

151. Singulare in hoc insectorum agmine est illud, quod membranaces tenues alas crustatis integit vaginis: *Cicindelas* noctilucas, *Bruchos*, *Scarabæos*, (mutilos & cornutos) *Cantharides*que generis varii intuere, conspicies.

XVII. Pisces, cum Natatilibus cæteris.

152. Adeamus aquarum incolas, quorum genus notissimum *Pisces* sunt. *Piscis autem quid*? Navis animata, non facta, sed nata. In qua remi, *Pinnæ* sunt; gubernaculum, *Cauda*; antlia, Branchiæ, vela, vento plena *Vesicula*, quâ ruptâ, Piscis ut massa iners pessum suâ mole sidit.

153. Major horum pars squamarum tegumentis loricata, sexum viscere distinguit; qui enim Lactes habent, masculi sunt, qui Ova, fœminæ: pars item glabelli ad lubricitatem, & oblonguli, inter quos eminent *Anguillæ*, *Congri*, *Murænæ*, *Lampetræ*, *Mustellæ fluviales*, anguinæque speciei cæteri.

154. Fluviatilium vastissimi sunt, *Silurus*, *Sturio*, *Esox*, quorum corpus in immodicum exuberat, ad pedes 20. & ultrà; minutissimi contrà sunt, *Apua* (vix avenacei grani excedens mensuram) *Cobitis*, *Fundulus*, *Gobius*: in mediocribus sunt, *Alburnus*, *Perca*, *Trutta*, &c.

155. Inter lacustres & piscinales prærogativam habent, *Lupus piscis*, *Cyprinus*, *Cyprinus latus*, *Merula lacustris*, *Coracinus*, &c.

156. Æquoreorum nobis notiores sunt, *Haleces* salitæ, *Passeres* & *Asselli* solibus tosti, & *Salmones* delicati.

157. *Omnes* isti *universi* mutuo attritu lentorem quendam salivant, & per aquarum fundum spargunt, qui vivescens pisciculos producit. At marinæ belluæ, *Ceti*, vivos pariunt catulos: cujusmodi sunt *Bos marinus*, tres quatuórve nostros æquans boves, iners & ignavus; & *Delphin*, velocissimum animalium, ocyor volucre, ocyor telo; & eo paulò minor, & rotundior, *Orca*; & *Physeter*, ducentos cubitos longus, per fistulam capitis aquam sursum ejaculans; & *Balæna*, sexcentorum pedum longa, quæ si quando super-

ſupernatat fluctibus, adnare inſulam putes; quam tamen *Xiphias*, roſtro ſuo ad duos trésve cubitos porrecto (tamque mucronato, ut interdum naves & ſaxa perforet) perſequitur, lancinat, & laniat.

158. Habent & *Mollia aquatilia* admirationis multùm: quia licet nec ſanguinem habeant nec ſpinas, robore tamen & ingenio pollent. Ut eſt, tum *Polypus*, hominem in aqua brachiis complectens & conficiens; at rurſum Piſcatorem fugiens & ſaxis ſeſe applicans, eorumque colorem mentiens: tum *Sepia*, aquam ſucco atro, ne conſpici queat, inficiens; tum *Aranea marina*, &c.

159. *Cancrorum* omne genus teſtâ intecti, & multipedes, nervosâque cervice, ſunt, forficulas in ore geſtant, manuumque loco forfices habent prægrandes, quibus prehendunt, ſtringunt, ſcindunt. Quorum maximi ſunt *Cammari* (ſeu *Gammari*,) & *Aſtaci*: rotundi *Carabi*; minutuli *Squillæ*.

160. Conciſa hujus Elementi animalcula non pauca videre eſt. Inter quas *Sanguiſugæ*, quibus proprium ſuctu affigi, & morſu adhæreſcere, donec ſanguinis plenæ rumpantur. Et *Araneæ fluviatiles* (quas *Tipulas*, & *Tippulas*, ſeu *Tipullas* vocant) incredibili velocitate aquas transſultantes. Et *Seta aquatica*, lumbricus craſſitie crinem non excedens, &c.

XVIII. Quadrupedum manſueta, Pecora cum Jumentis.

161. Jam tibi adducam Quadrupedia, terrenum animantium compactæ ſubſtantiæ genus, quod fœtus vivos progenerat, uberumque lacte alit: ſed grandiora quæque ſingulos, & tardiùs; exiliora plures ſimul, crebriùsque.

162. Tegumenta illis ſunt aut *pili*, ut Vaccis; aut *villi*, ut Urſis; aut *lana*, Ovibus; aut *ſeta*, Suibus; aut *ſquama*, Rhinoceroti: pedes verò aut *digitati*, unguibus armari, ut Cani; aut *ungulati*, atque id vel ſolidâ ungulâ, ut Equis, vel bifidâ, ut Bobus.

163. Horum, quæ cornibus armantur, ſuperiorum dentium deſtituuntur ſerie, quippè quorum materies in Cornua abit. Undè eſt, ut cibos in ore volvant potiùs, quàm mandant; eoque illos non ſatis primâ paſtione maſticatos è ventriculo iterum retrahant, & remandendo meliùs conficiant. Sed notabis ventriculum illis quadruplicatum eſſe: primum capaciſſimum, proximè ſub gutture (volucrinæ ingluviei loco,) *Rumam* dictum; undè anguſtus transitus in *Reticulum*, Rumâ paulò minùs; hinc in *Echinum*, multis intus plicaturis (uti liber foliis) conſtantem; demum in *Omaſum*, verum ventriculum. Tandem ſequuntur Inteſtina. Sed ruminantibus pinguedo omnibus ſpiſſior eſt, non adeps dicenda, ſed ſebum.

164. Pars horum, manum patiens humanam, noſtræ ſe ſubmittit curiæ; *Pecudum* ſcilicet omne genus, inprimis autem *operarium*: pars alia ferociunt, hominis conſpectum profugientes, eoque ſibi vivunt, ſibique ipſis victum proſpiciunt, & ſecuritatis causâ per ſaltuum foveas & luſtra ſeſe recondunt & illatebrant, intractabiles *Feræ*.

165. Manſueti pecoris, quod lacticiniorum & carnium causâ alimus, corpulentiſſimus eſt *Taurus*, paleari ad genua propendulo (ſi benè habitus) viſendus: *Bovem fœtam* vocant *Fordam* & *Hordam*; nondum fœtam *Juvencam* & *Buculam*, &c.

166. *Lanare pecus Ovis*, quidquid intùs & extrà habet, nobis habet, noſtrisque præbet uſibus, vivum & mortuum. Vellera enim dat ad veſtes, pellem ad pellicea, carnes ad eſum, inteſtina ad chordas, excrementa ipſa ad agros lætificandum.

167. Paulò ſeciùs omnia hæc *Hircus* & *Caper*; cum caprino & hœdino

grege

grege suo, mali hortulani: ambedunt enim & circumrodunt Arbores, &c.

168. Lutulentus *Sus*, *Verres*, *Majalis*, *Scrofa*, *Nefrendes* & *Delici*, tota scilicet *Porcina* gens, suillis est moribus, spurcis & immundis: omnia tamen illius non solùm edulia, sed & delectabilia, habentur: setæque ipsæ usui sunt.

169. Alterum mansueti pecoris genus, quod juvandarum operarum causâ sustinemus, JUMENTA seu VETERINA vocamus. Quorum robustissimus est *Camelus*, Currûs instar Mercatorum cum mercibus ferens, atque in aridis & desertis regionibus eò commodiùs serviens, quod famem & sitim quindecim diebus perfert. Sed *Equinum* huic proximum pecus magis varios & elegantes sui præbet usus: ad vecturam, ad tracturam, ad equitationem, &c. *Asinus*, verè asinus, ad onera & fustes damnatus, ærumnosam suam sortem pando corpusculo, cernuo incessu, demissis auriculis, tristique ruditu, & rudi insuper pabulo, contestatur.

170. Etiam custodiæ nobis & rebus nostris è jumentis dati sunt, Vigilans noctu *Canis*, cautúsque *Catus*. Ille contra fures foris excubans, hic domesticos penoris insidiatores, mures, observans.

171. Quanquam & interdiu *Canis* officium faciens, adventantes inspectat, ignotos latrando prodit, accedentibus improvidè morsum intentat, in violentos insilit, eoque hero suo res suas defensat. Contrà degeneres Canum caudam deflectunt sub alvum, subducunt se, percussi quiritantur. &c. Peculiare canum est rabie inflammari, ultrò citròque cursitare, in obvios irruere, & quoscunque tum momorderint, in eos similem furorem propagare: ut caninos induendo mores latrent, quadrupedes incedant, alios rursum admordeant, &c.

172. *Æluri* occupatio tota circa musculos captandos est; noctu præsertim. Nam per tenebras quoque videndi pollentes habet oculos, quorum pupillam & dilatare scit & contrahere, &c.

XIX. Quadrupedantia Fera, cum Bestiis ancipitibus.

173. Majores Ferarum *Belluas* appellamus: immanioribus & carnivoris *Bestiarum* nomen est.

174. *Bos luca*, non Belluarum tantùm, sed omnium terrestrium animalium vastissimus (turrem enim ligneam cum armatis 30. viris ferre potest) exilem tamen pavescit musculum, grunnientemque suem. Dentes habet octo, duos tamen ad quatuor cubitos prominentes, è quibus candidissimum confit ebur: manûs autem loco promuscidem, ceu nasum longissimè & undiquesecus versatilem, quâ ori pabulum attrahit.

175. Hostis huic est *Rhinoceros*, longitudine ferè par, cruribus tamen brevioribus, colore buxeo; cornu in naribus repando armatus, quô ad saxa limato pugnæ se præparat, in dimicationem verò alvum Barri maximè petit, quam scit esse molliorem.

176. Magnitudine his proximi sunt *Boves à sylva*; *Bubalus* propter feritatem nunquam cicurabilis; *Urus*, propter immanitatem neque homini, neque feræ, quam conspexit, parcens; *Bonasus* denique (seu *Bison*) jubâ equinâ, cætera Tauro similis, cornibus ita in se infelix, ut non sint utilia pugnæ: Quapropter fugâ sibi auxiliatur, reddens in ea fimum trium orgyiarum longitudine, cujus contactus insequentes ut ignis amburit.

177. *Monoceros*, prælongo visendus cornu, deserta & inhospita incolens tesqua, ob feritatem & celeritudinem, dictu incredibilem, capi difficilis.

178. Inter Feras, quæ in ramos sparsa gestant cornua, maxima est *Alce*, tergum præ duritie ferro impenetrabile

penetrabile habens; jubatus dehinc, *Rangifer*, Cervus palmatus, cursu ita valens, ut per nivem aut glaciem unius diei spatio triginta majora conficiat milliaria.

179. Proximus huic agilitate *Cervus*, cornua gestat similia, sed ob humorem æstivo calore exsiccatum quotquot annis (ut ab arboribus folia) decidua: peculiare hoc habet, quòd morti vicinum se sentiens lachrymis indulgeat.

180. *Dama*, Cervulus est, cornibus displanatis: *Ibex*, cornibus in dorsum reflexis: *Rupicapra*, cornibus ita obuncis, ut horum auxilio rupes insiliat, indemnisque desiliat: *Capreolus* omnium corniferorum minimus est.

181. Bestiarum nulla cornuta est, immanibus armatæ dentibus ac unguibus omnes: nempè quia non herbis, sed carnibus vorandis destinantur. Quarum robustissimus *Leo*, cui inter Feras principatus debetur, robore laterum, firmitate coxendicum, nervorumque spissitudine valens, ipsâ oris vastitate, armorum hirsutiâ, vocisque rugitu, formidolosus est.

182. *Pardus*, (seu *Panther*) velocitatis admirandæ (illius tamen non prodigus, si quid non tertio saltu assequitur, dimittere observatus est) idem inter quadrupedes, quod Pavo inter aves, tam insigni macularum varietate spectabilis, ut nullam bestiam nominare possis, cujus colorem non aliquâ sui parte referat. *Pardális* tamen (*Panthéra*) præter interalbicantia puncta non adeò multam ostentat varietatem.

183. Omniũ sævissima *Tygris* (colorem si spectes, itidem maculosa) tympanorum sonitu adeò efferari dicitur, ut in rabiem acta seipsam dilaceret. Aliquantoque corpore minor, ferocitate haud dispar, *Lynx*, præacuti est visûs, & tergore colorato.

184. Villosus *Ursus* totam hiemem in speluncis delitescit, non alio sustentatus alimento quàm humore, quem prioribus ex pedibus, tunc intumescentibus, exsugit. *Ursam* catulos, imperfectiùs natos, lambendo refingere, fama fuit, sed vana; nascuntur enim ut cætera animantia perfecta, lambunturque à matre non alio quàm à matribus suis alii catuli fine, ad sordes abluendas.

185. Voracissima bestiarum *Lupus*, stomachoque adeò fervido, ut ossa concoquat, famem invadentem ululatu testatur. Gulæ verò dedita, & dolis ingeniosa *Vulpes*, etiam domi nostræ educata, ingenium sylvestre nunquam deponit, nunquam ferociam exuit: vernatione alopeciam patitur.

186. *Onagrus*, herbarum pastus si desit, vento pasci perhibetur. *Apro* in dentibus præsidium omne est: quorum attritu frendens, & feritatis incendio ore spumans, ipsoque minaci aspectu terrens, persequentes se & vertagos & venatores impetit, sauciat, sæpiùs & dilaneinat.

187. *Simius*, humanorum operum perridiculus imitator, solus inter quadrupeda pudendorum velo, caudâ, destitutus, à Clunibus semper nudis, & attritis, *Cluninum pecus* dictus est. *Cercopitheco* similiter deformis forma, & æquè ludicra gesticulatio: sed eo felicior, quòd ei, quó velanda velet, non desit.

188. *Lepusculus*, inauspicati ominis animal, celeritate pollet: sed animi pusilli, præ metu oculis dormit semiapertis, & auribus (quas ad meliùs percipiendum sonos longiores accepit) ad omnem strepitum (vel prætervolantium muscarum) semper arrectis, proripere & se fugere paratus, ab inermibus pedibus auxilium petit. Si fuga negetur, & se opprimi videt, lamentabili vagitu miseriam deplorat. Ex eadem leporina cognatione *Cuniculi* sunt, fœcunditatis innumeræ: quippè qui fœtum super fœtum & concipiunt & partu edunt, ut ex uno conjugio intra vertentis anni curriculum septuagesima possit existere proles.

189. *H eri-*

189. *Herinaceus*, animal spinis horridum, quoties sibi periculum ingruere videt, toties se in globum convolvit, aculeosque præacutos circumcirca erigit, ut nec à canino ore, nec ab humana manu, impunè tangi queat. Decuplo hôc major *Hystrix* (Æthiopicus Erinaceus) majoribus armata (ad spithamæ usque longitudinem) aculeis, iisque è contracta & intensa cute missilibus: adeò enim hos ejaculatur potenter, ut urgentium canum figat ora.

190. *Gazela*, Capreolus Indicus, ex umbilici vomica fragrantissimum exudat odoramentum, *Moschus* dictum: nec absimilem odorem, sed gratiorem: spirat *Sibeti* (cui Felis figura) sudor, ter de die ab iis, qui alunt, abstergi solitus.

191. *Felium & Murium sylvestrium*, varia sunt genera, quos pellium causâ venantur: *Martes*, Martium & pugnax animal; *Mustela Scythica*, pretiosissimæ pellis; & *Mustela Alpina* (*Hermelinus* quibusdam;) & Mus Ponticus, cujus exuvias *Murinas pelles* vocant; *Mus* denique *Noricus*; cum semidomesticis *Viverra* & *Mustela*.

192. Ex cognato genere sunt *Sciurus*, *Melis*, & *Glis*. Hic & iste admodum somnolenti totam dormiunt hiemem: ille nominis mensuram implens sui, umbellam sibi caudâ suâ facit; quam adeò latam & villosam habet, ut illi de ramo in ramum, & de arbore in arborem, travolanti alæ vice serviat.

193. Huc spectat Campestris murinus grex, segetum populator: inter quos priores partes habent *Cricetus* & *Sorex*, profundis foraminibus pro habitaculis usi. *Talpa* lumen desiderans (quippè oculis capta) sub terra semper se continet, radicesque herbarum inquirendo, aut domicilium transferendo, grumos facit.

194. Claudant quadrupedantium agmen ancipites bestiæ, in utraque sede (terræ & aquæ) viventes. Quod genus sunt, *Canis Ponticus* (quem *Castorem* vocant) & *Lutra*, uterque pilosus, staturâque caninâ: sed ille caudam habens squameam, piscis instar, pedesq; posteriores velut anserinos. Tum *Crocodilus*, ex ovo non magno (anserinum non excedente) nascens, & ad 20. ulnas excrescens: habensque hoc singulare, quòd inter mandendum non inferiorem mandibulam, more aliis animalibus usitato, moveat, sed superiorem. Adde his clypeatam *Testudinem* (quæ in India tanta reperta est, ut insistentes sibi Viros duodecim gestaret) cum *Rana* & *Bufone*, &c.

XX. Homo quid, & cur hîc.

195. Veniamus à *Macrocosmo* ad *Microcosmum*, in quo omnium rerum radii concentrantur; à Domo tam numerosæ familiæ, ad ipsum *Patremfamiliâs*: qui ipsius Dei imago, *incarnatus*que *Angelus* est; *Mundus parvus*, sed magni Dei templum vivum; *Animal Divinum*, in rebus regendis & gerendis *Dei coadjutor*, & in edendis visibiliter sapientiæ ludis collusor; *Creaturarum dominus*, *Creatoris* verò sui *rationarius*. Adesto igitur excitato sensu, ne alia cognitioni subjiciens tuæ, teipsum incognitum habeas.

196. Hominis exordium in occulto est, è sanguinis gutta. Indè prodit *massa viva*, sed sui ignara. Ex hac fit *bestiola*, ad sensuum ductum brutè discursans. Demum coërceri incipit, si incipit, rationis freno: ut *grandescens corpore*, grandescat insimul animo; factusque ætate adultus, reperiatur adultæ quoque Vir sapientiæ. Sed dum crescit annis pollereque inceptat rerum usu, inceptat pariter decrescere viribus, & vanescere: ut tandem fiat *cariosa columna*, mortis candidatus, sepulchri pabulum; verbo, *Hominis reliquiæ*.

197. Nec alia est sequioris sexûs ratio. Cum ascendente ætate mutan-

tur nomina, cum nominibus affectus, cum affectibus studia & actiones, quibus atteruntur vires, & conteritur vita ipsa.

198. Verè itaque *Hominis vita* quædam gradibus suis distincta scala est, per quam in vigoris acmen ascenditur, indèque rursum ad exitum descenditur. Verèque totum vitæ ambitum revolutioni unius diei, aut unius anni, compares. Nam *Infantia* quid, nisi vitæ diluculum, ætatisque ver, est? *Juventus* quid, nisi vitæ exortus, ætatis æstas? *Virilitas* quid, nisi vitæ meridies, ætatisque autumnus? *Senectus* quid, nisi vitæ vespera & occasus, ætatis hiems?

199. Singularum ætatum dotes si animadvertas, *Infantia* est ignorantia; *Pueritia* ludus; *Adolescentia* curiositas; *Juventus* vanitas; *Virilitas* labor & fatigatio; *Senectus* optatum malum, morbus insanabilis, mortis vestibulum, fabulæ totius clausula. Totam si spectas vitam, nihil est nisi respirationi concessa mora; peregrinatio incerta, mortis expectatio certa; lucerna in vento posita; felicium lætitia brevis, miserorum mœstitia tristis: ad summum, Laborum concatenatio, miseriarum panegyris, ubi meliora prætervolant, deteriora se quuntur; hoc habens solatii, quòd non diu duret, cùm abire ad communem locum commune sit omnibus.

200. Hoc interim temporis puncto, quô hîc vivitur, hem quanta nobis exsequenda committuntur! Non solùm scilicet præsentis curriculi, quantulum illud est, regimen circumspectum; sed & ad inituram mox æternitatem apparatio condigna. Ah quis est, qui sapiat, & se, ut ÆTERNITATIS addecet CANDIDATUM, gerat.

XXI. Corporis Exteriora.

201. Ordiamur corpoream nostram speculari molem: quæ licet Animæ ergastulum & carcer audiat, sitque caducum vasculum, compage textum terreâ, pulcherrimum tamen est cœlestis architecturæ argumentum, benè structæ Civitatis ad instar: cujus fundamenta, ædificium totum sustentantia, *Ossa* sunt; plateæ, *Membra*; mœnia, *Cutis*; arx, *Caput*; portæ, quâ necessaria introferuntur, *Os*, *Nares*, *Oculi*, *Aures*; cloacæ publicæ, quâ sordes egeruntur, *expurgatorii meatus*.

202. Intuere statuam hanc à planta pedis usque ad vertices, ubique multum Divinæ artis videbis. Ante omnia, quòd geminatis in Corpore membris è regione sibi, & ex adversis laterum partibus, locus decorè, pari distantiâ, altitudine, formâque & magnitudine, datur: solitariis per Corporis meditullium, & quidem nobilioribus sublimiùs & intimiùs, ignobilioribus humiliùs & exteriùs, situatis.

203. *Caput*, Corporis arx, majori parte comâ circa apicem rotante supertegitur: anteriorem partem decorat *Facies*, quam ad internoscendum personas mirâ lineamentorum varietate deformavit Creator: atque ita effinxit, ut hîc tanquam in exteriore sede sua Anima effigiem suam ostentare videatur, totusque *Vultus* ceu tacitus mentis sermo animique proditor sit, nisi forte hypocriseos larvâ tectus. Cujus summum Frons obtinet, Temporibus semicirculariter inclusa, cute ad voluntatem mobili (quod nullibi aliàs toto in corpore possumus) eoque in rugas plicabili: quæ variè contracta aut exporrecta varii animi statûs imago fit.

204 *Oculi*, vasa luminis, viva rerum specula, animi fenestræ, corporis duces, cogitationum indices, amoris illices, tanquam speculatores altissimum obtinent locum: quos natura declinatiùs habens vestivit & sepsit membranis tenuissimis perlucidisque, ut per eas cerni posset; firmis autem, ut contuerentur quaquaversus mobiles, &c.

205 Oculi

205. Oculi centrum pupilla occupat: fistula scilicet crystallina, per quam rerum icunculæ, vi luminis in oculum illatæ, ad interiora cerebri deferuntur, spirituique nostro speculandæ sistuntur. Cui quia siccescere, aut aliàs lædi, noxium esset, Palpebrarum tegumenta illam nictando humectant; Cilia verò, cum superciliis, à desuper incidere valentibus tutantur.

206. Aures, sonorum perceptores & censores, prominent homini (& quadrupedibus) extrinsecus, ad sonum meliùs excipiendum: quæ ut patere possent semper (ad semper sonos repercutiendum) non carneæ factæ sunt (ita enim flaccerent) neque osseæ (ita enim facilè frangerentur, & in somno forent impedimento) sed cartilagineæ & exsangues, ut eandem retineant fornicis in cochleam retortæ formam, ad sonos in interiorem auditûs officinam introducendum.

207. *Nasus*, respirationis canalis, odorum janua, cerebri cloaca, à superciliorum confinio oriens, & quasi æquali porrectus jugo, utriusque oculi aciem simul & discernens & muniens; dissepitur in duas Nares, mucoris à cerebro vehicula: quem ne dimittant nisi emunctæ, vibrissis prohibentur.

208. Subter Nasum Labia sunt, valvæ Oris: ne hic Corporis nutritor, hoc rationis & orationis promptuarium, nisi quum necesse est pateat. Ori autem substratum est *Mentum*, cum excurrente utrinque ad aures maxilla, lanugine juvenibus, Viris barbâ contectâ; & ad labrum superius hinc & hinc extenso Mystace. Et *Barba* quidem, decora sexûs discretio, virilis prærogativæ vexillum, ætatisque honor, aliis in acutum desinit, aliis in habitum rotundum figuratur; aliis densior, aliis rarior est, aliis nulla.

209. *Collum* veluti isthmus est, Caput Corpori, tanquam Continenti, annectens. Cujus anterior pars, undè vox halitusque procedit, *Jugulus* dicitur: posterior autem, quâ vertebris insistens Caput undique flexile est, & undè à Cerebro descendentes originem accipiunt Nervi, *Cervix*.

210. A Gula usque ad ventrem *Pectus* est, Homini tantùm latum, reliquis carinatum; volucribus magis, & inter eas aquaticis maximé. *Ventris* meditullium Umbilicus tenet: infimum ejus sinum *Inguina* occupant; ubi pars nostri putibunda est, quæ neque denudari honestè possunt, neque nominari.

211. Obversa Corporis si aspicis, *Tergum* videbis, habens à cervice *Humeros*, dehinc *Dorsum*, tum *Lumbos*, tandem *Nates*, in commodioris sessionis usum *Clunium* pulvillis effartas.

212 Extra Corporis Truncum procurrunt Artus, Manus & Pedes, operarii & bajuli Corporis; quorum fabricam si observaveris, multa præmodùm mira reperies. Humeris enim dependent *Brachia*, desinentes in curvaturam, cui *Cubiti* nomen. Hinc protenditur, æquali ferè longitudine, *Lacertus*. Demum ipsa (in specie sic dicta) *Manus*, artificiosissimum omnia artificiosa formandi organon, & verè instrumentorum instrumentum: Quippè quod in omnes partes versatile, ad arbitrium versat, fingit, refingit, quicquid sibi obvenit: lævâ tenente, dexterâ operante: licet *Scævæ* illâ pro hac utantur; *Æquimani* utrâque pro utraque indifferenter.

213. Specta mihi & partes Manûs, diversaque diversæ posituræ nomina! Concavam ecce Manum, *Volam* dico; compressam, *Pugnum*; explicatam, *Palmam*: sive sit supina sive prona. Digiti è Manu manantes quinque sunt, tam nominibus quàm officiis distincti: quorum maximus, reliquis quatuor oppositus, & omnium ferè illorum vim complectens, *Pollex* est. Proximus huic *Index* demonstratorius & salutaris dicitur. Qui eum sequitur, medius, *Verpus* & infamis: Quia nullæ nisi probrosæ res ejus porrectione indicantur. Annularem quoque *Medicum* vo-

cum vocant: minimum & Auricularem *Gustatorem* appellârunt. Ut verò Digitus quisque introrsum flecti posset, ad res prehendendum, in articulos tres dividuntur: quorum curvatura in nodum complicata *Condylus* est. Desinunt autem in Ungues, dura, sed utilissima Manuum excrementa. &c.

214. Subsimilem habent *Pedes*, Corporis columnæ, structuram; licet ab illo non dependeant, sed illud sustentent. *Coxendicibus* siquidem *Femora* subsunt; his antrorsum *Genua*, retrorsum *Poplites*. Sub Genubus iterum *Crura* specta, mobilis statuæ immobiles bases; sub Poplitibus *Suras*. *Imus* demum sequitur *Pes*, quem à Crure *Suffrago* dividit; divisum in *Talos*, ad latera prominentes; & *Calcem*, retrò tendentem; & *Plantam convexam*; *Solum* denique, quo solum terræ calcamus. Definitur hìc etiam in digitos quinque: quorum maximum *Pollicem pedis* & *Hallum*, nominabis: atque si quid altiùs spectare opus, his subnixus altiùs te protolles.

XXII. Corporis humani Sceletos.

215. Amásne Microcosmi spectare interiora? miram videbis, ad statum & motum artificiosè aptatam machinam: cujus robur, statumen, tibicinesque, O S S A sunt, tercentena plùs minùs: quorum invicem commissorum syntaxin universam, *Sceleton* vocant.

216. Capitis Ossium molem *Calvaria* & *Maxilla* constituunt. Illa ex plurimis osseis laminis pectinatim commissis ita constat, ut commissuræ ipsæ suturarum instar ubique notabiliter extent, facturæ vaporibus Capitis transspirationem. Maximè verò dentium triginta duorum geminatam seriem exhibent: ad usum alimenta incidendi octonis primoribus; dura infringendi quaternis proximis; omnia ad plenum conterendi & commolendi, sex & denis, destinatis. Quibus tandem accedunt intimi quatuor, *Genuini*, *Sapientiæ dentes* dicti, quia adultâ demum ætate oriuntur.

217. Sceleti truncum absolvunt, in porrectum quidem *Spina sacra*, desuper *Thoracis Ossa*, imitùs verò *Sessibuli ossa*.

218. *Spina*, quam dorsi & sacram vocant, est contextus vertebrarum triginta quatuor, in quas hoc totius Corporis fulcium eò dissectum est, ut machina tota flectere sursum & deorsum, & ad latera, posset, &c.

219. Pectori præmuniendo data sunt Ossa, à parte quidem anteriore *Sternum*; à tergo *Scapulæ*, mediantibus claviculis Sterno junctæ; à lateribus Costæ, legitimæ quatuordecim, à vertebris pertingentes ad Sternum; spuriæ decem, à vertebris quidem exeuntes, Sternum tamen non attingentes. Quod gratis factum ne suspiceris: sed quia Ventri concedenda fuerunt dilatandi sese spatia, carcere osseo coarctandus non fuit.

220. *Sessibuli Os* suggestum est, ac veluti pelvis, Ventris totius: cujus pars anterior, sub inguine, *Os pubis* est; posterior, sub lumbis, *Os ilium*, seu *Os sacrum*. Lateraria utrinque *Ossa coxæ*, quibus inserta femorem capita Truncum sustentant.

221. *Artuum Ossa* sunt, quibus Manus & Pedes adminiculantur: Scapulis impacta illa, Coxendicibus ista.

222 *Ossium in Manu* qualibet numerus numerum æquat vertebratum in Spina. Brachia quippè Ossibus constat singulis; Cubiti binis (Vlnâ & Radio;) Carpi, seu brachialia, octenis; Metacarpia, seu pectines Manûs, quaternis: Pollices ternis: reliqui digiti quadrinis.

223. At Pes unus triginta omninò habet. Femore unum, Crure duo, (Tibiam & Fibulam) Tarso septem, Metatarso quinque, digitis solos quatuordecim; quibus ubi genualem addideris patellam, prædictum habebis numerum.

224. Ob-

224. Observabis etiam, Ossa grandiora intrinsecùs cava esse, medullamque continere; minutiora, non medullâ quidem, succô tamen repleri: at extrinsecus obduci membranis omnia.

225. Ossium juncturæ ubi sine flexu sunt, simplici glutinantur commissurâ: ubi flecti necesse habent, articulatim cohærent, per alterius caput alterius cotylæ inserta. At verò ne contactu & attritu mutuô dolorem Ossa sentiant, substernitur consertioni verticularum *Cartilago*, in culcitrulæ vicem. Et ut motu violento ne divellantur Ossa, luxentúrve, præligantur, & sibi invicem ligamentis adstringuntur firmissimis, articuli singuli.

XXIII. Carneæ Corporis partes.

226. Ad nihil nisi terriculamentum foret homo, osseus tantùm factus: ut ergo Vas fieret variorum capax, *Carne* circumvestiendus fuit. At rursum si massâ Carnis continuâ esset, esset ad motum inutilis. Dispertivit igitur eam Creator in *Musculos*, hoc est, canales membranaceos, torulis pulposis fartos: quorum ultra quadricenos numerant.

227. Nec sufficiebat carnosum esse, vitæ organis implendus fuit, *Visceribus*. Quorum loco & dignitate summum *Cerebrum* est, motûs, sensûs & phantasiæ officina, miro artificio constructa. *Cranium* enim, Capitis cœlum, firmissimè illud circummunit; *Meninx*, gemina mollis membrana, delicatissimè fovet; intervalla cellularum quatuor, ne undecunque veniente casu totum lædi queat, prohibent: à quinta demum cella, *Cerebello*, spinalis medulla prodiens, *Nervorum* ramos per totum Corpus propagat.

228. *Trunci cavum* in cellas duas, *Diaphragmate* ab invicem dissepras, divisum est: quarum concamerationum superior *Thorax* est; inferior *Venter*.

229. *Thorax*, palatium est *Cordi*, spirituum Vitalium fonti: ex quo *Aorta magna* prosilit, *Arteriarum* per universum corpus dividendarum truncus. Additur huic summâ necessitate Viscus, carne spumeâ & bivalvi, *Pulmo*, aëris haustor, fuliginum ventilator, vitæ flabellum.

230. *Abdomen*, nutricationis officina, septem instructa est coctoriis vasis; primùm *Ventriculo*, primo cibi receptaculo & coquo: quem cum substratis sibi Intestinorum spiris, *Omentum* circumvolvit. Huic à dextris *Hepar* adjacet, focus ignis primarius, sanguinis thesaurus, Venarumque (quæ sanguinis canales sunt) radix; cum appensa bilis sanguisuga, *Felle*. A sinistris verò jacet, feculenti sanguinis spongiosum receptaculum, corporis sentina, *Splen*. Tum in lumbis *Renes* duo; & sub umbilico urinarius Utriculus, Corporis matula. Quæ Ventris inferioris omnia *Peritonæo*, sicut Corporis omnia *Cutis* tegumento, circumtensa sunt.

XXIV. Humores, Spirituum vehicula.

231. Ut Carne explentur Ossa, ita Humoribus udatur Caro, & Humores rursum permeantur Spiritibus, omnium, quæ vivo in corpore fiunt, architectis.

232. Humorum principalium quatuor sunt: *Sanguis*, primarium spirituum vehiculum, membrorum pabulum, lasciviæ flabellum: *Pituita*, vehementiæ & furoris antidotum, ignaviæ fomentum: *Bilis*, Sanguinis spuma, ingeniorum cos, iræ susceptaculum: *Melancholia*, Sanguinis limus, tristitiæ volutabrum.

233. Secundùm verò humoris hujus aut illius in nobis excessum prodit nobis *Complexionum* diversitas: ut à prævalente Sanguine fiamus calidi & humidi, ad omnia prompti & vegeti; aut à præpollente Cholera calidi & sicci, ad omnia ardentes & feroces; aut à præpotente Phlegmate frigidi & humidi,

humidi, ad omnia segnes & veternosi: aut à superante Melancholia frigidi & sicci, ad omnia tristes ac dejecti.

234. Sed ne ignores, Spiritus, operationum in corpore omnium præsides, generari è Sanguine ad summum puritatis gradum deducto diffundentes se per omnia maxima & minima totius corporis, ad omnibus vitam & vegetationem dispensandum. *Naturalis* enim per Venas diffluit ab Hepate: *Vitalis* per Arterias dissultat à Corde: *Animalis* per Nervos dimanat à Cerebro.

235. Quô tali motu suo quisque fungitur munere, suum præstat Vitæ usum: *Naturalis* nutrimentum membris distribuens; *Vitalis* iisdem calorem vivificum communicans; *Animalis* motum & sensum dirigens. Quæ animabilis spirabilisque facultas quâ peragatur naturæ arte, jam tibi discendum est, ut non sis nescius.

XXV. Facultatis naturalis administratio.

236. Omnium membrorum nutrimentum *Sanguis* est: cui perpetim generando materiam suppeditant corpori ingesta, & per concoctionem legitimam digesta, *Alimenta*, tali procedendi modo.

237. *Bucca*, Corporis molendinum, nutricationis facit initium, oblatum sibi alimentum excipiens primoribus concîdens, caninis confringens, molaribus comminuens, atque ita, ut per cibariam fistulam, *Gulam*, ad Ventriculum demitti possit, aptans; ubi Coctio prima & primaria peragitur. *Ventriculus* enim *Culina* est Corporis, pro tota membrorum familia cibos præparans: nec non Alembicus, alimenta ingesta incalefaciens, fermentans, dissolvens, & feces quidem deorsum dejiciens, vapores autem oleosos & spirituosos sursum dimittens, ex illisque vitæ balsamum, Sanguinem, conficiens: nisi quòd insufficienter hic cocta in stomacho vivant, phlegmaque generent.

238. Fit autem divisio illa pinguium à fecibus, postquam stomachi calore victum Alimentum è stomacho in lactes transit, puriùsque eliquari cœptum est. Indè enim crassamenta per intestinum protrusa foràs egeruntur.

239. Pinguis autem & oleosus succus à Mesaraicis venis (quarum totum Mesenterium plenum est) exsugitur, perque *Venam portam* immittitur *Hepati*, ubi jam Sanguinis trahat figuram: retrimentis iterum aliò actis, & foràs pulsis, iisque trinis.

240. Serosæ siquidem reliquiæ per emulgentes Venas distillant ad *Renes*, & indè per Venas albas ad *Vesicam*, cui Venarum albarum fibræ se circumplicant, Urinamque percolari & perstillari faciunt, donec stimulante onere per viam mictoriam expellatur.

241. Fecatas sanguificationis partes ad se trahere *Splenis* est, atræ bilis receptaculi: qui eas denuò excoquens, (est enim Jecoris æmulus, alterque in corpore ignis focus, uterque utrinque Ventriculum ut Ollam cingens, fervoreque suo calefaciens) depurari recusantem feculentiam illam certas per Venulas Intestino crasso (quod in Cæcum, Colum, & Rectum dividitur, imamque excrementorum viam facit) immittit.

242. Æstuosas denique & torridas Sanguinis portiones *Folliculus fellis* combibens, ejaculatur per peculiares meatuum vias ad eosdem Viscerum tubos: non solùm ut easdem egerrant, sed ad egerendum quoque crassiora & ignaviora alvi coacta irritent ac stimulent.

243. Purificatus hoc modo (à sero, fecibus, adustaque bile) Sanguis ascendit ex Hepate ad Venarum radicem crassam sese mox diffindentem, sursumque & deorsum, & ad latera, Venarum ramos dimittentem: per quos dimanans, & singula per universum Corpus membra irrorans, ab

iisdem membris imbibitur, & iis pro natura cujusque sua conformatur, atque sic agglutinatione lentâ concorporatur.

244. Postrema hujus concoctionis superamenta sunt collecta ibidem, singulis membris, serosa adhuc sublu-vies: indè per invisibilia Cutis foramina, ceu spiramenta, aliosque emunctorios meatus, sudatione, screatione, emunctione, sternutatione, pellenda. Nisi enim superfluentes illæ impuritatis sic eriventur, in morbos ibunt.

245. *Esuriei* ergò & *Sitis* in Corpore vivo rationem ita intellige. Indigente Membro alimenti, suas illud vellicat Venulas; hæ rursum suos Sanguinis rivos, majores Venas; istæ sollicitant Jecur; Jecur Meseraicas Venas, hæ denuò Ventriculum: cui inani si, quod det, prorsus deest, constringit se suctionis illius sensu, & contorquet. Si verò non solidum defuerit alimentum, defuerit humidum, (ut non coquatur, sed torreatur) attrahit Stomachus è gula & ore, quidquid humoris est: Undè fauces molestè arescunt, quemadmodum sitibundi experimur.

XXVI. Facultatis vitalis dispensatio.

246. Primùm in Corpore vivens & ultimum moriens, COR, nativi caloris fons, Vitæque focus perenni instructus igne, attrahens ab Hepate tenuissimas sanguinei succi portiunculas, & à Pulmone aërei spiraminis puriores halitus, elaborat ex utroque *Spiritum vitalem*, vitali & salutari calore præditam, eoque plus jam Spiritûs quàm Sanguinis habentem, flammulam, quam postea per Arterias, Spirituum vitalium semitas, toto corpore æquabiliter diffundit.

247 Ab hoc Vitæ per universum Corpus confovendæ munere nunquam cessans Corculum, in perpetuo est palpitatu: ab ipsa ebulliente flammula, certis veluti modulis, pariter distentum, pariter contractum. Id quod admotâ manu pectori, aut ubi Arteriæ (Spirituum vitalium conceptacula) altiùs promicant, deprehendere promptum est.

248. Atque ut in tanto æstu refrigerium sibi ne desit, habet naturæ beneficio adstitem sibi datum *Pulmonem*, ventilabrum illud & flabellum suum: qui ad recipiendam frigidiorem auram primùm se dispandens, adductumque aëra Cordi aspirans; & mox rursum se contrahens, aëremque in Cordis meatibus calefactum, cum fuliginibus ibidem collectis, prospirans, forasque exhalans, *Spiramentum Animæ* dici meretur. Undè illa Spiritus reciprocatio, Inspiratione & Exspiratione aëris constans, provenit.

249. Quibus respirandi vicibus, quum in iis Vitæ cardo versetur potissimùm, prospectum volens Natura, suspendit à faucibns Oris descendentem in Pulmones canaliculam, circularibus adeò affabrè contextam cartilaginibus, ut semper patula, nunquam interclusa, viam reciprocando Spiritui præstaret perpetuò liberam.

250. Cæterùm ut Spiritalis hæc fistula Vocis insuper primarium existeret organon, additus illi tubulus est fistularis, *Larynx*: ubi de imo trusus aër angustè comprimitur, sonoréque efflatus dispergere sese adigitur; tam altè & acutè, aut demissè & graviter, quàm est progerentis se annuli Cartilaginei à Larynge distantia, minor aut major.

251. Ut verò sonitus Oris nostri non incertæ sit vocis, tenorisve unius (qualem edere brutis etiam & mutis animantibus naturale est) sed explanabilis & articulatè formatus: formatum est Os homini valdè cavum, multi aëris capax, linguæque liberè se vibraturæ, (ac in certas figuras dispositurae, sonum denique ad fauces, palatum, dentes, nares, allisuræ.) laxa concedens spatia. Dearticulatio igitur Vocis

Vocis per Linguam, Oris illud cymbalum, primariò peragitur: variâ tamen simul Oris ipsius modificatione superadditâ.

252. Hac tantâ Oris capacitate, & omnimodâ Linguæ volubilitate, destituta animalia, diversè licet inter se sonent, sonum tamen variare nequeunt, uniformem semper edunt: Angues sibilum, Aquilæ clangorem, Ciconiæ glotterationem, Cornices cornicationem, Apes bombylationem, Boves boatum, Tauri mugitum, Oves balatum, Porci grunnitum, Vulpes gannitum, Ursi murmura. Pisces verò, quia tracheâ & pulmone carent, Voce quoque in universum carent.

253. Nobis autem vel insciis & nihil tale cogitantibus, varii in ore nascuntur soni: tristibus puta Suspiria; ægrotis Gemitus; impatienter dolentibus Ploratus & Ejulatus; submissim loquentibus Mussatus aut Susurra; exsertâ voce sermocinantibus Clamores, &c.

254. Quoniam verò *Trachea*, respirandi via, undique libera esse gaudet, admittere quidquam præter unum aërem impatiens (illicò enim tumultu pectora concutit, & ad excutiendum ingratum hospitem concitat) adjunctum est ad Gulæ fauces *Uvula* operculum: Laryngem tum, quum cibariæ fistulæ alimentum immittitur, obruans, ut ne quid vel minimum illabatur.

255. Sunt autem ad radices Linguæ positæ, in intimo palato, juxta Gurgulionem utrinquesecus, spongiosæ duæ glandulæ, *Antiades*, quæ perpetuò salivam generantes in Os (ut ne Lingua faucesque unquam penitùs obarescant) effundunt.

XXVII. Facultatis Animalis procuratio.

256. Animalis Spiritûs regia sedes Cerebrum est: ubi Animæ satellitibus, Sensibus externis, junctus, interque ipsos præsidiatum administrans, ne quid extra & circa habitaculum Animæ, Corpus, ignaris nobis fiat, illorum ministerio provideri facit. *Tactus* enim *excubitor* ejus est, mœnia undique obambulans, ut ne quid inimicum muros scandat. *Gustus*, *janitor* est, ne quis inexaminatus (amicus an hostis sit) intret. *Olfactus incendiorum custos* est, ne ardeat, quod non debet, néve fumi nocivi ascendentes fuliginem Cerebro faciant. *Auditus* denique *strepituum observatoris*; *Visus* eminus quoque venientium *prospeculatoris*, officium agit.

257. *Primi exploratoris munia vide*. Calorem ille & frigus rerum, tactione; Humorem & siccitatem, prensatione; Duritatem & mollitudinem, compressione; Asperitatem & levorem, attrectatu; Gravitatem & levitatem, sublatione; ubi quid per tenebras jaceat, prætentatu ac palpatione, cognoscit.

258. Ita rerum immediata Contrectatio, per universum æqualiter fusa Corpus, prima rerum judex & æstimatrix habetur. Ex qua vel *Voluptas* oritur, jucundus scilicet boni nos contingentis Sensus: vel *Dolor*, mali Sensus acutus, Spirituumque à re sibi ingrata crucians ægritudo: vel *Titillatio* à delicatæ cutis blandula prensatione excitata ridicula Spirituum subsultatio: vel denique *Pruritus*, à compunctiuncularum origine veniens non ingrata scalpurigo.

259. *Saporum rationem* Lingua examinat (quanquam id muneris antiqui palato quoque attribuebant, ob communem Ori cum Lingua sensificam membranam:) ut, quid dulce vel amarum, acidum vel acre, austerum vel acerbum, sapidum denique vel insipidum sit, ingeniosa Gula mox in sui Vestibulo, antequam in penetralia sua admittat, prælibet.

260. *Gustum Odoratus excipit:* quæ inter Sensus amica est conspiratio. Uterque siquidem exhalante rebus Virtute Spiritum afficit: nisi quod Gustu

Gustus hanc rebus in ore contusis exprimit; Olfactus verò massâ rei illibatâ subtilissimos ejus halitus naribus extrahit: eoque modo de intimâ rerum constitutione (salvæné an putrescentes, harmonicéne an secus textæ, sint) sagaci indicio explorat. Nam quale quid est, talem sui exspirat speciem; aut fragrantem suaviter aut fœtentem puridé.

261. Subtilior sequitur *Audiendi Sensus*: multa, quæ eminus etiam fiunt, ne clam nobis fiant, nobis detegens: cujus Organum Aures sunt, mirabili fabricâ. Sonus enim, ubiubi circa nos editus, per aëris gyros & circulorum rotundatione in Aurium concavum delatus, tremefacit Aurium membranulam instar pellis in tympano tentam: quam sequitur tremor aëris in interiore meatu conclusi, qui ab exteriore aëre percussus efformat soni imaginem. Quod fit, tum tribus, quæ continet officulis, tum chordâ tenui Tympano obtentâ, tum musculo perexiguo, &c.

262. Sonorum differentiæ in Cerebro, redduntur tales, quales à rebus prodeunt, & sui formam aëri (sese circulariter diffundenti) tandemque Auri nostræ, imprimunt. Vocis à cavitate quadam repercussus & resu tatio, *Echeam dat sonantiam*, non sonum scilicet, sed redditam itione ac reditione soni imaginem. Soni modulatio, dat *Cantionem*; corporum violentior fractio, *Fragorem*; Elisio per angustum quid, *Crepitum*: quem densiorem *Fremitum*, subtiliorem *Tinnitum*, dicimus.

263. *Oculorum Sensu* Colores & Colorata, à luce & tenebris venientia, dijudicamus. *Albedo* enim lucis, *Atror* tenebrarum repræsentantes faciem, extimi sunt: *Flavedo* & *Cœruleitas*, *Viror* & *Rubedo* de utroque extremo (sed modo mistura nobis vix unquam satis perceptibili) participant.

264 Gradus nihilominus varie temperatorum colorum distinctè sic habendi sunt; ut Cretam dicas esse colore candido, Capillos cano, Ebur lacteo, Paleam pallido, Asinum cinereo, Unguem russo, Picem atro, Æthiopem fusco, Passerem pullo, Anserem aquilo, Castaneam badio.

265 *Cœruli & lutei gradus* dignosces, si attribueris Caryophillis colorem hyacinthinum, Violis ianthinum, Sugillationi lividum, Cyano cyaneum, Felinis oculis glaucum; Auro iterum flavum, Cadaveri luridum, Lupo ravum, semicocto Lateri gilvum seu helvum.

266. *Viridium* discrimen tenebis, si dixeris *Herbeum*, quô nihil viridiùs viret; *Phrasinum*, viride pallens; *Vitreum*, debiliter viride; *Venetum*, maris crispati faciem præ se ferens. *Rubrorum* differentiam rectè expresseris, si purissimè sanguineum, *Purpureum*; in flammeum vergentem, *Puniceum* seu Phœniceum; ex aura flavum, *Rutilum*; ex luteo albicantem, *Rufum*; è ruso candicantem, *Fulvum*, appellaveris.

267. Quia verò sensionis quoque Sensus necessarius est (nec enim sentit, qui sentire se non sentit) addidit Natura, & in diversis Cerebri spelæis, suspendit intus sentiendi trinam, *Attendendi, Imaginandi, Reminiscendique* facultatem. Quæ *internorum Sensuum fabrica* nil nisi Principis (Animæ) Cancellaria est: ubi *Sensus communis*, quicquid ab emissariis suis (Sensibus externis) accepit, Phantasiæ renunciando, *Referendarium* agit. *Phantasia* verò ipsummet res expendentem atque dijudicantem, *Cancellarium* effigiat. *Memoria* denique omnia in acta referentem & monumentis mandantem refert *Notarium*.

268. *Sensus communis* Sensuum externorum centrum est: in quod Spiritus sensorii receptas rerum sensibilium species, tanquam ad judicem & arbitrum, deferunt. Quas ille rursum examinandas Phantasiæ, tanquam subsellii superioris Judici, tradit. *Phantasia* verò imagines à Sensu communi confusiùs acceptas ordinat, distinctè de sin-

de singulis judicium format, exque præteritis de futuris cogitat. Quorum omnium conda p.oma est *Memoria*, infinitæ illud capacitatis penetrale: ubi aut integræ rerum imagines servantur, aut si quæ obliteratæ fuerunt, ex vestigiis eorum, quæ superfunt, de iis, quæ interciderunt colligendo, reparantur.

269. Ab eodem animali Spiritu *facultas Locomotiva* regitur: dum appetitus objecti alicujus movet imaginationem; Imaginatio verò excitat *Spiritus animales*; hi intendunt *Nervos*, qui Animæ habenarum instar sunt, cientque *Musculos*; Musculi commovent circa Ossium commissuras *Tendines*; quibus tensis, aut rursum remissis, pars Corporis, vel Corpus totum, movetur necessarió.

270. Quia verò sensitiva & motiva potentia, per continuam lassata operationem, ut alternâ perfruatur requie, opus habet; opusque, labore exhaustis deficientibus Spiritibus, reparari novos: Somno attributa sunt tempora sua. *Somnus* ergò, licet secundùm apparentiam videatur Hospitis à domo absentia, Mortis imago, Resurrectionisque præfiguratio; secundùm tamen veritatem est Sensuum externorum quies, Spirituum introversio, Naturæ in seipsam operatio, deperditorum per vigiliam reparatio.

271. Nam revocatis Spiritibus ad interiora, tum *Stomachus* cum Jecore aliisque visceribus concoctionis munia exsequuntur meliùs, meliùsque Spiritus generant naturales: tum *Cor* vitalium Spirituum ab exterioribus membris ad centrum regressu, puriùs excoquit novos: tum *Cerebrum* reductis ad se Animalibus suis Spiritibus, promptiùs elaborat alios, qui in absumtorum labore locum succedant. *Somnium* autem quid est? Phantasiæ (a Sensibus non distentæ) circa propria domi objecta occupatio, imaginum imaginatio, evagantis mentis suave delirium, aut rursum evanidum terriculamentum.

272. Patet igitur, temperato sopore, re naturæ jucundissimâ, recreari nos, quippè cujus beneficio viribus augemur; Pervigiliâ verò fatigari nos, quippè quâ viribus exhaurimur. Nec unquam æquè jejunium emaciat, atque pervigilatio continua: quam aut morbi, aut mors, aut insania, consequuntur comites.

273. Somni ergò & Vigiliæ circulus ita in se redeat, ut labore lassus dormituriat; dormituriens oscitet, pandiculetur, dormitet, dormitans & semisomnis oculis nictet, capite nutet; tum se componat & dormiat; dormiens profundiùs stertat, placidiùs somniet; tandem, postquam somnum edormivit, expergefiat; atque, si redormiscere opus non ampliùs habet, somno excusso ad labores redeat, aliis insimul expergefactis.

XXVIII. Mens, Affectus, Conscientia.

274. Jam nobis hospes comesque Corporis substantia in nobis cœlestibus Mentibus cognata, Vivum Dei habitaculum, Omniscientiæque, Omnivolentiæ, & Omnipotentiæ æternæ imago, mori quoque nescia, spectanda venit, *ANIMA*: quam in vim omnium intellectricem, electricem, & effectricem divisam sublimiores Philosophi *MENTEM* appellàrunt.

275. *Intellectus* ergò quid est? *Exstructa ad Animæ arcem specula*: In qua *speculator* ipsa rationalis Anima est; *Fenestra*, per quas prospectat, Sensus sunt; *Oculi*, quibus prospicit, ingenii sagacitas est; *Perspicilium*, quod, ut longiùs prospiciat & acutiùs despiciat, adhibet, Ratio est; *Pupilla* oculi, conspecta excipiens, Judicium; *Imagines rerum*, judicio exceptæ, sunt Memoria intellectualis. *Voluntas* autem quid est? In Animæ arce residens regina. *Animus* verò, seu Facultates activæ, quid? Satellites ad arcis portas excubantes, rerum exsequutores.

276. Per tria ista fit, ut homines sint

sint homines, non bruta: imò ut homo alius alio plùs vel minùs homo sit, plura & ingeniosiùs cogitando, meliora & ardentiùs appetendo, magis ardua & acriùs prosequendo.

277. Nempè in multa inquirenti, *Industrioso*; rem de præfacili arripienti, *Ingenioso*; sine negotio excogitanti, *Solerti*, multa agnoscenti, *Gnaro*; notitiam usu firmanti, *Experto*; rebus uti cauto, *Prudenti*; utenti reapse, *Sapienti*; abutenti subdolè, *Astuto*, nomen imponimus.

278. Est rursum, quem torpor occupat totum, & cui quicquid offeras, nihil percipit, ut stipes & truncus: aut nihil percipit nisi tardè, nareque hebeti & obesâ, ceu caput cerebro vacuum, Corpúsve sine pectore.

279. Comparamus autem nobis rerum cognitionem aut *Sensu*, seu experientiâ, ut, num sit res, sciamus; aut *ratiocinatione*, ut, quid sit, intelligamus; aut alienâ relatione, illique adhibitâ *fide*, ut esse aliquid saltem credamus. Est ergò *Sensus*, præsentis veluti rei intuitio; *Ratiocinium*, ad absentem veluti rem penetratio; *Fides*, nihil nisi ignotæ rei persuasio.

280. *Admiratio* verò quid est? Scientiæ ignorantiæque mistura; clavis seram reserandi impedita; impetus ad obstaculum hærens. *Indagatio & Studium* quid? Ignorantiam pellendi, obstaculaque emovendi, & ad plus ultra penetrandi, conatus. *Scientia* quid? Mentis lumen. *Error* quid? Fumus. *Opinio*? Fumi umbra. *Suspicio*? Scintilla crepitans, & tamen quoquò incidit urens, aut incendium excitans; Erroris filia & mater: venit quippè à re non satis perspecta, per errorem, inferensque alia non perspecta parit novos utplurimùm errores. *Dubitatio* quid? Ellychnium, flammam obumbrans. *Hallucinatio* quid? Fumigatio ellychnii ardere nequeuntis. *Inscientia* quid? Candela extincta (vel nunquam accensa) quæ nec sibi lucet nec aliis.

281. *Voluntas*, intima illa & centralis Animæ facultas, ita in res intellectu perspectas vim suam exserit, ut bona amore, mala odio, non prosequi non possit. Præterquam cùm externa rerum specie intellectum quoque ipsum fascinante, decipitur: in hoc enim casu accidit, ut deteriora placeant eliganturque, displiceant meliora spernanturque.

282. Et quia aberrante duce errare simul illum, qui ducitur, non tam proclive quàm inevitabile est: fit, ut aberrationes Intellectionis necessariò Voluntatem præcipitent in errores; Voluntas autem errans aberrare cogat Animi studia & conatus: undè tot enormes Mortalium actiones. Nempè ignoti boni nulla cupido, ignoti mali nulla fuga: malè autem cogniti, seu boni seu mali, mala cupido, mala fuga: ut optimæ etiam rei oriatur satias & nausea; pessimæ etiam ferventior amoris excessus, quem vocamus *Zelum*, adamatæ rei læsionem ferre nequeuntem.

283. Si igitur *Voluntatem*, ut indefessam per omnes totius Universi sylvas *Venatricem*, spectare libet, præda illi expetita erit, quicquid usquam *bonum*, *suave*, *utile*, est aut esse putatur; *Retia*, AFFECTUS, Amor, Desiderium, Vota; *Canes* autem, Spes, Studium, Conatus, Solicitudo, Impetus; Campi denique, Vita tota: hic quippè semper ita est, uti Poëta canit,

Venato sequitur fugientia, capta relinquit;
Semper & inventis ulteriora petit.

Affectus, in seipsis considerati quid sunt? *Animi meteora*: Silent? Serenum est Mentis cœlum; Perflant? movetur; Turbantur? quid nisi nimbos, grandines, fulmina, videbis. Si quis tamen iis uti sciat benè, optimum quid sunt, & prorsus ad naturæ humanæ perfectionem spectant, utpotè omnium humanarum actionum stimuli. Absque his enim sit, *Voluntatis & Intellectûs apparatus* erit; ut appensis destitutum ponderibus *Horologium*; ut,

Currus

Currus nullis præjunctis equis; ut *Navis* nullis pansis velis: res scilicet sine motu & usu.

284. *Seorsim consideratos Affectus*, (præsertim immoderatos) ita concipe. *Spes*, est præoccupatio boni, & suavitatis, antequam frui incipias, consumptio: sæpè nihil quàm vigilantis somnium, eventus dubius, corvus hians. *Metus* contrà, miseriæ anticipatio, pessimus in dubiis augur. *Tristitia*, lenta mali consumptio: desinit enim tandem afficere, quia dies adimit ægritudinem; & ab assuetis non fit passio. *Ira*, est ad vindictam proruendi cupido, furor brevis, præceps & malè consultus consultor. *Pœnitudo*, factum aliquod irrevocabile revocandi frustraneus conatus. *Desperatio*, Navis anchorâ ruptâ, amissisque velis & remis; plerumque tandem Animi naufragium.

285. *Aliena bona & mala* raros perindè ac propria afficiunt. In alienis enim malis citò arescit lacryma; in alienis bonis levior fit exsultatio. Quinimò perversis naturis facillimè hic *Invidia*, ibi ἐπιχαιρεκακία, suboritur. *Invidia* quid sit, quæris? Felicitatis alienæ invitus testis, & in majus exaggerator (nam *Fertilior seges est alienis semper in agris, Vicinumque pecus grandius uber habet*;) Morbus oculorum dolorificus; Flamma seipsam urens; Cor seipsum exedens (*Invidus* enim *alterius rebus macrescit opimis.*) Ἐπιχαιρεκακία quid? Intempestivum ex alienis malis gaudium, aut etiam insultatio, morbus diabolicus.

286. Imus animæ fundus, CONSCIENTIA, *Speculum* est *occultum*, in quo seipsam remotis arbitris contemplatur Anima; & *Mentis*, in qua infinitæ sunt latebræ ac recessus, *custos pervigil*; & *Ratiocinii humani Syllogismus intimus*: cujus *Major* est principium practicum, justi & injusti notitia; *Minor*, bona maláve actio nostra; *Conclusio*, actionum approbatio vel improbatio, illamque consequens Animi tranquillitas, hanc tormentum.

XXIX. Præternaturalium spectamen: primò autem Morborum externorum.

287. Homo bulla, flos agri, imbecillitatis exemplum, fortunæ ludibrium, tot vivit obnoxius casibus, quot aliarum Creaturarum nulla. *Quidam* in massam tantùm carnis crescunt, nihil in toto nisi venter & adeps: *alii* exsucci & ejuncidi, nihil nisi ossa & cutis, toti coriaginosi & scutili, quos ut lucernam sol translucere, ut stramentum ventus auferre, queat. *Quidam* formâ venusti, tanquam à Diis ficti: *alii* deformati ac distorti, tanquam à furiis oriundi. *Quidam* ut rupes validi, Leoninoque robore: *alii* elumbes, vieti, ficulnei, fictiles, languidioresque tenerâ betâ.

288. Spirituum in corpore functiones liberæ ac validæ, *Valetudinis* nobis *firmitatem*; impeditæ autem, infractæ, quassatæ, Valetudinis vitium, *Morbum*(qui luxuriæ supplicium, corporis impedimentum, patientiæ theatrum, mortis atrium, hostisque jam intra mœnia admissus est) afferunt. Cujusmodi functionum impeditio à trina oboritur causa. Inter quas *Membrorum confirmatio mala* (undecunque veniens) prima est: *Continui in corpore solutio*, secunda; *humorum vitiata crasis*, tertia.

289. *Infabrè figuratos* vides, dum aliquem obstipâ Cervice, vel præcurvo antrorsum Capite; vel tuditanum, vel Fronte umbilicatâ, aut deformiter latâ; vel Buccis fluentibus, aut labrosum, aut dentatum bronchum; vel Naso deorsum falcato, obunco; aut sursumversus repando, resimo; aut in planum compresso, simo; aut ad latus contorto, silo; gibberosum item, strumaticum, verrucis fœdatum, vides.

290. *Malè luminati* sunt; *Ocella*, parvis ocellis; tum *Luscus*, naturâ monoculus; *Cocles*, contortis cernens oculis; *Strabo*, distortis; *Pætus*, limis leniter-

leniterque obliquatis; *Myops*, tantùm admota, semiclausisque oculis; Lusciosus denique, noctu nihil, interdiu parùm, videns.

291. *Malè linguatus* est, vel *Elinguis*, nihil fari valens; vel *Traulus*, qui Canis iram imitari nequit; vel *Blæsus*, non rectè sibilans; vel *Balbus*, linguâ titubans, verba ægrè eluctans, adeòque syllabas singulas fringultiens. *Nasuti* odoratores; *Auribus flaccidis* bardi. *Buccis distortis* gulosi, esse putantur. Caput crispum rarò calvitiem pati, rufum vix candescere opinio est.

292. *Mancus & Ancus* tantum in labore valent, quantum, cui instrumentum deest, aut vitiosum adest; sedigitus tantum, quantum, qui instrumento superfluo instruitur. *Malè pedati* sunt, *Claudus*, neutro pede utilis; *Claudicans*, altero impeditus; *Pedo*, longipes; *Pansa*, latipes; *Scaurus*, extortis talis; *Varus*, distortis ac introrsus actis cruribus; *Vatius*, iisdem extrorsus flexis; *Valgus*, monstrosè crassis suris; *Compernis*, compressis genibus.

293. *Solutio continui* fit aut *Vulnere*, quod morsu, punctione, cæsione, infertur: aut *Plagâ*, quæ incussu fit, & collisu, & conquassatione: aut *Vibice*, quæ flagellatione; aut *Pustulâ*, quæ adustione; aut *Pernione*, membri circumgelatione; aut *Callo*, qui à carnis compressura venit. A quorum tamen curatione *livedines* & *cicatrices* supersunt, soluti ad unionem ægrè reducti vestigium.

294. Subtercutaneam putrilaginem *Hulcus* dixêre: quod simul atque suppuraverit & abscesserit, *Apostema* dicendum est, vomiturum purulentam saniem tabumque. Id verò si per carnem serpat, sedemque mutet, *Herpetis*; si carnem ad ossa usque voret, *Cancri*, (& *Phagedænæ*;) si eandem reddat mortuam, *Gangrena* (& *Cacoëthis*) peculiari nomine gaudet.

295. Suppuratio fœtidissima in naribus, *Ozæna* est; molestissima ad ungues, *Redauvia*; diffusa per cutem variè, *Variolarum* & *Morbillorum* invenit nomen.

296. Quum ossa suis emoventur acetabulis, *Exarticulatio* est, seu *Luxatio*; cùm infringuntur, *Fractura*. Quum verò membranæ ventris infimi accidit ruptura, ut intestina in scrotum aut inguen delapsa tumorem faciant, *Herniam* (& *Ramicem*) vocabis.

XXX. Morbi intestini.

297. *A vitioso Humorum temperamento venientium ægrotationum catalogus*, non aliâ quàm Functionum serie texi potest commodiùs. Incipiamus igitur à *Facultate naturali*.

298. *Alvo superiori* (*Stomacho*) *accidit*, ut alimenti appetentiam ammittat, & *Anorexia*, *Obtususque stomachus*, dicitur: vel exardeat in nimiam, vix ullâ ingestione explebilem, & est *Malvina Orexis*, quam & *Caninam appetentiam*, & Bovinam (*Bulimiam*) dixerunt: vel appetat absurda (cretam, picem, &c.) & *Picam* vocant. Aliquando admittit haud invitus, sed coquit languidè, ut nihil in chilum verti possit, fiuntque *Fluctuationes*: erumpentes aut sursum per os singultientium & ructantium; aut deorsum per ani flatum, vel etiam sonorum crepitum. Aliquando pravè coquit, nascunturque ex semicrudo in cibo in Intestinis *vermina*. Aut non coquit penitùs, rejiciunturque ingesta cruda, non immutata, vel superiora, *Vomitu*, quem nausea præcedit; vel per inferiora, *Lienteria* fluxu.

299. *Intestina quoque ipsa interdum officium haut rectè faciunt*: dum aut non egerunt, aut nimis egerunt, ciborum retrimenta. Quum non egerunt, fit *Duritiès alvi*, sæva tandem (cùm in gradu summo est) pariens tormina: sive in ilibus, ubi cibus per vias obstructas progredi non valens, sursum retruditur, stercoribusque permistus, per stomachum & os rejicitur; atque tum *Ileum*, & *Iliacam passionem*, *Volvulumque* vocant: sive in *Colo* (intestino crasso, seu Cæco) ubi *Colicam passionem*, & *Colicen*,

& *Colicen*, dicunt. Nimiam verò dejectionem, *Diarrhœam*, h. e. alvi profluvium; eruentam, ab exulceratione intestinorum (propter mordacitatem bilis) venientem excretionem, *Dysenteriam*; paucam & difficilem, cum perpetua excercendi, inani tamen, cupiditate, *Tenasmum*; dejectionem tandem vomitationi conjunctam, ubi superior & inferior Alvus rejectat, *Choleram*, cognominant.

300. *Meseraicæ sequuntur Venæ*: quarum oppilatio *Flatus* in corpore excitat, Hypochondria melancholiâ implet, Febresque omnis generis accendit.

301. *Ab Hepatis mala habitudine* proveniunt: *Cachexia* quidem (quam indicat corporis pallor) si chilum debiliter coquens progeneret sanguinem semicrudum: *Hydropisis*, si nihil coquens producat sanguinem serosum, membris assimilari nequeuntem, sed intercute aquâ corpus distendentem: & *Scabie* ac *Papulæ*, si acrem nimis: cui si se malignitas occulta admiscuerit, *Scorbutus* erit; aut *Lepra*, seu *Elephantiasis*; aut *Impetigo mala*, quam *Luem Veneream* vocant.

302. *Fel bilem non rectè depurans*, bilioso humore infici permittit sanguinem: quæ origo est *morbi Arquati*, seu *Regii*; aut si invalescat per totum corpus, *Tabitudinis* & *Marcoris*. *Lien* nimias colligens feces, *Tumorem* sinistro lateri inducit: qui induratus tandem in *Schirroma* desinit; aut eas deponens ad venas hæmorrhoidales, in molestam sanguinis per anum effusionem; cui se interdum sedis procidentia, interdum vero *Ficatio* & *Marisca* adjungit.

303. *Illegitimi Seri administratio* varios excitat, molestosque, affectus. Ut *Lumbaginem*, diuturnior ejus in ureteribus detentio; & *Calculum*, spissescens ejus in vesica aut renibus acrimonia; & *Ischuriam*, seu meiendi impotentiam, nimia suppressio; aut saltem *Dysuriam*, difficilem mictionem; & *Stranguriam*, seu stillicidium dolorificum; aut denique *Diabeten*, urinæ incontinentiam, involuntariumque profluvium.

304. *Sanguis ad membra delati assimilationem*, si fuerit nulla, aut exigua, *Macies* seqnitur: si nimia, *Membrorum tumores*. Quos inflammatos in ore, circa tonsillas, *Synanchen* (*Angorem faucium*) nominant; infra linguam, *Ranunculam*; in venis copioso sanguine turgentibus, *Variculas* & *Flegmina*; per cutem se effundentes, *Erysipelas*. Si vitiosa fuerit assimilatio, prorumpent squamæ cutem serpentes, quas generaliter vocant *Impetigines*; in capite autem *Porrigines*, in facie *Lichenes*, (*Mentagras*) alibi *Lentigines* & *Vitiligines*. Capillorum *defluvii*, Capitis *levitatis*, *Canitieique*, causa humidi radicalis defectus est.

305. *Residua coctionum* (primæ, secundæ, tertiæ) ascendunt in Vaporis forma sursum, quousque possunt; nempè ad Capitis cranium in cerebri cellulas; undè rursum defluendo (ut è Nubibus imbres solent) *Catarrhum* faciunt, distillantem vel ad oculos, & *Lippitudo* est; vel ad fauces, & *Gravedo* est; vel ad tracheam, & *Raucedo* est; vel ad Pulmonem, & *Tussis* est: sed si Pulmonem salsedine suâ exulcerant, & purulanta exscreare cogunt, *Phthiseos* initium est; vel tandem detruditur illuvies illa salsa ad articulos, facitque *articulamentorum dolores*, à d versis sic affectis membris diversum *Chiragra*, in manibus; *Podagra*, in pedibus; *Gonagra*, in genubus; *Sciatica*, in coxendicibns, accipientes denominationem.

306. *Cordis motus* nimius palpitationem dat cordis; nullus *Lipothymiam*, seu virium defectionem; respiratus difficilior, *Dyspnœam*, seu *Peripneumoniam*; crebriter reciprocatus, *Asthma*. Ejecturus molestum aliquid thorax commotione vehementi Tussedinem excitat, Cerebrum verò, ut se suis molestiis relevet, *Sternutationem* ciet: sed qui supini recubantes, vel

proni,

proni, dormiunt, *Anhelatione* vexantur.

307. *Sensuum læsio* varia est. Læsâ enim oculorum fabricâ homines fiunt *Cæci*, aut Cæcutientes; aurium *Surdi* vel Surdastri. Nec desunt, quibus odorandi, gustandi, tangendi facultas sic obtusa redditur, ut stupeant, deque rebus odoratis, sapidis, tactilibus, judicare nequeant. Interiorum verò sensuum læsio apparet in *Stupidis*, qui nihil imaginantur; & *Hebetibus*, qui parùm; & *Deliris*, qui absurda: (Delirium verò cum febre *Phrenesin* facit, seu *Phrenitin*; cum timore ac mœstitiâ, *Melancholiam*, quam non sine causâ *balneum Diaboli* dixêre; cum impotentia sui, *Furorem & Intemperiam*;) & quos Memoria ita deficit, ut quidquid hauserant, oblivione rursum obruant.

308. *Locomotiva quoque facultas depravata* sua patitur vitia variè. Unius enim membri motus involuntarius, facit *Convulsionem*: idem minutulè & crebrò reciprocatus *Tremorem*; exteriora cutis solùm concutiens, *Horrorem*; valdè corpus jactans, *morbum Herculeum* (quem *Comitialem, sacrum, divinum, sonticum* vocant) musculum ad suum principium retrahens, *Spasmum*; penitùs Corpori ademptus una cum sensu, *Apoplexiam*; uni solùm lateri subtractus, *Hemiplexiam*, membro verò uni soli, *Paralysin*, aut *Siderationem*. Quorum omnium causa est Nervorum obstructio, & spirituum animalium ab affluxu prohibitio: qui leniùs prohibiti, & in ipso cerebro circumacti, *Vertiginem* afferunt.

309. Qui nullo sunt, vel perpauco, somno, *Insomnes* vocamus; qui nimio, *Somnolentos*; qui continuo, *Veternosos*. *At* compressione pectoris intercepta respiratio, turbulentaque compressoris alicujus somniatio, *Ephialten* facit (*Faunorum in quiete ludibria* vocat Plinius) *Lunatici* profunde sopiti tam fortiter imaginantur, ut lecto surgentes trabes & lacunaria scandant; multaque audeant, quæ vigilantes non auderent. Quibus similes *Ecstatici*, vigilantes licet, abrepti tamen animô, & sensibus introversi, nihil externi audiunt, vident, sentiunt.

310. *Morborum ergò non eadem est omnium ratio*: quippè quorum *alii* dolorem, *alii* pruritum, *alii* stuporem solùm, afferunt. *Acuti* perimunt citò, *lenti* cruciant lentè, *contagiosi* inficiunt halitu, *Pestilentialis* præsertim febris, &c.

311. Dolor capitis, *Cephalalgia* est; dimidii capitis *Hemicrania*; gingivarum, *Odontalgia*; laterum, *Pleuritis*. At animam agentem ex lethali stertore, infrigidatis membris, oculorum procidentia, agnosces.

XXXI. Portenta Naturæ.

312. Digressiones etiam Naturæ ab ordinario cursu spectare volupe sit: quæ aut res generando *abortit*, perireque, antequam perficiat, sinit; aut membra formando *deficit*, *excedit*, *monstrificat*; vel denique in aliud quid (sequiùs quàm pro intentione) *transformat*.

313. In *Meteorûm* genere portentosa sunt, quum sanguine, sulfure lapidibus, ranis, aliisque insolitis, pluit (lapidat enim quandoque de cœlo) aut globi décidunt igniti, aut in aëre acies visuntur armatæ, & id genus alia.

314. *In Vegetabilium* item *regno*, quoties aliud in aliud degeneratione transit: ut in avenam sterilem *Avena*, in ægylopen *Hordeum*, in siliginem, imo & lolium, ipsum *Triticum*.

315. In *Animantium genere* portentum est cuicui bicipiti aut tricipiti, bicorpori aut tricorpori, &c. nasci contingit. Sed bigeneræ quædem ad Naturæ spectant adulteria: cujusmodi est mulinum genus, natum ex Asino & Equa, *Muli*; aut ex Equo & Asino, *Hinni*. Nec non ex Pardo & Leæna, *Leopardi*; & ex domestico, feroque Sue, *Hybridæ*.

316. Inter Homines pro monstris habentur, primùm *Hermaphroditi*, ambiguo

biguo sexu nati: dehinc membro aliquo deficientes, aut superficientes, aut deformati: quorum classem augere possunt colossei *Gigantes*, cum spithameis *Pumilionibus*.

317. Narrationes antiquorum de *Phœnice* (seipsam exurente, èque cineribus resuscitante ave) & de *Pelicano* (pullos suos sanguine suo in vitam revocante) & de *Boâ* (vivos devorante cervos colubro,) &c. fabellis simillimæ sunt.

318 Similiter *Faunos* & *Satyros*, *Tritones*que & *Sirenes*, aut credulitatis humanæ commenta aut ludentis naturæ extraordinaria miracula, aut ludicantia mortales dæmonia, fuisse verisimile est.

XXXII. Rusticæ artes: Horticulturæ primùm.

319. Ad novas progrediamur lineas, quas in rerum Orbe humana ductat industria, producuntque Creatoris sui simiæ: sive qui *Naturam ipsam colunt*; sive qui *circa Naturæ exuvias variè transformandas* operam ponunt; sive qui *seipsos ad mentis splendorem expoliunt*.

320. Rei exercendæ rusticæ locus *Prædium* est, cum adjunctis *Hortulis*, *Agellis*, *Campis*que *compascuis*: ubi curatio habetur, ut Natura tantò libentiùs & abundantiùs de suo sinu sua profundat dona.

321. *Hortus* habendus est, tanquam alteram macellum, & altera succidia Villæ: *Olitorius* præsertim & *Pomarius*; dum *Viridaria* & *Topiaria* deliciis serviunt.

322. Verumenimverò circummuniri Hortum necesse est, nec relinqui expositum injuriis: quod variè fieri potest, jam *Aggere* seu aggestâ terrâ; jam *Macerie* è lapidum congerie crudâ; jam *Vacerrâ* è longuriis structili; jam *Cratibus textis*, & septo virgeo; jam *Plancis*, sepimento fabrili; jam *Muro*, cæmentitiâ structurâ opere facto.

323. Videamus verò seorsum, *Olitoris*, *Arboratoris Topiarii*que operas. *Olitor*, ut commodè in areas disserat semina, exossat terram, lætificatque ingesto fimo; & defodit marrâ aut præferrato bipalio, tum circumaggerat foros & porculeta rutro, mandatque semina terræ per pulvinulos subigitque iteratione rastri seu irpicibus ferreis. tum si adesse soli macritatem, aut cœli ariditatem, videt, aquatione adjuvat; pòst ab herbis impertinenter adnatis runcatione purgat: ad maturam denique frugem venientia Olera (prout cujusque requirit natura) deligit: hæc quidem subsectione, ista evulsione, alia effossione.

324 *Arborum propagator*, redivivus *Alcinous*, tres habet *Arborum pullos* serendi modos. Primùm *per semina* seu *nucleos* fructibus exemptos, quos terræ immergit, fruticarique facit. Secundò, per *Malleolares* virgas, ita de Arboris alicujus ramo excisas, ut crassiore capite in terram depactæ radicent, novellamque ex se producant arbusculam. Tertio, per *Viviradices*, ubi plantulam sylvestrem cum radice sua evellit, in hortum transfert, terræ depangi. & sic peregrinas arbores suo solo assvescere docet. Quas majoris concinnitudinis ergò decussatim, sive per quincuncem, digerit: ut ubiubi quis consistens Arboretum perspectat, plateas videat rectissimas.) Viviradici autem jam radicatæ demit totam frondium comam, stipitique reliquo, per medium diffisso, inoculat defectum de Arbore, cujus genus propagare vult, germen; tum emplastrat, inutiliterque adnascentia suo tempore putat, exputat, amputat, perputat.

325 Si quæ *Arborum lanuginosæ* fiunt, aut *vermiculosæ*, & *infestatæ formicis*, vel *araneis*, emundat illas & extricat. *Siderè* verò percussis, eoque retorridis factis, vetustatisve cariem passis, senii denique sterilitate laborantibus, quid facit? aut ablaqueat circumfossuris adhibitis (tum summas, & in superficie natantes radiculas, nudando, tum

tum & ad inferiores, si opus, perveniendo) rursumque terrâ & fimo adobruit: aut si ad frugem redire aspernuntur, cum stirpibus imis evellit. Accîsas enim stirpes recrescere proclive est, exstirpatas resurgere impossibile.

326. *Maturitatem assequuti Fructus* aut decidunt suâ sponte Arboribus; aut ab Avulsore develluntur, aut (si quò haud pertingit manus) decutiuntur longurionibus, aut agitatâ arbore excutiuntur, àque legulis lectitantur. Stabiliores verò sunt vulsiles, qui non ultimâ expectatâ maturitate, succoque adhuc tenace manu decerpuntur. Durabilitate item præcellunt autumnales æstivis, succosi exsuccis, conditiique in cruditate sua relictis.

327. Habetur & in esitandis fructibus delectus: ut quidam *recentes* malint (quos & avidiùs cum integro termite avellunt,) alii *fracidos*, aliis denique arrideant igne vel sole *tosti*, quales *Caricæ* & *Astaphides*. Quæ res & ad durationem facit, cùm cruda ætatem non ferant.

328. *Olivum*, succus præpinguis, exprimitur torculari è baccis Olivarum (quanquam melius est *mustum Olei*, quod ante pressuram defluit:) cujus feces cum floccibus, amurca cum retrimentis, abjiciuntur.

329. *Viridarii curator* conquirit, quascunque potest, raras & miras plantulas, quarum spectaculis pascat oculos, recreet nares, reficiat animos. Utque majori omnia sint voluptati, digerit areas per artificiosas figuras: nec in planum duntaxat; sursumversus etiam, & ad latera: constituendo amœna sub viridi *ambulacra*, & cameræ more junctas *pergulas*, & *thoros* gramine vestitos, & quæ similia excogitare potest oblectamenta: etiam cum *hydraulicis machinis*, aliisque scitis aquæductibus.

XXXIII. Agricolatio.

330. *Agrorum cultor* obstetricator est terræ, Deique fenerator: qui panis lucrandi causâ negotiationem cum Deo exercens, labores suos in Arvum semini *præparandum*, in *Semina* terræ *mandandum*, in *Fruges demetendum*, inque *Frumentum exterendum*, strenuè impendit.

331. *Præparationis* modus hic est: ut solum nondum aratum virgultis exstirpet, & eruderet; aratum verò, sed cultu nimio emaciatum, aut à cultu neglectum, pingui fimo lætificet, ad faciendum *Agrum restibilem*, continuo biennio farreo spico conseri idoneum. At enim *Arvum* primò proscissum, sicut & *Vervactum*, alternis solum annis perseri solitum, (uti fit, ubi terra abundat, homines non abundant) stercorationis nihil indigent, quia his pinguedo & feracitas per se insunt.

332. *Araturus*, subdit jugo boves, concitatque stimulo: atque tenens aratri capulum sinistrâ fortiter (ut ne se, aratrum, saxum aut glebam declinando emoveat) dextrâ verò lignamentum præferratum (quo vomer raditur, & hærentes amoventur glebæ) agrum vertit. Tractu enim sic aratri facto, *dens aratri* superiora terræ proscindit, *vomer* autem ab imo sulcos infindens lacunas evertit in striam. Sulcamine peracto in jugeri fine facit versuram, iterumque in altero fine versuram, donec jugerum peraratum sit, bovesque ab opere disjungi expediat.

333. Peraratum sic fundum, cùm cultus consenuit, repastinat, in directum obliquum arationem iterando, glebasque cylindrorum supervolutatione, aut occarum raptatione, coërcendo. Uliginibus scatenti Agro superinducit sulcos aquarios (Porcas vocant) per quos aqua collecta educitur. Atque sic demum habet *Pastinum*. *Humum* scilicet *subactam* suscipiendæ sementi paratam.

334. Quô obtentô, per areas ordine progrediendo sementem facit (sed quod spargit semen vetustum esse, aut

corruptum, non debet, sive fuerit vernum sive sementinum.) moxque sata deoccando terrâ adobruit: quæ dum proserpunt, ut ne à congerminantibus zizaniis opprimantur, sarritione factâ, quâ diligentiâ potest, purgat.

335. Flavescentibus ad messem Segetibus, adsunt *Messores* cum *Falculis* denticulatis, aut etiam *Seculis:* quibus frumenta matura succîdunt, desecant, manipulatimque, ut siccescant commodiùs, humi disternunt: iterumque in mergites *rastris* collecta, & tomicibus colligata, per quindenos acervatim collocant: demumque suo tempore plaustris (furcarum & mergarum ope) injectos in *Horrea* convehunt, vel sub dio *Acervos* struendo stramineo culmine contegunt. Spicilegium jure pauperibus relinquitur; stipula pecorum pastui.

336. Mox *Flagellatores* per aream distrata frumenta flagellis adorti, tundunt, excutiunt, exteruntque grana (quod antiqui pecudibus per aream frumento plenam actis, aut plostellis, trahis, tribulisque, tractis expediebant;) Quæ extrita velabris iactant, ventorumque ope à paleis evannant: atque si quid acerum granis superadmistum fuerit, verriculo pennato expurgant: à recrementis tandem incerniculi secernunt: demumque aut Granariis inferunt saccis, aut demittunt in Cryptas, aut reponunt in Cumeras.

337. *Possessor hæreditarius* quandoque *Prædium* aliis pensione annuâ ablocat: sive fundum ipsum ad annos aliquot *Colono* cuidam; sive usumfructum duntaxat, *Mancupi* (fidejussore quôpiam, seu prædiatore, interveniente;) sive ad proventus æqualiter dividendum, Consorti (seu *Partiario*) cuidam; sive demum (id quod usitatissimum est) *Villico* seu *Procuratori Villatico*, qui mercede conductus familiæ operisque urgendis præest, rusticationisque negotia administrando, *Antistitem operarum, præsulem*que *agri* agit.

XXXIV. Res pecuaria.

338. Pecuariam qui faciunt, quæstum è lactariis, lanicio, carnibus, quærunt. Quô fine *pecoris dominus*, operâ *pecorum custodis*, circa *pecudum* *Seminationem*, *Stabulationem*, *Pabulationem*que curam ponit.

339. *Felici fœturæ* habiles sunt fructuariæ pecudes, quæ ipsæmet generosioris propaginis fuerint, patres & matres.

340 *Stabulorum* differentiæ à pecorum generibus cognomina trahunt, *Ovilium*, *Caprilium*, *Suilium*, *Bubilium*. *Mandras* autem ambulatorias ovium clausuras ex loriculis vimineis factas, vocant; quibus nocturni, in campo relicti, greges inclusi, quotidianoque promoti, agros stercorent. Nec regiones desunt, ubi Armentorum custodes noctesque diesque sub dio agentes, gramine depasto hîc, greges agunt aliò, sua simul transferentes magalia.

341. *Pastio*, pecudibus vel foris ministratur, per campos & nemora, (ad quæ si nonnisi per alienum fundum gregem exigere datur, jure publico via quatuor pedem lata concedi solet) vel domi præbetur, ex herbis, paleis, stramentis, fruge roburnea, farragine, fœno, parata.

342. *Fœni* autem gratia coluntur Prata. Quæ quia humore egent multo, optima sunt locis naturâ irriguis: sin, derivatis aliundè aquis humectanda veniunt. Hîc adultum *Gramen* falcibus fœnariis tondetur, per strigas aggregatur, soli & vento expositum siccatur, rastris in cúmulos corraditur, bidentibus in *metas* acervatur, vehibus denique ad *Fœnilia* convectatur: & nomine mutato pro Gramine *Fœnum*, iteratoque renascens & recollectum, *Cordum* dicitur.

343. *Bubsequa*, dum bubus suis domi stabulantibus pabula præbet, in præsepium vel crates effundit; quemadmodum & *Equisones*, *Agasones*, *Muliones*, suo armento factitant. At *Subulcus* suibus

suibus suis pastum aqualiculo infundit: *Caprarius* caprinum suum gregem ad frondium virgulta, quibus gaudere impasci novit, deducit.

344. *Flagro* & *pastorali baculo* armatus (quin & *Molossis*) *Opilio* suam pastum educit *Oviariam*, suum ibidem peculium, peculiari insignitum charactere, habent. Tonsuræ tempus quum advenit (non enim jam velluntur, ut antiquitùs, comæ Ovium, sed adimuntur tondendo) lavantur Oviculæ à lotricibus, & tonduntur à tonstricibus, detonsumque lanicium venditur lanariis.

345. A Vaccis *Lac* habemus, omnium rerum, quas cibali causâ cupimus, liquentium maximè alibile: quod ubera Vaccarum pressando emunctum Villica immulget *Mulctra*, indèque transfundit in *Sinos*, transcolatum per saccum. E *flore Lactis* postea, certo vase agitato, conficit *Butyrum*, Lactis spumam: remanente acore, Lactis sedimento.

346. E Lacte secundario coagulato formantur *Casei*, Lactis coagula; aut manu solùm pressæ *Meta*, remanente *Lactis sero*, &c.

347. *Mactationi destinati Pecudes* (carnium enim qnoque causâ aluntur) secluduntur à cæteris, ut in saginario opimiùs saginatæ, tum celeriùs tùm meliùs crassescant, & pergliscant. Cujus & rei gratiâ castratura adhibetur, ut ex Vervecibus *Arietes*, è Porcis *Majales*, è Galliis *Capones*, &c. fiant.

348. Quandoquidem autem Pecudes etiam suis infestantur morbis (quos hìc recensere nihil interest) perquam utile est *Veterinæ Medicinæ* ignarum non esse illum, cui Pecuaria res curæ est.

349. In Pecorum censum jure suo veniunt *Aves Villaticæ*, quæ Cortibus nostris se coërceri, nostro bono, patiuntur, (nempè ut nobis Ova pariant, Pullos excludant, plumulas ad molles lecticarum pulvinos præbeant, &c.) *Anseres* puta, *Gallinæ*, *Columbi*, &c. tum & *Pisces* piscinales, qui promptum in usum vivariis asservantur.

350. Huc etiam industriosus *Apum populus* spectat: qui singulos in annos de se globum pullicei suæ, novas quæsitum sedes, novasque institutum colonias, uno certo sub duce, emittit. Ubi nova progenies novum reipublicæ inchoans corpus, labores & laborum fructus in commune conferunt; favos, veluti Civitatis suæ fora, plateas, domos, ordinatissimè digerunt; indefessâque diligentiâ thesauris melleis, per omnes cellas penarias stipatis, abundè opulentant non se tantùm, sed ultra necessitatem propriam dominos suos. Qui è distillantibus favis dulcissimum illud nectar colligunt: è cratibus verò ipsis, melliginis officinulis, igne liquatis, *Cera* gluten varios in usus conficiunt.

[*Saccharum* mel arundinum Indicarùm est, arte coctoriâ paratum; quod quia æquè ut Sal à putredine res præservat, *Sal dulce* vocant.]

XXXV. Alimoniæ frumentaceæ Artes.

351. Mechanicorum jam inspectandæ veniunt operæ: quibus illi Naturæ operibus novas pro lubitu introducendo formas, Vitæ humanæ commoditates variare, multiplicareque contendunt.

352. Coëgit autem mortales necessaria Ventris cura, ea primùm moliri, quæ Frumentis subigendis varièque ad cibum apparandis, excogitari poterant: arte *Ptisanariâ*, *Molitoriâ*, *Pistoriâ*.

353. Primis enim seculis non alia fuit frumenta in escam parandi ars, quàm fruges pistillis contundendo, accipere indè *Ptisanam*, Pulticulæ materiam. Mox didicerunt lignis aut lapidibus incavare Pilas, attollendoque & rursum demittendo (manibus aut pedibus) Pila, pinsitare *Alicam*: cui rei destinatæ officinæ *Pistrino* indiderant nomen.

354. Dehinc, accrescente Machinatorum industriâ, repertæ sunt *Molæ*, egregium frumenta in pulverem usque comminuendi machinamentum. Ubi *Meta* super *Catillum* velocissimè (Rotarum adjuvamine) circumagitata, frumenti grana (suâ sponte ex superimpendente Infundibulo in lapidum commissuras delabentia) conterit, *Farinam*que facit: quæ indè in saccum cilicinum defluens, excussorio quodam à retrimentis ita perpurgatur, ut *Pollen* ipse (Farinæ flos) in farinarium excernatur, *Furfur* autem peculiarem propellatur in cistam.

355. Hoc Molarum genus primùm fuit minutulum, manibus humanis solùm versatile: indè *Manuale*, & *Trusatile*, dictum. Mox fabricatæ sunt grandiores, vi jumentorum agitandæ, *Asinariæ* appellatæ. Tandem ipsorum Elementorum vi circumactiles inventæ sunt: tum *Alatæ*, vento agitandæ, undecunque veniat; tum *Aquariæ*, immissarum Rotis aquarum impetu versando. Undè ad aquas majores exstrui prægrandes consvevérunt, aliquot *Molerinis* simul junctis, ad toti alicui viciniæ serviendum, majorumque molitoribus faciendum quæstum.

356. Specta mihi & *Panificii artem!* Farinam denuò *Panifex* (*Pistorem* etiamnum vocant, à pristino frumenta pinsendi, seu tundendi, more) cribro cernit, aquâ affusâ diluit, spathâ ligneâ (alicubi manibus) subigit, fermento massæ toti indito fermentat, tum decerptas indè massulas (aut abrasas mactrâ) depsit, & Palæ impositas Furno ingerit, Panesque tandem coctos eximit. Notabis, *fermentato* esse crustas duas, cum porosa intus medulla: *Azymum* spissiorem esse ac tenaciorem.

XXXVI. Alimoniæ Carneæ Artes.

357. Non solo Pane vivere voluit Hominem Deus, Carnium quoque de animalibus (utpote substantia nobis propioris) indulsit usum. In quibus comparandis, *Piscatoria*, *Aucupatoria*, *Venatoria*, *Laniona*, *Coquinaria*que occupantur artes.

358. *Piscatori* varia sunt Piscibus obsidiandi stratagemata. Noctu enim circumferendo aquis faces, quoscunque adnatare lumini videt, *Fuscinâ* trajectat: interdiu verò eos mersis ad fundum *Nassis* aut *Sirpiculis*, escâ illectat, & sic incarcerat. Habet & diversa, quibus eos irretiat & extrahat, *Retia*: ut est, lentè demittenda, & mox ibidem loci extrahenda, *Funda*; aut per amnem raptanda *Sagena*; vel per lacum, *Tragula* & *Verriculum*: quæ postrema duo longiora sunt, eoque à duobus minimùm viris protrahenda, &c.

359. Capturæ partem, si emptores adsunt, divendit Piscator; si absunt, infert seclusoriis, seu Vivariis, (ut, dum quis poscit, ad manum sint) aut etiam durat muriâ, reconditque salsamentariis cadis. Vilissimum piscandi genus *Hamiotarum* est, infixam hamo pisciculis escam objicientium: quam captantes capti, prædaque fiant.

360. *Aucupis* venatio ita fit. Extruitur ad sylvæ campique confinia *Area*, viridi circumducta dumeto, superintectoque aucupatorio reti, cui esca offunditur. Auceps ipse latibulo se abdens avium illicum cantu transvolantes allectat, demittentesque se in aream reti attracto superobruit ac opprimit. Alias exponit super Arborem ramis amcisam calamos viscatos, quibus dum prætervolantes aviculæ, illicio simili decepta, insidunt, glutinatisque sibi mox alis provolare non valentes humum decidunt, mactantur. Tenduntur & occultæ illis decipulæ, laqueorumque transennæ, quibus se incautæ implicant & suspendunt. Aut immissis prædatricibus avibus violenter capiuntur & rapiuntur, lanianturque. Sæpè tamen Auceps dat captis vitæ usuram, incarcerans eas Caveis.

361, Sed

361. Sed *Venatorum* nomen primariò obtinuerunt, qui venandis Feris dant operam: sive eas in cæcas pelliciendo scrobes; sive canum ministerio è dumetorum latebris propellendo, & per camporum gyros persectando; sive indaginibus saltus cingendo, inque casses variis tentos belluas impingendo; inexplicabiliterque ibi perplexantes aut mactando (ubi Venabulorum usus eminet) aut captivando, & ad *Vivaria* (*Leporaria* etiam vocant) transferendo.

362. *Lanius* carnes facturus, coëmit Pecudes (non vesculas, non morbidas) sed altiles & saginatas, deductasque in Laniarium, & prostratas, jugulatas, deglupias, dissecat mundè exponitque venum. At Sues non curæ de spoliari, sed aquâ candente perfundi, aut subjectâ flammulâ aduri, radulâque glabrari, demumque in frusta discindi, & *Pernas* indè ac *Petasones*, *Succidias*que & *Offas* penitas fieri: Tandem è visceribus suillis minutatim concisis, & in fu... infultis, varium genus *Farcimina* confici, more receptum est.

363. In Tabernis ergò carneis communiter apud nos *Bovilla, Ovilla, Vitulina, Arietina, Hircina, Suilla* carnes prostant: rarioribus locis *Bubalina, Aprugna*, & quæ præterea *ferinarum* genera sunt, veneunt.

364. *Coquus*, gulæ magister, ex omnibus, quæ hominibus cibarui sunt, escas parandi artifex, varia, quæ agat, habet. Verbi causâ, Aves illi veniunt deplumandæ & exenterandæ: Pisces desquamandi, & exdorsuandi, aliquando etiam exossandi; indurati item tuditibus contundendi, muriatici aquâ macerandi, &c.

365. Vis reliqua ejus videre arma? Ad elixandum rem cibariam habet *Ollas*, *Cacabos*, *Catillos*que, & ad superimponendum illis *Opercula*. Ad condiendum elixata *Salem* (condimentum illud condimentorum) & *Aromata*: quibus comminuendis *Mortarium* servit, cum *pistillo*; conquassandis *Catinus* cum *tudicula*; terendis autem, *Radula*. Assarias dapes trajecto lardo ungit: tum eas asso igne coquit, *Verubus* versans ad flammam; vel sine flamma torret super prunas *Craticula*; aut in adipe butyróve frigit *Lebetibus*: è concisis minutatim carnibus *Turundas*, *Taxillos*, *Minutal*, conficiens.

366. Effervescentem ac bullientem liquorem coctum, ut ne ebulliat, ac effluat, truâ confutat: spumantem rudiculâ vel rudiculâ despumat. At si quid fervens vase eximendum est, fuscinulâ utitur; si percolandum jusculum, fiscellâ.

367. *Cimiso*, Coqui minister culinarius, ut ignem, quoties opus, producat, Ignitabulo se instruit, collisuque silicis & chalybis scintillam in fomicem mittit, adhibitoque sulfurato (aut fungo arido, aliâve ignis escâ,) foculum buccâ vel flabello excitat; prunas, ubi opus, batillo collectans. At *Focaria* Culinam verrit, quisquilias scopis evertit, coquinaria vasa eluit, colluviemque aut persusoria coquinæ foràs spargit, aut in suini pecoris delicias vasis recondit.

368. Variæ ciborum apparaturæ usum si quæris, plus inesse puto in virtuti nutritivæ jusulentis, quàm assis; & plus assis, quàm frixis. At verò osta, fumo durata, muriatica, aliena sunt à stomacho, & concoctionis difficilis: nisi intrimentis & protrimentis certis, condimentorumque adjutu, leniantur. Enimverò salsis & piperatis vesci, sitim est quærere, sanguinem accendere valetudinem affligere. *Multi enim cibi, multi morbi.*

XXXVII. Poculentorum Artes.

369. Ad naturam accomodatum est Aquæ potu uti, aut certè lacte, lactisve aquâ. Sed temporis progressu aquam condiendi potusque inebriantes parandi invenerunt artes. Cujusmodi est ex aqua & melle factitium.

Hydromeli; ex aqua & pomis, *Pomarium mustum*; ex aqua & frumento, *Zythum*; è fermentato, *Crematum vinum*; exhilarantissimus denique potus. *Vinum*, quod à suavissimo usu *sanguinem terræ*, *lac Veneris*, *hilaritatis*que *coagulum*, nuncupârunt: à teterrimo vero abusu *Venenum terræ*, *fomentum luxuriæ morborum incendium*, *omnium malorum irritamentum*, dici queat. Hujus tamen noxæ culpa cùm non illi tam eximio Dei dono, sed humanæ stultitiæ tribuenda sit, paraturæ tot potionum non ignoranda tibi est ratio.

370 Vineti cultor circumspicit locum Vineæ idoneum, aprico in colle (*Segetes* enim *existimantur meliores esse campestres*, *Vineæ collinæ*, *Sylvæ montanæ*, Varronis judicio) obseritque Vitigineis surculis, ut novellum habeat masculetum. Vineam verò calvatam, seu emaciatam, Vitium defectu rarescentem, reparat traducibus; Vitibus scilicet sub terram in longum mersis, quæ deorsum radices, sursumque novos palmites emittendo, densescere Vineam faciant. Aut denique curvatorum in arcûs formam palmitum cacumina terræ immergit, quæ ubi radicata fuerint, arcus supernè sciinditur, fiuntque vites ex una duæ.

371. Circumcidendæ verò sunt quotquotannis Vites, ut ne luxuriando nimis evalescant & elassescant: uno solùm relicto præsidiario palmite, qui novo firmioreque sarmento crescat. At verò quia Vitis lignum tenerius est quàm ut per se surgere, uvasque aëri & soli exponere queat, (quanquam non intermittat claviculis suis, tanquam manibus, quidquid nacta est, comprehendere, ad sese erigendum) ne serpendo humi putrescant, juvandæ sunt adminiculis seu statuminibus, quibus alligentur: sive Arboribus, sive Pedamentis aut Ridicis, sive Canteriolis, aut Jugis transversim positis. Quæ differentia *Vites maritatas*, *arbustivas*, *pedatas*, *cantariatas*, *jugatas*, appellari fecit.

372. Est & pastinari Vineam, bis térve anno, necesse, ne illam herbæ inutiles humorem exsugendo macrescere cogant. Pampinorum item luxuriantes coles & comas decacuminari, ne succus in folia, sed Uvas, eat. Tandem colligitur *Vindemia*, *mustulenta autumni deliciæ*: racemariis pampinis, & quæ sub illis latitant analectis, pauperum solatio (juxta legem) relictis.

373 Botrorum comparatio fit in *Torcularium*, ubi illi *vinarium* in *forum* conjecti deculcantur pedibus, aut ligneo contunduntur pilo, effunduntuque in *lacum vinarium*: undè per qualos *Mustum* defluit in Urceos mustarios. Quod uvoris superest, exurgetur acinis pressoriæ machinæ ope. Sed Vinum *protropum*, sponte defluens, suavius est *tortivo* illo: sicut & mustulentum defecatô dulcius; meraculum lymphatô fortius; album præ rubello calorificum magis.

374. Transfertur hinc in apothecas vinarias, *Cellaria*, cadis infusum, & doliis super basellas altiores levatis; non tantùm ut à humo cruditatis attrahat minus, sed & relinatur, promaturque, commodiùs. (Veniunt & casus ubi vinum deliquare, hoc est, de vase in vas defundere, necesse sit.) At vinum hornum turbidum est; annotinum redditur limpidum. Vinum ad dimidias decoctum, *Sapa*; fugiens, sublestumque, *Vappa*, è vinaceis aquâ maceratis factum, *Lora*, & *Acinatitium Vini*; ex aqua denique & aceto temperata potio, *Posca*, accepit nomen.

375. Bellissima Vina, *flos Liberi*, celebrantur in Europa: *Falernum*, *Creticum* (aliàs *Arvisium*) *Canariense*, *Alicanticum*, &c. Sed medicata Vina, *Absinthites*, *Helenites*, & varia id genus, domi nobis parantur: sicut & aromaticotum omnium delicatissimum, *Hippocras*, seu *Vinum murrinum*.

376. Zythi cocturæ inservit *Lupularius*, proventui florum de *Luposalictario* (quorum ad Cerevisiæ condituram usus

usus est) consulens; eoque fine hortos Lupum salictarium ferentes colens

377. Quum autem Cerevisiæ faciendæ tempus adest, frumenti grana *Polentarius* aquâ, dum turgescunt, macerat: dehinc ea in pavimento exsiccans, sæpiùs versat & reversat, donec disrupta germinascere incipiant. Tum enim ea de pavimento in *fumarium farrarium* transfert, lentoque subjecto igne sic torret ut dulciculam in *Bynen* convertantur: è qua polentariâ molâ fracta *Polentam* conficit.

378 Hinc *Cerevisiæ factor* Lupi flores eidem Polentæ permiscens, aheno *Frugem illam madidam* *Cerealem lympham, hordeaceum Vinum* excoquit: quæ in cellam frigidariam translata à fecibus eliquatur, bibiturque. Fit autem, ut quandoque acorem, aut mucorem, concipiat, *Acetum*que fiat, cujus & ipsius usus ad varia est.

379. Ipsas tandem Vini & Cerevisiæ feces flocesque (ut jam farra fermentata, fructusque imputrefactos, taceam) *Destillatores* in ardentis Vini formam sublimare didicerunt: quæ *Vina cremata, sublimata*que, appellamus.

XXXVIII. Res Vestiaria.

380. Amictu nobis ad nuditatem tegendam, tempestatumque injurias pellendas, fuit opus: sed ubi intra necessitatis limites mansum non est. Priscis namque Caput simplici velare *Cucullo*; corpus ab algore tutari villosâ *Braccâ*, pedes à scruposo itinere ligneis defendere *Sculponeis* aut è libris arborum crudoque corio confectis *Carbatinis* satis fuit. Hodiè quàm ab illo mutata omnia? Lautiusculâ enim veste, & cultu multiformi, variè sectili, & laciniato, picturato, pi- cturato plumatili, utuntur.

381. *Capitis ornamata Viris* sunt, alibi mollis, nunquam capiti demptilis, *Tiara*; alibi lanâ textile tegmen, quod *Pileum* vocant. Qui latior, ad solem & imbres arcendum, *Petasus* est; minùs latus, desidentibus domi accommodatus, *Galerus*; frigoris pellendi causâ sumendus *Pellitus Galerus*, seu *Pileus* suffultus. Fœminis solemne est, aut capillos in comas variè plicatos concinnare, *tæniis*que & *corollis* redimire; aut Caput obnubere *Vittis reticulatis*, aut velare *Calanticis*, *Ricis*, *Mitris*; aut denique faciem prætegere *Peplis*.

382. Corporis Vestes aliæ *indutui*, aliæ *amictui* serviunt. Quæ indui & exui solent, sunt intimè quidem linea *Interula*; & huic superinduenda lanea *Subucula*, mox pectori cingulotenus aptatus, laciniolisque subnexis ornatus, *Thorax*: aut hujus loco crurumtenus demissa, sique fuerit laxa & fluxa, cingulo succingenda, *Tunica*. Infra Zonam *Subligaria* sunt: aut follicantes scilicet *Braccæ* (tibialibus Fasciis substringendæ;) aut arctiora *Femoralia*, crura pariter includentia. Quæ amiciri solent, est manuleata *Toga*, & seorsum manicis *Pallium*: quæ duo fœminis usurpata, *Palla* & *Amiculi* accipiunt nomina.

383 Calceatui parantur vel lanei *Socci*; vel è pilis hircorum contexti *Udones*; vel molli subere fultæ *Crepidæ* (*Sandalia* jam quoque vocant;) vel *Calcei*, fulmento, obstragulo, ansisque & corrigiis, totum ad talos aptè constringentes pedem; vel *Ocreæ*, pedem cum cruribus communientes;) vel *Perones*, crurum inferiora solùm tegentes; vel denique utrivis pedi indui apti *Cothurni*, opulentorumque auro & gemmis ornati *Mullei*.

384 Constat autem Vestitus omnis è textura linea vel lanea, gossipina vel bombycina, pellicea vel coriacea; nec abesse usquam *Filorum* usus potest. Partium verò nexus in Vestitu fit ope aut *Ligularum* coriacearum quibus adstringimus & relaxamus nodos; aut *Fibularum* ferrearum, quibus infibulamus uncinulos; aut *Nodulorum* textilium, quos alteri oræ applicatos alterius oræ innectimus ocellis.

385 Lin-

385. Linteorum materiam dant *Cannabis* & *Linum:* quæ tuti sata, post maturitatem evulsa, calycibus destricta, scapis per lacunas macerata, rursumque tosta, & malleis stupariis contusa, frangibulis contrita, ferreo tandem pectine carminantur: decidentibus inter confringendum lignosis *Corticibus*, inter carminandum autem mollibus retrimentis *Floccu* & *Stupâ*.

386. Netricum indè labor est, Linum sic factum in certa dividere pensa, annectereque *Colo:* undè fila trahunt sinistrâ, torquent dextrâ; circumrotatis, sive manu emisso *Fuso*, sive manu agitato *Girgillo*. Hinc in *Alabrum* deducunt fila, ex Alabro in *Harpedonem*, è qua demum glomerantur *Glomi*, idoneæ jam *Telæ* materia.

387. E Glomis diductum *Stamen*, *Textor*, Officinæ suæ *Jugo* circumvolvit, assidensque insilia alternis deculcat; & diductis hoc modo *Liciis*, *Radium*, cui Pannus inest trajectat, eoque *Tramam Stamini* intexit; & adjacto fortiter pectine linteum densat, textivillitio passim defluente. (Observa Linteum firmissimum dici *Carbasum*; subtilissimum *Sindonem:* quam *Ventum textilem* veterum non nemo, *Nebulamque lineam*, vocavit.)

388. Detexti hoc modo lintei curam suscipit *Insolator*, illudque sole & aquâ, donec nivis instar candescat, fatigat. Undè postmodum *Sartrices* varia consuunt linteamina: quæ quoties usu sordidantur, toties à *Lotricibus* eluuntur denuó.

389. Nec dissimiles sunt *Lanarii artificis* operæ. Lanam siquidem & ipse primùm carminat, tum net, superque textoriam machinam Pannos contexit: qui ut in densitatem coëant magis, conjiciuntur à *Fullone Fullonicam* in *pilam*, ubi aquâ perfusi pilo tunduntur & constipantur. Exemptos indè extendit, inter *Jugamenta* ferreis uncinulis instructa; ut ad æqualem consistentiam reducti siccescant: traditque *Tonsori*, qui superfluâ illi villositate forcipe ademptâ, nitoreque concilia-to, in *Volumina* complicet.

390 Consimili arte *Sericarius* conficit *Pannos sericos*, seu *bombycinos:* quorum varia videbis genera, si Mercatoris tabernam ingressus in Pannos *holosericos*, & *subsericos*, & *Attalicos*, & *Damascenos*, & *Purpureos*, & *Scutulatos*, & *Undulatos*, & *Florulentos*, & *Xylinos*, & *Camelinos*, &c. inquisieris; itemque in *Telam* auro *textam*, sive *Pannum auro virgatum*.

391. *Sartor* indè, sumptâ ad corporis staturam Vestis proportione, scindit Pannos, acûsque digitalis ope Vestem consuit; *suturis*, ne notabiliter exstent, ferramento pressorio complanatis. Atque ne extremis laciniarum oris filamenta sparsim diffluant, circumsuit *Limbum*, vel præsuit *Lemniscos*; ornatûs verò causâ in *Fimbria*, vel alibi, adsuit *Institas*.

392 *Connodator* è filis (lineis, laneis, bombycinis) nexat, trini ferrei fili uncinati ope, *Manicas*, *Tibialia*, *Subuculas*, & similia. *Coactiliarius* verò è coacta baculis lana impilia facit, hisque formam *Pilei*, *Pallii*, indumentorumque aliorum, permadere nequeuntium, indit.

393. Qui animalium spolia lixivio emacerant, scalproque rasorio depilant, *Cerdonum* obtinuerunt vocamen. Quorum *Coriarius* duriora *Sutoribus* præparat coria; undè illi Subulæ, & picati setâque cuspidati fili, calopodiique ope, Calceamenta conficiunt. *Alutarius*, molliores crispatasque parat alutas, vestium superiorum materiam. *Pellarius* verò villosis è pedibus variæ adornat formæ *Pellicea*.

394. Qui *Veteramentarii Sutoris* artem exercet, is Calceamenta solùm lacera resarcit: qui Vestes obsoletas detritasque dissuit, rursumque reconcinnat, *Interpolator* est, seu *Mango:* at *Mendicabula* ex collectis hinc indè panniculis, & recisamentis *Centunculos* sibi, quibus semiamicti incedant, consarcinant.

XXXIX. Architectonicæ Artes.

395. Habitacula mortalibus à primordio fuerunt subterraneæ *Specus*; dehinc *Tabernacula frondea*; exindè ad majorem durabilitatem *Tuguriola* exstruebantur cæspititia; tum *Gurgustiola* craticia lutata. Progressu tandem ævi ad stabilitatem veram, magnificentiamque, ædificia excitare adorsi sunt *Fabri*: quorum operæ quia numerosas poscunt manus, & machinationes, lustremus eas.

396. *Materiaturam* primò si spectamus, apta Ædificiis ligna per hiemem cædenda sunt, Lunâque deficiente, ad cariem tineasque prohibendum. Ubi Arbores à lignatore securi succisæ humi sternuntur, decacuminantur, ramis orbantur; è reliquo demum trunco tigna trabesque elaborantur. Ramalium segmentis in strues compositis, sarmentis autem in usum foci reservatis.

397. *Tignarii* indè *fabri* tigna (super Cantherios uncis ferreis immotè affixa) amussi lineant, asciâque asciant, resilientibus ligni segminibus deorsum: aut etiam runcinâ di secant, ferragine circumcirca sparsâ. Demumq; è sic paratis tignis compaginant parietes, configentes trabalibus clavis tigna, muscô verò explentes intertignia.

398 Dehinc *Lutamentarius* paleato vel acerato luto parietes delutat: nonnunquam nudè formaceos è solo lutamento, citra materiaturam omnem, durabilissimo construens opere.

399. Verumenimverò cæmentitia in molitione aliter proceditur. Hic enim è *Lapicîdinis* (quæ cæmentorum sylvæ sunt) Lapides rutro eruit, aut etiam Vectibus effringit, *Lapidarius*: quos, ut structuræ benè quadrent, cœlo & tudite ad normam conquadrat *Lapicîda*. Verùm sicubi *saxorum* deest copia, lapides parantur, ex arena & limo coctiles, quos *Lateres* appellant.

400. *Faber cæmentarius*, posito è solidissimis saxis fundamento, superstructisque parietibus (tum primariis tum medianis, tum intergerinis) fornicat concameratque Conclavia. Et mox Crustarii faciens opus omnia illa incrustat, floreque gypsi aut marmoris dealbat. Tum pavimenta (seu novo rudere seu veteri) ruderat, fistucationibus solidat, tesserisve sectilibus supersternit.

401. Ædificandi peritus *Architecton* seu *Machinator*, structuris præest, easque secundùm à se præconceptum, aut etiam materialiter deformatum, *exemplar* (sive fuerit projecta in plano, ut in fundamentis ædificium erit *Ichnographia*; sive in fronte, ut in erectis parietibus spectabitur, *Orthographia*; sive plenissimè, ut per omnes dimensiones, intus & extra, sibi cohærebunt omnia, *Scenographia*, & *Proplasma*, seu *Modellus*) dirigit.

402. Fundata profundè *Domus*, materiataque benè, & trabeata vel murata firmè, sustentataque intus affabrè *Tibicinibus*, & *Columnis*, ad laquearis prohibendam ruinam; extrà verò *Pilarum* accessione fulta, ad parietum impediendam vacillationem, perstat sarta tecta diu. Vel si nutat, ruinamque minatur, novis adminiculatur suffulcris; aut si pessum sidit, collabiturque, instauratione reparatur novâ.

403. Enimverò ut *Domûs partes* concipias rectè, ita cogita. Dum in *Vestibulo* versaris, ad anticam, Ædium ante te habes *Frontispicium*: Januam ingredienti ad latus utrumque *Postes* erunt. Quorum alteri infixos videbis *Cardines*, quibus *Fores* pendent, & super quos versatæ clauduntur, aut recluduntur: alteri *Claustra*, sed illa non unius generis. Simplicissima enim occludendi ratio est *Tessulus*, indendus foramini Postis; aut affixus Fori obex, clavo uncinato Posti infixo obdendus: aut Clave clusilis & reclusilis *Sera*; sive latens intus, *Laconica*; sive pendens foris, & ne catena posti eximi queat, prohibens. 404. Op-

404. Oppessulatam si repereris Januam, pulsabis: per transennam vel clathros si prospectaverit ostiarius, aperiri rogabis. Pedem verò dum inferes, attolles, ut ne ad limen offendas; caput contrà demittes, ne superliminari illîdas: atque ut cardinibus tacitis fiat introitus, forem placidè aperies.

405. Ostio pertransito, ingredieris aut in *cavum ædium*, seu *Impluvium*, aut in ipsum mox *Atrium*, undè in cætera aditus datur seclusiora, perque Gradationes scalarum, aut annularias (si distega fuerit, tristegáve Domus) in tabulata superiora: *Pseudothyrum*, seu *posticula*, clancularia egressioni servit.

406. Dum nos locus, quem tegula tuetur, habet, pedibus usurpamus *Pavimentum*: seu illud fuerit fistucis pavitum, seu constratum tabulis, seu testaceum. Desuper autem nobis imminet conclavii cœlum, *Laquear*: quod itidem vel contabulatum est, seu coassatum; vel testudineatum, seu cameratum; vel Musaicum, seu emblemate vermiculatum.

407. Columini superpositum *Tectum* (quod trinæ communiter formæ est: *compluviatum*, in unum solùm latus devexum; *displuviatum*, seu *pectinatum*, in duo; & *testudineatum*, in quatuor) supertegitur alibi cespite viridi, alibi culmine stramineo, alibi scandulis ligneis, alibi tegulis figlinis. Quæ omnia supersterni necesse habent *Tigillis*, transversim positis. Tigilla verò affigi *Cantheriis* sursum erectis: quorum bini, in summo conjugati, crura ad oppositos Domûs parietes divaricant, Tectumque sustinent. Cantheriorum autem crura supercubant *Transtris*: Transtra iterum exstantibus Trabium capitibus, quæ *Proceres* & *Mutulos* vocant. *Mutulorum* verò projectura amplior ampliores facit *Suggrundationes*: utiles inprimis ad *Porticus* & *Peristylia*, deambulacris dicata; aut ad pensiles *Pergulas*, vel porrecta in longum *Podia*; vel denique ad angularia projecta, *Meniana*.

408. Quid licentiosum, non ad necessitatem, sed pompam struendi pruritum, memorem? Quàm insanæ substructiones editæ sint passim! etiam in subterraneis, *Hypogæa*; aut in aërem exporrecta tum super Domos elevata, *Tabulata hypæthra*; tum in sublime stupendùm fastigiatæ *Turres*; aut monstrosæ magnitudinis lapideæ quadraturæ, ad nubes nempè usque surgentes *Pyramides*; vel his minores, sed acutiùs ascendentes, & plerumque è saxo uno excisi, *Obelisci*, inque formam viri, sed ad altitudinem montis erecti, *Colossi*; & parietum viarumque perplexitate irremeabiles *Labyrinthi*; ambulatoriæ denique *Pegmatum* fabricationes.

XL. Supellectilium Domesticorum Artes: primùmque *Lateraminum* & *Vitreaminum*.

409. Pergamus spectare industriam, quâ sibi de vario illorum armorum apparatu, quibus vita familiaris destitui non potest, prospectum iverunt mortales: è materia tum *minerali*, tum *vegetabili*, tum *animali*, desumi solito.

410. *Figulina* artis est, ex benè subacto figulari luto, testacea defingere opera, excoquereque ad duritiem, & illis denuò argenti incoquere spumam, ut niteat. Quæ tamen fictilia (antiquis *frivola* dicta) reconcinnare, ferruminareque, nondum didicerunt.

411. *Vitrarii* opus est, ex resolutis (acerrimi vi ignis) cinere, arena, saleque massam fundere liquidam, mox amoto igne, gemmæ instar, durescentem: quam ille, dum liquet, ferrei tubi perflatu in varios format habitus. Undè *Fenestrarum* artifices fenestris illuminans domos; *Laternarum* verò structores, noctu per tenebras ambulantibus, vias, &c.

XLI.

XLI. Instrumenta Metallica parandi Artifices.

412. *Minerarum scrutator* vestigat metalla, repertisque Virgulæ divinæ indicio *Fossores* immittit: qui (bardocucullo caput, perizomateque coriaceo nates, intecti) in profunditatem se demittunt, venæque metallicæ (alius hac, alius aliâ, parte) impactis cuneis, frustatim decutiunt, sursumque in auras (funium trochlearumque multiplicato apparatu) mittunt.

413 Adest, *Discretoris* nomine, qui saxeas impuritates secernit; alius, *Lotor*, qui secreta elutriat; tum plures alii, qui elutriata fornacibus fusoriis injectant, ignibusque urgent, donec scoriis exsolutum Metallum profluit. Plerumque sanè adhuc Metallis primæ Classis, Auro & Argento, intermixtis: quæ iccircò hic *Aquâ forti* ab invicem separantur, demumque unumquodque seorsim per solum in tabellas certas, bacillósve, conflatur.

414 Atque hìc jam *Fabrorum* incipiunt operæ: quarum prima est Metallo ignem afflando *follibus*, emollitum illud malleabileque reddere. Tum exemptum indè *forcipe*, impositumque *Incudi*, malleis tundere, dissultantibus quaquaversum stricturis: eâque tusione & cusione, laminationeque & cuspidatione, inque formas varias modificatione, simulque ubi opus ferruminatione, armamenta usûs varii conficere.

415. Partiuntur enim inter se operas ita, ut *Fabri ferrarii* confabricent ferramenta rudiora, cujuscunque generis; similiter *Claustrarii* seras & claves; *Serrarii* serras; *Falcarii* falces; *Cultrarii* cultros (cultrorum manubia variè, etiam Concharum reduviis, ornantes;) *Acicularii* acus; *Malleatores* chalybeos thoraces; *Gladiarii* denique gladios, Polionum auxilio, qui in Gladiis poliendis, capulis instruendis, vaginisque supervestiendis, operam ponunt.

416. *Æris faber* circa Cuprum occupatus, omne genus Æramenta parat, illisque ornatus gratiâ ligneis (nominatim tiligneis) marculis certa incudit signa. At ex *Orichalco* (tundi renuente, fundi non recusante) *Flator æris*, fusilia varium genus opera, Columnas, Statuas, Æramenta sonora, Machinasque fulmineas bellicas, &c. fundit: sicut & *Stannarius* stannea vascula fursurâ figurat, rotationeque quadam ad nitorem perpolit.

417. *Laminarum operator* è lamiulis format lampades, seu lychnos nasutos; *Bractearius* è bracteolis crepitacula; *Faber auri* aurea & argentea vasa facit, vel aliundè facta deaurat ac deargentuat. Cujus metalli ramenta quia disperdi damnosum est, in mensæ alligatum præcinctorium colligit, in intertrimenti compensationem.

418 *Monetæ cusor* Argentaria in officina Nummos publicâ formâ signat, juxta ponderis valorisque rationem. At qui ærosam cudit monetam, probámve corrumpit, *Adulterator monetæ* audit. Sed qui Auri nativi loco arte laboratum conficere, quâ datur, quâ non datur, contendit, *Alchymista* est.

XLII. Instrumentorum lineorum, ligneorum, coriaceorumque Artifices.

419. *Restiarius* funiculis, funibus, restibusque contorquendis vacat: è materia nempè cannabina, stupea, spartea, delibratarumque arborum tenerioribus corticibus. *Viminum artifex* è vimine parat vimineam seu virgeam supellectilem, *Corbes*, *Crates*, *Sirpicula*, similiaque; subtilissimè jam prorsus, ex decorticatis, exalburnatis, varièque coloratis, vimentis. At *Cribrarius* non *Cribra* tantùm, sed & ex intortis ad rotunditatem, vel ovalitatem, tabellis sectilibus, *Ligneas capsas* format.

420. *Doliaria Vasa* conficit Doliarius, seu *Vietor*. Quæ sive sint fundo uno, qualiter

qualiter in *Labris balneariis*, & *Lacubus vinéariis*, videre est; sive fundo bino, ut in *Doliis vinariis*, foramen pro liquoris immissione suprà, & pro emissione infrà, (cum obturamento ibi, siphone aut epistomio hic) habentibus: latera tamen constant secamentis, Circulorum vimineorum vi constrictis & circumvictis.

421. *Tornatilia Opera* torno parat *Tornator*: tabulata verò opera *Scriniarius* non uno instrumenti genere. Edolandi quippe illi sunt asseres runcinâ, tum deplanandi planulâ, mox adunandi impactis subscudibus; & si quid per margines inæquale exstat, circumscalpendum scalpro; & ubicunque interveniunt asserum juncturæ, concorporandæ glutino; demumque ad nitorem oblinenda vernice omnia.

422. *Coriacea* quomodo parantur *utensilia*, apud *Frenarium*, *Ephippiarium*, *Marsupiarium*, Ligularumque confectores, videbis.

423. Saponem è sebo, cinere, calce, sale parat *Saponarius*: sed & candelas sebat idem. Alii sunt *Cerarii*, qui cereos seu fundunt, seu longissimorum funiculorum instar trahunt, inque globum portatilem complicant, aut lychnucho ferreo circumplicant.

424. Crinibus pectendis adornat *Pectinarius Pectines*, tum ligneos, tum corneos, tum eburneos, radiis hinc raris, densis indè, distinctos: Comis autem comendis idem ille setaceos parat pectines. At Vestibus purgandis *Setacea*, aliusque materiæ *Verricula*, *Scopularius* format: potissimùm autem è setis aptè invicem sibi concinnatis & conglutinatis, ligneo firmiter agglutinatis scapo.

XLIII. Itinerum Artes: Pedestris primò.

425. Sellularios lustravimus: transeamus ad eos, qui huc illuc se transferendo, suis vel alienis serviunt commodis. Cochleæ vitam agere, claudique Sutoris more domi desidere, non omnium est: mutandus interdum venit locus. Si sibimet sic per otium inambulando, *Ambulatiuncula* est: si res ruri delectationis causâ visendo, *Peragratio*: si regiones moresque cognoscendi desideriô, *Peregrinatio*: si lares mutandi gratiâ, *Demigratio* erit. Quia verò ubique negotii alicujus intervenit ratio, ubique nobiscum aliquid aut ferimus manu, aut portamus humeris, aut vectamus vehiculis, aut ductamus comitatu.

426. Si quò nobismet ipsis venire non est libitum, aut licitum, alios missitare fert usus: si ad nuntiandum solùm quidpiam, *Internuncios*: si ad nunciatrices deferendum epistolas, *Tabelliones*; si ad expediunda negotia, *Curatores*, & *Agentes*.

427. Penetramus autem, quò volupe est, vel Terrâ vel Aquâ. (Aëra pervolitandi artem nondum habemus, tametsi fabulosa Dædali volatura irritum imitandi conatum persuasisset nostro etiam ævo quibusdam.) Nam per terram *Vadere* pedibus, aut *Gestari* lecticis, aut *Vehi* jumentis vehiculisve: per aquam autem *Vadare* pedibus, aut *Natare* manibus pedibusque, aut *Navigare* navigiis, integrum est, cuicui libet.

428. *Viator pedester* si ocreator fuerit, aut peronatus, è re erit, viâ lutosâ; lacernatus autem, seu penulatus, pluviosâ. Dumque non omnia sua gestare potest *Sinu*, sub thorace, aut in tunicæ gremio, aut in femoralis *Funda*: circumcingit sibi *Sacciperium*; vel humeris imponat *Sarcinam*: & in manum capiat, ad sese suffulciendum, *Baculum*; vel certè saltem pro decoro, *Scipionem*.

429. Iter ingressum rectà, quò tenditur, tendere, ad diverticula nulla diverti, viam publicam nullius privati callis causâ dimittere (ni hic valdè notus, itinerísve dux aut comes valdè peritus fuerit) expedit; ut ab aviis tutus sit.

430. Bivia & trivia quia semper, ni caves,

caves fallunt, (à viarum compitis nihil adeò periculi est,) quosvis obviam factos, quà tenendum sit iter, sciscitare, volupe sit.

431. Offendiculà & remoras devitanda sibi, quam possibile, putabit. Ne scilicet montes aut clivos ascendendo, ad vallésve & fossas descendendo, tum vires fatiget sine usu, tum se retardet in via.

432. Longè latèque peregrinaturus id operam dabit, ut se vel *commeatu*, sumptuque itinerario, vel *cambii* literis instruat. (Egregia hæc inventio, quò facilius cantet vacuus coram latrone viator, pro nummis secum æquivalentem gestare chartulam!) Sed &, quando per gentem ignoti labii pergendum est, *Interprete* fido; justoque *Hodœporico*; sed super omnia *Circumspicientia*, ut ubiubi fueris, quicum sis, ab egressu ad regressum usque attendas.

433. Per intuta siquidem passim inceditur; *Prædonibus* viantes spoliantibus, *Piratis* in servitutem abducentibus, *Latronibus* trucidantibus, Diversitoribus ipsis (ubi hospitii lege tuta salvaque esse debebant omnia) insidiantibus, ut non hospes ab hospite tutus sit.

XLIV. Equitandi & aurigandi Scientia.

434. Ad consulendum pedibus in faciendis itineribus magnis; & viribus, in advehendis & avehendis oneribus, adhibuerunt antiqui, *Jumenta*, excogitâruntque *Vehicula*: quorum rationem vide.

435. Equitationi se accingentis prima cura est, ut Equus benè calceatus sit. Dehinc ut illi *Sella equestris* insternatur commodè: ne scilicet equitem devolvi permittat, minùs rectè succincta. Tum si quid onusculi portandum est, cautè ut curetur: *Bulgam* puta præligando Ephippio, *Vidulum* alligando à tergo, *Bisaccium* accommodando utrinq; rectà pendulū. Tandem frenis ut constringatur debitè. *Antilenas*, *Postilenas*, *Dorsualia*, *Phalerasque* cæteras, non necessitas, sed ornatûs studium, invexit.

436 Hinc Equus producitur, Equesque sinistro pede inserto stapedi, dextro se à terra tollit & equo insilit, avolaturusque ocyùs calcar illi addit, & habenas laxat: his eum ad libidinem versaturus, ad necessitatem autem repressurus. At equitandi non eadem semper commoditas. *Gradario* equitem placidè gestante, *Tolutario* suaviter ut in cunis agitante, *Succussatore* molestè conquassante, *Cespitatore* illi ruinam perpetuùm minitante.

437. Eò res processit tandem, ut inventa sint *Vehicula*; machinulæ scilicet, quibus imposita onera trahantur jumentorum ope faciliùs. Horum simplicissimum *Traha* est, per lutum aut nivem negotio levi raptanda. Per siccum verò trahendis suppinguntur Rotæ, super quas machina volvatur promptiùs. Quibus variè formatis utut omnibus à currendo *Curriculi* vocamen inditum sit: particulatim tamen unirotæ machinulæ, *Paboni*; birotæ, *Carro*; quadrirotæ, *Currui*, attributum est nomen.

438. Curruum iterum species sunt: *Plaustrum*, quô amplissima transportantur onera; *Sarracum*, quô rudiora, saxa, stipites, & similia; *Rheda*, quô homines; *Essedum*, Rheda levior; *Cisium*, Essedum discissum, birotum; *Arcera*, currus coassatione opertus; *Carpentum*, Rheda pensilis; *Pilentum*, opertorio tectum delicato Carpentum.

439. Currum porrò si cum corpore animato (exempli causâ Jumenti) conferas, partium ejus usum agnosces meliùs. *Temo* enim quid nisi collo protensum caput, quod, quoquò præit, corpus sequitur, designat? Et *Jugamenta*, *axes*que, quid nisi corporis hujus sceleton? *Rota* autem quid nisi corpus hoc & sustentantes & portantes pedes sunt? Animalia denique Currui præjungenda; quid nisi Animales in corpore

corpore spiritus, sine quibus corporis motus nullus?

440. *Aurigarum actiones* mihi specta, satis operosas. Dum enim se ad aurigationem comparant, reficiunt equos pabulo (quod ipsum variis constat partibus:) tum saturatis, & strigili perpurgatis, induunt *Oreas*; siqueest, ut illotum quis mordax sit, ora constringunt postomide.

441. Mox productos jungunt ad Currum: parippum juxta sellarium ad temonem ipsum, cujus extremitati de Helcio pendentia Currûs retinacula annectunt. Præjungunt his antecessores, loro antè se agendos, binos, quaternos, plures. Nam Magnates sejugibus, Reges etiam octojugibus, eoq; pluribus etiam rhedariis, utuntur.

442. Ad promovendam etiam cursuræ levitatem ungere subindè axes habent destinatâ eò axungiâ: interque aurigandum respectare, necubi exorbitare contingat. Contingit verò etiam luto hærere identidem: ubi ne hæreant semper, aut diu, suas intendere, Jumentorúmve plurium jungere, necesse habent vires: sicut & in montium ascensu. In descensu contrarium fit, præcipiti præsertim: ubi ne Currus ruat, & Jumenta obruat, aut vectores, resque vectas, evertat, Rotas sufflaminari (vel etiam abjungi Equos, præter duos) necesse est.

443. Per loca prærupta, transitum Vehiculis negantia, *sarcinaria* adhibentur (seu *dossuaria* i.e. *vectaria*) Jumenta: Muli præsertim, & tardiores equitando inepti Caballi. Quibus clitellæ, clitellis verò sarcinæ, imponuntur, & hac ratione montium vehiculis impervia juga penetrantur.

444. At tu, ubi festinatò opus est, talaria indue; aut conscende Pegasum, ut cursu ventos prævertas.

XLV. Natandi & Navigandi solertia.

445. Iter agentibus identidem se objiciunt Fluminum, Lacuum, Mariumque obstacula, supervadenda omninò, si quis *plus ultrà* velit: seu Ponte super flumen facto (saxeo vel roboreo) seu modis aliis, ad quos recensendum venio.

446. Primus & simplicissimus, primùmque usurpatus, fuit, *Tranare flumen*: cujus artis rudimentum est, supposità *scirpea rate*, *arborúmve corticà* (nunc etiam taurinis vento inflatis Vesicis) innatare aquis. Profectus, *natare sine cortice*, pedum manuúmque jactatu. Perfectio, *calcare aquam*, corpore pectoribus tenus merso, manibus autem adeò liberis, ut his supra caput vestes siccas gestando mox superato flumine indui liceat. Sunt & qui *urinari*, hoc est, sub aquis natare, sciunt. Flumen igitur Viatori pedestri si vadosum est, transitur; si profundius, transnatur.

447. Sed majoris securitatis, commoditatis, transferendorumque simul onerum causâ alia visa sunt quærenda præsidia. Primùmque primùm compactis obiter, solubilibusque rursum, tignis, struere *Rates*: dehinc ex unius grandioris Arboris trunco cavare *Lintres*: demum è multis benè compactilibus lignis ad indissolubilem firmitudinem fabricare *Naves*: quæ inter proram & puppim, tegamque & carinam, quantâvis capacitate donatæ, mirè variis serviant usibus.

448 Retinentur & minores, minores ob usus, naviculæ: ut piscationi servientes, *Cymba, Lembus, Oria* (quarum differentias specificas nôrunt, qui utuntur;) & fluminum transmissioni, seu trajectioni, *Ponto*, seu *Pontonium*. Majorem autem, quæ dicuntur *Oneraria, Geraria, Gestoria*, onera vehunt: quæ *Vectoria*, homines. Sed harum cubiculatas dixerunt Phaselos; destinatas celeritati *Celoces*, & Liburnicas.

449 Navigia propellendi modum nesciebant antiqui alium, quàm *Remulco* circa ripas; aut *Contis*, in brevibus; aut denique *Remis*, in profun-

profundioribus. Undè & in Maria quoque ausi provehi, construebant machinosas Naves, *biremes*, *triremes*, *quadriremes*, &c. ad *Decemremes* usque: quas per transtra considentes, perque interscalmia remigantes protrudebant, *Remiges*: idque duobus sub Gubernatoribus, quorum alter ad proram, ad puppim alter, clavum regebant.

450. Ventos tandem jugari posse adverterunt, captivandique hos & Navi adjugandi, invenerunt modum, alata *Vela*, explicandisve his in altum *Malos*, in latum *Antennas* ope *Versoriarum*. Notandis iterum Ventorum circuitibus *Tritones*. Supremò, plagarum Mundi monstratrix, reperta est *Pyxis nautica*: cujus ductu (res mira!) per noctem etiam (ubi antè nihil præter cœli *Cynosuram*, accensosque ad portus *Pharos*, quod observarent, habuerunt) quoquò libet navigare, Oceanumque ipsum Dædaleis hisce adjuti alis enavigare, possunt.

451. Pulchrum ergò inventum *Navigatio*: utpote iter sine vestigiis, cursus sine pedibus; volatus sine pennis. Pulchrum & *Navis* ipsa: quippe Pons innatans, insulas omnes omnibus jungens, Domus volatica, Avis lignea pervolitans omnia, secundis adspirantibus Ventis; adversis autem nihilominùs cursu obliquato obnitens; malaciâ demum, alis veluti truncata, consistens.

452. Est tamen simul hic *per mare Cursus audaciæ via*, *vitaque prodigalitas* quædam, crebra ob vitæ discrimina. Subindè enim oritur procella quæ fluctibus excitatis decumanis, montium instar, miserè miseros jactat, ad brevia vel scopulos allidit, allisos mergit, miserabilique naufragantium ejulatu profundo haurit: nisi summè caveant, vela maturè demittant, aut recidant, rerúmve jacturâ factâ vitam redimant.

453. Sed & aliàs, prosperâ navigatione, semper illis à brevibus & scopulis metuendum & cavendum: eoq; salî profunditas, ejectâ identidem bolide, exploranda, *Scyllaque* & *Charibdes* prænavigandæ cautè.

454. Prudentiæ nauticæ pars est, si quando merces allatum eunt, nullas eo devehendas habentes, Navem non relinqui vacuam (jactaretur enim levioris assulæ instar) sed saburrari: at non prænimis, ne præter modum pressa sidat. Quia item Navis pondere suo aquas premens, per quascunque tandem rimas & fissuras nauteam transmittit, quæ in sentinam se colligens Navi (vetustiæ præsertim & fatiscenti) periculum creat, subindè sentina instrumento Antliæ haurienda, Navisq; periculo suo liberanda venit.

455. Prospectant tandem, navigatione peractâ feliciter, Portum, lætique ingrediuntur, appellunt, salutant. Ubi gratiis Deo actis, nauloque Naucleris exsoluto, ad suos festinat quisque, excipiendus eum gaudio sospes à sospitibus.

456. Navi autem quid fit? Si locus est portuosus, in portu relinquitur ipso: si importuosus, foris, in navium Statione, anchoris nixa. Ruinosa verò, rimosa, fissa, subducitur in *Navale*, reconcinanda à *Naupegis*.

XLVI. Tractoriæ machinationes.

457. Non nos tantummet ipsos, sed & alia, aliò transportandi necessitas, molisque rerum multarum ad vires corporis nostri excessus, coëgit artificiosis à machinamentis quærere auxilia; quorum quædam tangere quid vetat?

458. Quantum onus ferre duo bajuli valent *Palangis*, humero impositis, tantum valet promovere unus onere eodem imposito *Pahoni*: sed longè plus provolvere antè se protrudendo, onere imposito *Phalangis* & *Cylindris*, vecte promovendis.

459. Quum Vectarius sattollendæ rei vectem subcuneans, vecti incumbit; aut *Succulam* moli supplingens eam

eam versat; aut funes ductarios *Trochleæ* orbiculis interplicatos protrahit; aut *Ergatam* obambulans vectibus circumversat; aut inambulans tympano *Geranium* rotat, mira præstantur.

460. Ut res violentissimè comprimantur, repertum est *Pressoriorum* genus non unum, una licet omnium sit ratio. Nempè quòd *Cochlea* spiratim striata, Cavo similiter striato immissa, & vi *torqularis* alicujus circumacta, torquet validè rem inter duo *prela* constrictam. *Fissionis* contraria est ratio, ubi *Cuneus* in alicujus rei medium impactus, tuditeque aliquo violenter adactus, rem dissilire cogit.

461. Ad sublicas profundè in terram agendum inventæ sunt *Fistucæ*: tum ansatæ, ad eas manibus aliquot hominum sursus tollendum ac demittendum; tum hamatæ, fune trochlearum in sublime tollendæ, mox dimittendæ, ad vehementiùs feriendum.

462. Genium quoque habent *Hydraulicæ machinæ*, aquam quocunque & quoscunque in usus ascendere, cogentes. Inter quas lepidissima est *Archimedea cochlea*, aquæ suum ascendendi effugium & refluvium tam sciitè relinquens, ut illa verè descendendo, verè ascendat ad summum usque. *Aquagia* sunt molæ alatæ, campos aquis inundatos exsiccantes.

463. Artis quoque plena res sunt *Horologia*, temporis pressè dimetiendi instrumentum argutum. Quorum prima fuerunt *Sciotherica*, ubi depictas ad parietem Domûs horarum lineas transiens Gnomonis umbra, horæ numerum ostendit. Ad hæc quia nisi interdiu, Soleque claro, nullum habent usum, tentârunt alia, per Aquam & Arenam. Ibi Aqua è vase in vas, angustissimo foramine guttatim pertranstillans, temporis fluxum dimetitur: hic artificio simili, sed durabiliori, Arena scrupulatim se transmittens, insensilem ejusdem tractum sensibilem reddit. Vocâruntque vascula ejusmodi benè jugata, ibi *Clepsydras*, hic *Clepsammia*.

464. Magis quod mireris, erit, mirabile *Automati* (quod ignoravit antiquitas) inventum. Ubi rotæ rotis hac arte concorporentur, ut motâ unâ moveantur cæteræ; certis tamen repagulis, ac directoriis ita normatæ, ut nisi ad numerum, mensuram, ponduque, procedat nihil: eâque ratione non horarum tantùm, sed & fortè dierum ac mensium, Planetariique cursus, cum Noviluniorum & Pleniluniorum, Eclipsiumque, quæ Luminaribus accidunt, replicationes, repræsententur.

465. Neque hic finis: quærunt *Automaton verè automaton*, quod humanâ intendi manu nihil opus habens, arte quadam intus dispositâ ita motricem suam reparet vim, ut per semetipsum procedat indesinenter, perpetuum Cœli (quamdiu materiæ permitteret fragilitas) imitamentum, vivaque imago *Perennem* vocant *Motum*: quem humano ingenio produci an possibile sit, in magna quæstione versatur. Acutissima certè Orbis ingenia frustrà hucusque in eo quæritando desudârunt.

XLVII. Voluptuosæ Artes.

466. Valedicere Artificibus, antè lustrata quæ Munditiei & Sensuum oblectamentis excogitârunt, ne allubescat.

467. Munditiæ studiosi quidam limpidâ se abluunt identidem, & in laude est: alii splendere insuper cupientes offuciis ornant faciem, & hoc spurcitiei est. Balineæ singulariter eò destinantur, ut sit, ubi squalores deluamus, Labris insidentes: & sudores eliciamus, Vaporarium ingressi; & strigmenta defricemus, pumice, smegmate, cilicio, corpus denique tergamus, linteis: & è Caldario transgressi in Frigidarium, aut viceversa, corpus jucundè habeamus.

468. *Balneatorum* quoque est scarificare interdum, cucurbitis ventosis flammæ auxiliatu cuti affixis. *Barbitonsorum*

tonsorum verò (quos hâc parte isti æmulos habent) capita barbasque concinnare est: idque displicatum capillitium jam forpice attondendo, jam novaculâ detondendo, jam volsellis evellendo, jam capronam à fronte pendulam comendo, jam cincinnos calamistris ustulando & crispando; Calvitie denique laborantibus adulterinam comam (oculorum imposturâ) veri capillamenti loco adaptando.

469. Veniamus ad Sensuum oblectamenta. Tactilibus nos leniter affici faciunt, inter decumbendum *Lectuli* strati, *Storeæ* undecunque textæ, inprimis autem *Pulvinaria* plumea, delicatorum volutabra, quibus incumbimus: eò mundiùs, si lodicibus mundis fuerint instrata. Rursumque *Stragula* & *Tegetes* mollibus infultæ, quibus nos supertegimus. *Conopea* denique, seu lectorum peripetasmata, quibus, ne nos quiescentes vel musca turbet, providetur.

470. *Sessitationis* commoditati inventæ sunt *Sellæ* varii generis, cum *fulcris* ad terga reclinandum, *scabellis*q; ad pedes commodè ponendum, fartis item tomento, pennis, plumis (anserinâ illâ lanâ) *Culcitris*. Et ut olim erat, *discubitorii* ad mensam *lectuli*, cum *subalaribus pulvillis*. Pro gestatione denique delicata *Lectica*, alteriúsve formæ gestatoriæ sellæ, quibus voluptuarii (aut sanè morbidi etiam) mollissimè circumgestantur.

471. *Gustatui blandiuntur Cupediæ*, quibus excogitandis gulæ artifices, *Cupedinarii*, nullum faciunt finem. Ad quam classem omne *Placentarum* genus spectat: ut sunt, mellita *Liba*; & *piperata Liba*, *Dulciarii* opus; & frixa in oleo (vel butyro) *Lagana* ac *Teganitæ*; & lacte, vino, herbisque scitè parata *Moreta*; & veru assatæ *Obeliæ*; & tortæ in butyro *Scriblita*; tostæque inter duo ferramenta lata *Crustula*; & *Saccharites panis*: & quis omnia scitamenta, lasæque voluptatis ultra necessitatem accessentia irritamenta, enumeret?

472. Sed neque *Nares* voluptate suâ destitui volunt: Idcircò *Unguentarii*, in parandis Odoramentis, Smegmatis, Suffumigiisque & Unguentis variis, quibus voluptuarii perfusi ac stillantes odorem diffundant, nihil non diligentiæ adhibent.

473. *Aurium mulcedo* à varia suavi Vocis modulatione venit: sive modulamen hoc *assa Vocis* fuerit, sive *organorum Musicorum*. Musica verò organa hanc summam recipiunt partitionem, quod alia *Pulsatilia* sint, alia *Plectilia*, alia *Inflatilia*.

474. *Pulsantur*, percussique sonitum edunt, *Tympana*, *Campanæ*, *Cymbala*, *Tintinnabula*, Crepitaculaque varia, cum *Crotalo* ligneo. Neenon *Crembalum* intra furculam ferream ita habens constitutam lingulam, ut dentibus insertum, gutturis adhalatu, digitique unius allisu, strepitum lenem quidem, non insuavem tamen, edat.

475. *Plectuntur* autem organa, quæ levi attactu sonum edunt: puta, quæ fidibus ac chordis constant; intensis seu contentis acutùm, laxis graviter, sonantibus. Plectuntur autem chordæ aut *Digitis*, aut peculiari *Plectro Digitis*, vel utriusque manûs, ut in *Naulio* (Sambuca) fit; vel alterius, alterâ chordas moderante, ut in *Cithara*, & *Testudine* videre potes. *Plectro* verò, aut setaceo, quali in *Fidibus* utuntur: aut ligneo rotabili, quali in *Lyra* usus est; aut prosiliente ad chordam plectendum pinnulâ, qualem in *Psalterio* illo jacente, multis æneis fidibus instructo, cui specialiter *Instrumenti* nomen tribuunt, conspicere datur.

476. *Inflantur* verò quædam ore, alia follibus. Ore, *Fistula*, *Tibia*, *Tuba*, *Lituus*, *Buccina*, *Gingrina*, *Utricularis*que *tibia*: quas Fistulatores, Tibicines, Tubicines, Liticines, Buccinatores, Gingritores, Utriculariique, inflant. Follibus autem, *Pneumatica* organa illa, quæ integrum tibiarum systema constituunt, ab Organariοque pulsata, plenum concentum edunt.

477. *Oculorum oblectamenta* potissimùm à rerum visibilium, seu ad vivum repræsentatione, seu à multiplici transformatione, veniunt. Uti sunt, *Pictura*, rerum in plano projectarum: & *Fictura*, rerum è materia molliore figuratarum: & *Sculptura*, cum *Calatura*, rerum è materia duriore (lapide vel ligno) formatarum: & *Fusura*, rerum è metallis ductarum. *Specularia* denique, rerum apparentiæ transformatrix: cum Pyrobolorum arte.

478. *Pictores* imaginem cujusque rei visæ, aut à se conceptæ, delineant primùm carbone, aut graphio secundùm majora; tum subtilius penicillo perpingunt, illum namque ad vivum pigmentis. Simia enim Dei, Pictor æmulatur, quicquid videt: præter vitam & motum, quæ rebus à se effictis indere nescit. Dat ergò, quod potest, similitudinem. *Pictura* igitur est rerum præsentia falsa, oculorum deceptio vera, nisi errorem emendet ratio: ubi emendaverit autem, inter artium excellentiores meritò locatur. Pictorum imitatores *Crepundiorum illustratores* sunt; & Vitrorum inustores, *Encaustæ*; & Vestibus intexentes acu figuras quascunque (sive filis versicoloribus, sive gemmis & unionibus, sive plumis avium) *Acupictores*, quos & *Phrygiones*, *Plumarios*que, vocant. Præcipuè verò Chalcographi, subtilissima quæque æri incidentes, nitidissimèque papyro, linteo, aliisque materiis mollibus, imprimentes.

479. *Fictor*, seu *Plastes* confecto certæ formaturæ modulo, ceram illi, aut gypsum, metallúmve infundit, facillimas hoc modo defingens imagines fusiles. Sed *Sculptor*, liberâ manu Statuas è ligno aut lapide exsculpens, arte haud minor videri vult: Sicuti & *Calator*, vasis jam paratis figuras insculpens: opere seu incavato, per abscendentiam, seu sculpturato, per eminentiam. Priori modo in cælandis *Sigillis* proceditur: posteriorem in Sigillo ceræ impresso vides.

480. *Specularii* egregiè nos oblectant. Primùm *Speculis*, quibus nosmetmet ipsi facies contemplemur. Dein *Conspicillis*, seu *Ocularis specillis*, quibus omnia extra nos prospectemus acriùs. Tum *Telescopiis*, seu *Tubis opticis*, quibus longè dissita, tanquam oculis proximè admota, prospectemus. Et *Microscopiis*, quibus pulvisculos ut montes obtueamur. *Prismatis* denique, quæ nobis rerum colores milleformiter transfigurando, suaves faciant delicias. *Urentia* nunc tacebo *Specula*.

481. *Optimum* autem (ut id addam) *Speculum* est, quod rerum objectarum species eâdem reddit qualitate & quantitate. Quod facit, quando exactè perpolitum est, exactèque planum, nihil habens convexitatis, nihilque concavitatis. Illud alioqui necessario rem, quàm est, minorem; hoc, situ inversam, ostendet. De *Pyrobolorum* arte, ignitis videlicet missilibus ludicris, lusoriisque fulminibus, nihil inpræsentiarum lubet.

XLVIII. Ad Humanitatem cultura, cum eò spectantibus.

482. Confecimus Artificialium cursum, quibus animi extra se, circa res deliciabantur. Vela tamen ne colligamus, sed sinuemus eò, ubi delicias Animorũ veras contemplari detur, in seipsis. *Natura* enim *humana* ager est, zizaniis luxurians, nisi culturâ domitus seminibus conseratur bonis: (*Neglectis urenda filix innascitur agris*) Non negligendi ergò, sed expoliendi sumus, *Mente*, *Animô*, *Linguâ*; ad efflorescendum *Sapientiâ*, *Virtute*, *Facundiâ*.

483. O quantum est enitere his! Habere inquam intra se *Sapientiam*, Mentis lumen, animæ interiora collustrantem! imò ipsum repræsentatium Mundum, speculum imaginum plenum, Solem super horizontem elevatum, oculum vias ante se suas videntem! Et posse beneficio Sermonis idem lumen accendere aliorum mentibus,

tibus, in alienisque speculis eundem repræsentare rerum Orbem, & super alienum horizontem elevare eundem fulgoris Solem, aperirique alienos ad videndum suas quoque vias oculos! Per *Virtutem* denique potentem esse actionum suarum passionumque. Cui bonorum generi comparabis ista? Angelicam prorsus hæc attingunt excellentiam, fulgore æstimata suo.

484. In hujus splendoris partem si venire vis, *tu mea Juventus*, adesdum! hic ut in proprio versabimur Elemento: hic nostræ commissum custodiæ hortum Eden, Paradisum animæ, colemus! Modò tibi propositum sit serium, assequi ista illa verè, non ad fucum & speciem. *Scientiæ* nimirum, *Virtutis*, *Eloquentiæ*que, rem, non umbram; medullam non superficiem.

485. Culturæ verò hujus præsidia cùm sint *LIBRI*, muti magistri; & *SCHOLÆ*, Humanitatis officinæ; & *CONVERSATIO erudita*, viva ingeniorum exacuatio; cum susceptis hujus gratiâ PEREGRINATIONIBUS: eja de singulis istis disserentem me, quomodo hæc, ista, illa, fiant, audire ne pigeat. Gustare te omnia volo, non primis labris, sed penitùs, quæ *Ingeniorum Culturam* expediunt.

XLIX. Literæ ac Libri, cum auxiliariis Artibus.

486. *Scriptura* sermo mutus est, captivataque vox, mittenda ad nobis absentes, seu loco seu tempore: sed cujus modum non omnes tenent eundem. Ægyptii *hieroglyphicas* per *notas* rerum arcana sibi, & posteritati, communicabant. Chinenses habent *characteres*, non Verba, sed Res significantes; eô usu, ut etiam idiomatis diversi Gentes, quibus in conversatione lingua inutilis est, manu & characteribus istis (quorum ultrà octies mille exercitus est) colloquantur. Nobis compendiosior est ratio, per *LITERAS*, minimorum scilicet oris sonorum (ex quorum complicatione Verba, Sententiæ Librique fiunt) notulas. *Stupendum! paucis certô modô dispositis lineolis, quicquid usquam est, & omnes homines sciunt, loquuntur, agunt, & undè Mundo tantum resultat boni, pingi posse!* Verè Literæ *Delphicus gladius*, ad omnia accommodabilis, sunt.

487. Materiam scripturæ, instrumentaque si spectes, Literas antiqui *Saxis* incidebant, *malleo*. Postea insculpebant *Codicibus ligneis*, nominatim Faginis in tabulas sectis ac lævigatis, *castro*. Mox in libris Tiliaceis, aut foliis arborum latis (palmeis, oleagineis, malvaceis etiam,) demum linteis cerâ vel gypso illitis, exarabant *Stylo*, osseo aut ferreo. Deindè Ovino tergori, in Pergami urbe hunc in usum parari cœpto, inscribebant memoranda, subtili *calamo*, *Nilotico*.

488. Sequuta est inventio *Papyri*, è cognomine Ægypti plantula, interioris corticis loco prætenues amplasque tunicas habente: quas acu discriminatas, & glutinosâ aquâ perfusas, præloque complanatas, ac Sole desiccatas, in *Scapos* digerebant plagularum viginti. Tandem reperta est *Charta*, ut nobis hodiè in usu est, & è contusis lineamentis ac linteamentis conficitur, inque Volumina minora & majora complicatur.

489. Atramenti scriptorii materia sunt *Querna galla* & *Vitriolum*: cum addendo tantillo *Aluminis* & *Gummi*, ad mucorem prohibendum. *Calami* loco *Pennis* jam utimur, anserinis, pavoninis, aquilinis, similibusque caule idoneo. Quarum ad scriptionem temperandarum modum quia didicisti nuper, non repeto: mirari jubeo tantillæ rei usum tantum. *Quid enim Penna scriptoria est?* Annon Linguæ nostræ, omnium arcanorum interpretis æmula, sed mortua? Cujus tamen vocalitas ad disjunctissimos in alterum usq; Orbem, in seram usque posteritatem, pertingit.

490. *Scriptura seriem* non eandem obser-

o servant omnes. *Hebræi*, cum Orientalium multis, à dextro incipiunt latere, tenduntque in sinistrum, *Græci*, cum Europæis cæteris, ratione contrariâ. *Indorum* quorundam consuetudo fert, Literas perpendiculari lineâ, in funiculi deorsum missi morem scribere. Quos putas meliùs? Usus familiaria reddit omnia.

491. De Scriptionis celeritate si quæris, optandum esset, Calamum velocitate linguam æquare posse: habuisseque priscos scribendi compendia, SIGLAS, quibus loquentis excipere sufficiebant sermonem, ex Cicerone aliisque ejus ævi patet (Tachygraphiam vocabant.) Quas *Siglas* temporum injuriâ, & hominum incuriâ, amissas, reparârunt apud se nuper (*Stenograpiâs* nomine) Angli. Habemusque jam. Dei beneficio Libros multiplicandi longè velociorem modum, per ante duo secula repertam *Typographiæ* artem, plus chartarum scripturis per adolescentes duos, uno die implentem, quàm liberâ manu per ducentos scribas mense integro liceret.

492. Habent enim Chalcographi *Literarum typos æneo* innumero numero conflatos, perque *repositoriorum loculamenta* dispositos tam commodè, ut singulas suis expromendo locis celerrimè Verba. Versus, Paginæ componantur, ferreis marginibus inclusæ prelo indantur, mox atramento illinantur, suppositique chartis puris temporis puncto apprimantur: quantocunque exemplarium placet numero. &c Ut non immeritò Poëta Gallus canat:

Imprimit illa die, quantū non scribitur annō,
O Germania muneris repertrix,
Quò nil utilius dedit vetusta,
Libros scribere, quæ doces, memento!

49. Concorporandi chartas, (quoties Liber excrescit) alium nos ab antiquis habemus modum. Olim *Librarii* plagulam plagulæ agglutinabant ordine, ut dispansum librum vix ingens caperet area: convolvebant itaque in Cylindros; & vocabant *Volumina*. Nostri *Compactores* (ita ex Græco *Bibliopegum* vocamus) compingunt in Codices, per folia singula explicatiles. Complanant enim phyluras singulas, & complicant & malleant (ne Liber postmodum turgeat) & consuunt dorso, ibidemque conglutinant, à reliquo autem latere trino (ut plana sint omnia) exstantias demarginant: demum Librum tegumento certo, ad durabilitatem, circummuniunt: adversaque latera aheni (argenteisve) uncis confibulant; vel connectunt sorteis sericeisve ligulis: Elephantinis etiam Libris *umbilicatas bullas* (æreas, argenteas, aureas, si Liber fuerit dignus: *Margarita* enim *Conchyliis includenda sunt*) affigunt.

454. Ita multiplicatos Libros *Bibliopolæ* coëmunt, ut in *Bibliopoliis* acervatim prostent. Undè comparatos *Bibliothecarii* per *Bibliothecas* digestant, publicos vel privatos in usus; *BIBLIOTHECAM igitur quid esse dices?* Utique demortuorum Sapientum congregationem; mutum Nationum concilium; collectas in thesaurum Ingeniorum opes; Animi pharmacopœum. At *Bibliothecam sine usu?* Murium condimentum, Tinearum habitaculum, Pulveris receptaculum, Vanitatis spectaculum, Stultitiæ humanæ exprobramentum.

495. Sed redeamus ad Librorum formam! A qua Liber vel chartæ integræ cognominatur, vel plicatæ in quadrum, seu in octo, duodecim, sedecim, &c. folia. *Columnatus* item, à summo deorsum oblongus; aut *lingvatus*, à dextro in sinistrum protensus. Uno denique volumine, aut divisus in *Tomos*.

456. Interiora Librorum si spectas, communia ferè omnibus sunt: primò *Epigramma* seu *Inscriptio* (quæ quia rubricâ pingi solebat, & adhuc, festivè dictum est, *Rubrum ne sit fortius nigro*: h. e. ne plus Titulus promittat, quàm liber

liber exhibeat.) Sequitur, uti communiter fit, *Dedicatoria* ad Patronum quempiam epistola. Tum *Prologium*, seu *Præfatio* ad Lectorem, Libri argumentum edisserens. Sæpè & in Libri commendationem à Viris doctis scripta *Elogia*. (At *Vino vendibili non opus est suspensâ hæderâ*) Demum *Libri corpus*, argumenti tractationem, in Segmenta quæcunque divisam, continens. Additur *Coronis*, seu *Clausula*: cum *Syllabo* seu *Elencho*, contentorum scilicet Indice.

497. *Authori* videndum est, ut Libros scribat, non exscribat, (quanquam suo panno alienam assuere purpuram si decorè fiat, non indecorum putetur:) & scribat, quæ luce digna sint, non flammâ: *Autographum*que curet solicitè, ne per *apographa* corrumpatur. Alioquin *Aristarchorum* se objiciet virgulis censoriis, eorundem confodiendum obeliscis. Censores veri *Sol* sunt & *sal Literarum*: sed quemadmodum Sol nimius exurit, quod fovere debebat, salque nimius corrumpit cibos, quos emendare debebat, ita Critici nimis Critici plus corrumpunt, quàm emendant.

498 *Victurus genium debet habere Liber*, inquit Poëta. Nam quod ingenio caret, pabulum esse ingeniis, foveriq; ab ingeniis, nequit. Et quia dies diem docet, quoties prodeunt Libri, ut luce prodeant auctiores, videndum. Libris vanis non tam dolendum perdi chartas, quàm animos: cùm interim sæpè alia, *Cedro digna*, aut pereant, aut lateant. Utinam ergò nulli emittantur, nisi defæcato, & censuris doctorum piorumque virorum limato judicio, vitâ quam funere digniores esse constaret.

L. Literarum Palæstræ, Scholæ.

499. *Libri*, quantumvis docti, non magis usui sunt indocto, quàm Calvo *pecten*, Cæco *Speculum*, Surdo *tibicen*, cui nullum propinquum est mare *Navis*. Gubernatori *aratrum*. Quare qui *Sapientia* illa *infundibula* sine usu sibi esse non vult, uti discat, necesse est. Cui fini *SCHOLÆ* eriguntur, apertæ illæ *Musarum janua*, *Ingeniorum palæstra*, *Librorum reclusoria*, Sapientiæ *SEMINARIA*. Ubi *plantator*, *Præceptor* est; *planta*, *Discipuli*; *plantatio*, *Doctrina*; *rigatio & putatio*, *Disciplina*; *semina & surculi*, *Exempla*; *seminum inoccatio*, & *surculorum inoculatio*, *Præcepta*; *insequens mox germinatio*, *Imitatio* est; *ventilatio*, *Examen*. Ubi Sapientiæ *SALE* imbuendi sunt Juvenes (hi enim potissimùm Scholis destinantur: quia *Literas discens Juvenis in lapide calat*, *Senex in arena*) quicunque insulsè Vitam transigere nolint. Quod erit, si *Mens suo circumfulgeatur lumine*: *Voluntas*, *sui instruatur regimine*: *Facultates omnes ad agendum exerceantur rectè*: *Lingua denique linguarum excolatur studio pulchrè*.

500. *Doctor est ingeniorum plasmator*: bonus, si veros vivosque vultus effingere gnarus, non abortus aut monstra. *Daduchum* enim oculatum esse convenit, ne sit *cæcus cæcorum dux*. Erit & viva ac obambulans, seipsam aperiens, explicans, applicans, Bibliotheca: & *Sol* radiis suis totum suum fulgidè collustrans Orbem. *Discipulum autem bonum* quid esse dicam? Lignum est, sculpendo Mercurio idoneum (*nam non ex quolibet ligno fit Mercurius*) *Discipulus hebes* quid? Cæcus, cui lumen præferre tentas *Magister imperitus* quid? Ingeniorum tortor, & corruptor. Quemadmodum & *Schola pravè constituta*, nihil nisi Ingeniorum carnificina, molestissimarumque operarum pistrinum. Tam id jure dixeris, quàm *bonam Scholam Ingeniorum ludum*, *deliciarumque Paradisum*, appellaveris. Facilè namque Minervâ discitur, ubicunque gnavus sectator calidum nanciscitur ducem.

501. *Methodus bona* quæ? Quæ blandè invitat: (*Deliâ* namque *invitâ venandum non est*.) Quæ agendorum pluralitate non distrahit; (*Pluribus intentus minor*

minor est ad singula sensus; & duos insequens lepores neutrum capit) Quæ per hiatus non raptat: (*Gradatim ire, sapienter est ire; Gradus transilire, est præcipitia quærere.*) Quæ compendia amat, rectaque scopos petit: (*Pramansa ubique in os ingerenda sunt* pusillis, at non in pulverem usque redacta; *Possunt enim aliquid per se Ingenia; longis non oneranda sunt logis*) Quæ semper facienda præmonstrat faciendo: (ut, *à Bove majori discat arare minor: præceptaque mortua animentur exemplis vivis*) Quæ explicanda explicat explicare: (ut *ne Mercurius egeat Mercurio*) Quæ non incipit à præceptis, sed exemplis: (Tironibus dare præcepta altius progressis exempla, est *dare Asinis ossa, Canibus paleis.*) Quæ proin perpetuò imitari jubet: (nam *Fabricanda fabricantur, alitque ingenia æmulatio.*) Tandem quæ imitantes manu ducit, nec dimittit aut deserit, antequam roboratos *sine cortice nare, proprioque pervincere Marte*, videat. Quod compendiò poterit, si neminem eorum, qui condiscipulatu utuntur ab exercitiis unquam abesse, usquam non attendere, permittat. (*Nec enim ulla disciplina est, in qua non peccando discatur:* neque quisquam non errare nisi sæpè errans, sæpèque erroris admonitus, potest.)

501. Hæc talis manuductio vera erit *Ingeniorum obstetricatio* ut faciliter & feliciter pariant, sic leniter adjuta. Sufficiatque, ut Sol cœlestis de sublimi radios spargens toti Mundo, ita Magister unus toti Scholæ suæ Orbi: omnibus discipulis ad subsellia ejus constitutis, oculos oraque in eum intentis, doctrinarumque radios omnes certatim excipientibus imitationemque mox tentantibus omnibus. Amat enim ætas hæc æmulationem dumque subindè illis, *Occupet extremum scabies*, acclamatur, non intendere ad cursum vires, festinareque ad metam, non possunt.

Tum benè fortis Equus reserato carcere currit,
Cum, quos prætereat, quosque sequatur habet.

Ingeniosiores nimirum antevertendi alios desiderio, frenis quàm calcaribus egere videbuntur magis: tardiores verò, perpetuis ita præeuntium exemplis adjuti. (Faciliùs Discipuli à Condiscipulis, quàm ab ipsis Magistris, percipiunt; *quia Balbus balbum intelligit meliùs.*) non poterunt non omnia eadem eodem modo assequi tandem: ut nemo omnium futurus sit, quem iisdem hærere scopulis, & & non pariter cum cæteris ad portum promoveri, possibile sit. Cujus rei Examina crebra facient fidem. *Examina*, inquam, quæ *Diligentia lydius lapis Ingeniorum obrussa, Profectuum explorator*, sunt; dum quis, *ut videatur, loqui jubetur.*

503. Quemadmodum tamen *non semper Cœlum serenat, nec semper latus ridet Apollo*, etiam *austerus quandoque flat, pluit grandinat, tonat & fulminat, Jupiter*; ita institutioni blandæ jungendus est Disciplinæ rigor, ut ne heteroclita capita (quanquam in pravum satis prona est omnis humana natura) ducum facilitate in suam & sociorum abutantur perniciem. Proindè qui malâ sunt indole ad studia ut *Boves ad clitellas* apti, Vervecea capita, Bœoticæ sues, fungi, bliti ad stivam relegandi sunt: (*Stramenta asino, non aurum.*) Quicunque item Præceptoriæ subtrahunt se ferulæ, eoque se illâ indignos ostendunt, dimittantur. Studiô autem pravi à consortio bonorum arceantur, exturbenturque; ne *Morbida facta pecus totum corrumpat ovile.*

504. Omnia tamen ita moderatè, & cum judicio, ut teneræ moderator juventa *Orbilius* esse caveat: (*Meliùs Artes infunduntur, quàm intunduntur.*) Solem imitetur potiùs, qui Vegetabilia blandè fovet, non urit; aut si accessu diurno adussit, recessu nocturno recolligendi se concedit spatia, ita cum Rerum natura veluti colludens. *Perdius pernox esse in studiis*, neminem est necesse,

necesse: *amant alterna Camœnæ*. Nec sic, qui Artibus imbuit, *Pythagoram faciat, autos ipsa* suis pro ratione obtrudens: sed colludens cum eis. *Ecce res! En palpa! Hic Rhodus! hic salta!* iterum iterumque ingeminet. tandemque extra suum quoque conspectum lusus & recreationes honestas permittat.

505. Sunt autem *Scholarum gradus*, ad ætatem & profectuum gradus accommodati, & accommodandi. In *Trivialibus* puerorum excitantur Sensus, ad eos suis obvertendum & affigendum objectis, ut quæ usquam sunt, non ignorent. Exercitandæ item externæ ad motus facultates: inprimis Manus, ad probè celeriterque Literas pingendum; quæ res ad colligendum post Eruditionem multam multùm compendii habebit. *Gymnasia* Linguas doceant, Artesque, quæ sensu adhuc constant, ad rerum tamen inspectandas causas & rationes invitant, & ponuntque. *Academiæ*, Scholarum apex, puræ sapientiæ emporia sunto: ubi nascantur *Idearum venatores*, Philosophi, & *Morborum colluctatores*, Medici; & *Litigiorum diributores* Jureconsulti; & *Cœli Atrienses*, *Animarumque ad æternitatem duces*, Theologi Atque tum pateat tametsi *Studiorum radices amaræ* sint, *fructus* nasci prædulces.

LI. Philosophia in genere.

506. Vox *Philosophi*, vox modestiæ est: usurpata primùm à Pythagora, qui *Σοφὸν* (*sapientem*) dici Deo, φιλόσοφον (*amantem sapientiæ*) Homini, convenire putavit. *Philosophia* igitur *rerum causas investigandi amor ac studium* est: ut *Undè* omnia veniant, *Ad quid* sint, & *Quâ vi* existant ac operentur, non ignorari possit. Quæ res quum diffusæ sit molis, partiti sunt inter se operas. diversisq; se etiam distinxerunt nominibus. Ut nempè, qui circa rerum universales, abstractas, æternas, occupantur Ideas, METAPHYSICI dicantur: qui Visibilis Mundi corpora, concretasq; rerũ formas, & naturales rerum virtutes scrutantur, PHYSICI audiant: qui rerum Proportiones (numeris mensuris, ponderibusque se prodentes, & per Mundum universum dispansas) speculantur, MATHEMATICI nuncupentur: qui hominum Mores perquirunt & moderantur, ETHICI vocentur: qui denique Sermonis rimantur rationes, PHILOLOGORUM habeant nomen.

507. *Metaphysicus* ergò *Idearum venator* est, res omnes contemplans generalissimo & abstractissimo conceptu: non prout eas videt jam, sed prout eas esse, & sic vel sic esse, necesse fuit per Ideas possibiles, quas ab æterno vidisse Deum. & secundùm illas ordinâsse omnia, agnoscit. Quorum plenior enarratio non hujus loci est.

508 *Physicus*, *Naturæ consultus*, spectacula sibi ex iis, quæ totum hoc Mundi theatrum exhibet, faciens, quid naturæ vi Creatura quæque agat aut patiatur, observat, infinita indè humanos in usus depromens. Summam in his intelligentiam, & occultam, assequuti MAGI vocantur, in oculis ignarorum tantùm non miracula patrare gnari: quorum simiæ *Pseudomagi*, miraculorum loco præstigias, aut etiam satanicas ex pacto illusiones, exercent.

509. *Sensibus obtusi*, *à mentis Sagacitate exclusi*, *Historiarumque ignari*, ad philosophandum inhabiles sunt. Sensus siquidem caligantes, nihil aut parùm de rebus monentes, Mentem ad res persequendum urgere non possunt. Mens autem ipsa caliginosa rebus afferre lucem qui possit? Expers verò observationum multarum, propriarum vel alienarum, quid inventioni huic aut illi addi vel demi, quomodo summam addi manum necesse fit, juxtà cum ignarissimis sciet.

LII. Matheseos exorsus, Arithmetica.

510. *Philosophiæ janitrix Mathesis est*, mox

mox in Vestibulo edicens. Οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω. Quia enim *Pondere, Mensurâ, Numero Deus omnia fecit*; nihil occultioris artificii in Operum Dei structura capere idoneus erit, quisquis Ponderum, Mensurarum, Numerorumque ignorabit rationes. (Undè nec inconvenienter Plato, *Hominem ideò sapientissimum esse animal dixit, quia numerare valet.*) Eja igitur, quid *Arithmetica*, Numeros tractans; quid *Geometria*, Mensuras expediens; quid *Statica*, Pondera persequens, secum ferant, videamus!

511. *Arithmetico* res numerosas industriosè tractanti, omnia sua expediuntur, (1.) *Numerorum summas colligendo*, collectasque promptè efferendo, quantæ quantæ sint: (2.) Summas summis expeditè *coaddendo*: (3.) Summas minores de majoribus, quoties usus venit, celeriter *subtrahendo*: (4.) Numeros datos per invicem *multiplicando*: (5.) Aut rursum in partes æquales, quotcunque, *dividendo*: (6.) Numerorum denique ad invicem proportiones exactè deprehendendo & ex datis tribus notis quartum ignotum, quod quæritur, inveniendo.

512. *Ruricolis, simplicitatis custodibus*, res suas supputandi simplicissima est, sed non longè se extendens, ratio, per *Taria*, seu *Biniones*, per *Decussa*, seu *Decades*; per *Duodenas*; per *Quindenas*; perque *Sexagenas* At Philosophi Numerorum accuratiùs observantes articulos per metas Decades in infinitum, semperque proportionatè ac harmonicè, progrediuntur Nempe *Unitas* decies repetita, facit *Decuriam*; decuria decies iterata, *Centenarium*; *Centenarius* decies sumptus, *Millenarium*; Millenarii decem, faciunt *Myriadem*; Myriades decem, *Tonnam* (ut recentioribus loqui placuit;) Tonnæ decem, *Millionem*, &c.

513. Characteres Numerorum Græcis fuêre rudiores, ipsæ *Alphabeti sui literæ*, quibus non longè progredi poterant; sicuti neque Romani suis *septem numerabilibus Literis*: certè non ultra centum millia. Arabum demum ingenio ingeniosissimam *Ciphrarum* inventionem debet Mundus: quibus res in infinitum numerando nusquam hærere, nusquam confundi, nusquam proportionibus excidere possumus Quod neque *Calculorum* usus attingit: quippè tantùm praxi circa Numeros minores inserviens.

514. Numerorum in *pares, impares, fractos*; item in *pariter pares*, & *pariter impares* & *impariter pares*, &c. divisionem, cum aliis, quæ Numeris insunt subtilitatibus, in ipsum Arithmetices syntagma rejicimus: utpotè non Rebus jam, sed rerum Nomenclationibus, intenti.

LIII. Geometria.

515. *Arithmeticus* quantitatem rerum discretam, *Multitudinem*, habuit spectandum: *Geometria* speculatur concretam *Magnitudinem*, ad securitatem, tantum aliquid esse, quantum est, non majus, non minus; & tantum à nobis distare, quantum distat, non propiùs, non remotiùs; capere denique tantum, quantum capit, non plus, non minus.

516. Mensiones hujusmodi omnes peraguntur illis *Punctorum, Linearum, Figurarum*, certorumque *Instrumentorum* ope.

517. *Lineæ definitio*; sicut & in rectam aut curvam, spiralémve (qualis in seipsa quælibet est) & in parallelam, obliquam, perpendicularem (qualis quælibet alteri est) *divisio*, nihil habet difficultatis.

518. *Angulorum* ut recti sunt, vel acuti, aut obtusi, cognitio ad intelligenda Geometrica mysteria plus confert.

519. Magis verò etiam *Figurarum*; quarum primæ, cæteris simpliciores & regulariores, tres sunt, *Circulus, Triangulum, Quadrangulum*.

520. *Circulus*, divinissima figura, ex Centro constat, & Circumferentia, & Area;

Area: capacissima omnium, quippe nullos habens anfractus, nihil inæquale, nihil lacunosum. Ducta per medium ejus exacte linea, *Diameter* est; Semidiameter verò (à Centro ad circumferentiam) Radius.

521. *Trianguli* tres primæ sunt species: *Acutangulum*, ubi anguli omnes recto minores sunt; & *Rectangulum*, ubi unus est rectus, (nec enim plures possunt;) vel *Obtusangulum*, ubi unus ille rectus resupinatior, eoque recto major, est.

522. Sic & *Quadrangulũ* in tres primariò species abit. Prima habet quatuor angulos rectos, quatuorque æqualia latera □; altera rectos quidem angulos omnes, latera tamen bina tantùm æqualia, opposite, ▭: tertia ipsos etiam angulos inæquales, duos nempè obtusos, duos acutos ◇. *Quadratum* apellant, & *Quadrilaterum*, & *Rhombum*.

523. Hæc de *Figuris in plano*. *Corporum Figuræ* (non longitudinem tantùm & latitudinem, sed & profunditatem habentes, planisque quodammodo respondentes) sunt, *Gyratum* esse aut *Rotundum*, *Teres* aut *Ovale* *Orbiculatum* aut *Turbinatum* (*Conicum* aut *Pyramidatum*.) *Cubicum* denique aut *Triquetrum*.

524. *Distantiarum mensuras*, quas vocant, sic intellige. Coordina *papaverea grana* quatuor, habebis *hordeaceum granum* unum. Hordeacea quatuor juxta invicem posita, dabunt *Digitum*; Digiti quatuor, *Palmum*; Palmi tres, *Spithamam*; quatuor, *Pedem*; quinque, *Palmipedem*; sex, *Vlnam*. Semistertius pes (*sestertius pes*) dat *Passum minorem* (Gressum;) hic autem geminatus *Passum majorem*, *Geometricum*, qui *Orgyiam* æquat; Orgyia verò duplicata facit *Decempedam*, seu *Perticam*. At majorem distantiarum mensuræ ita habent: Passus Geometrici 125 faciunt *Stadium*: Stadia octo *Milliare unum Italicum* (12. Stadia *Leucam*:) triginta denique duo Stadia (i. e. quatuor Italica milliaria, seu Passus 4000.) faciunt *Milliare Germanicum*.

525. *Mensuras capacitatis* ita ponunt, *in liquidis*. *Ligulæ* quatuor (Cochlearia) dant *Cyathum*; hi tres, *Quartarium*; hi duo, *Heminam*; hæ duæ, *Sextarium*; quos si geminas, habes *Congium*. Congii verò quatuor *Vrna* sunt, ferenda Viro uni; Congii octo *Quadrantal*, seu *Amphora*, duobus bajulanda Viris. Qualium viginti *Culeum* faciunt, maximam in liquidis mensuram, quæ ad Currum onerandum sufficiat.

526. *In aridis* minimus est *Cyathus*: indè *Hemina*, Cyathorum sex: tum *Sextarius*, Heminas exhauriens duas: duosque iterum Sextarios *Modiolus*; & Modiolos quatuor *Modius*, quantum robustus Vir ferre queat: Medimnus demum, 12. Modiorum, unius quasi Vehis onus.

527. Ad *Instrumenta Geometrica* transeundo: Lineæ explorandæ (recta an curva sit) extensam adhibent *Amussim*; aut applicatam invariabilem *Regulam* (sed ut priùs ipsa recta sit;) Angulo examinando *Normam*, situi Horizontali, an Horizontalis planè sit, *Libellam*; situi parietis, & alterius perpendiculariter erectæ rei, *Perpendiculum*; Circulo, an exactus sit, *Circinum*; cognoscendæ denique capacitati Dolii habent *Perticam cylindraceam*, stereometricis notatam numeris.

528. *Ad metiendum eminus Distantias* utuntur *Lineis* visivis Opticè: ope Radii Geometrici; aut Quadrati Geometrici; aut Quadrantis Geometrici; aut denique *Astrolabii*. Ubi prospectando per radii versatilis pinnulas, rem distantem è loco uno, & mox è loco hinc dissitiore altero, collaterali; quantum vident constitui Triangulum in suo instrumento, tantum colligunt esse majus illud in Terra: nempè inter stationem utramque, & conspectam utrinque rem distantem.

529. Mensionibus hujusmodi nomen indiderunt generale, *Geodæsia*: sed illi specialiter, quæ in plano fit, *Longimetria*; quæ sursum, *Altimetria*: quæ deorsum, *Profundimetria*: qui circa

Vaso-

Vasorum (aut solidorum) capacitatem explorandam occupatus, *Stereometria* appellatus est.

530. Mutat & ipsa *Geometria* nomen, quando circa *Lumen, Umbras, Lineasque* visuum, versatus, Lucis radiationum, refractionum, reflexionum & inflexionum causas, & delineationes perspicuitatis & obscuritatis, adeoque diaphaneitatis & opacitatis, &c. rationes scrutatur. Tum enim speciale *Optici* accipit nomen.

LIV. Statice.

531. Rerum soliditatem (à soliditate verò etiam pretia) probandi medium, *Libra* sunt & *Pondera*, quibus rerum gravitas accuratè perpenditur.

532. *Structura* Librarum omnium hæc est ratio: quòd constitutô Scapo utrô & in medio ejus axiculo, super quem partes Scapi utrinque librentur, imponitur alteri res libranda, alteri librans; ut quantum ponderet illa, ostendat hæc. Quod si cognoscere vis exactè, Ansam specta, à qua Libra pendet; examen scilicet, seu lingulam, per aginam sese agitantem & in partem graviorem propendentem.

533. Hæc ita potissimùm in primaria Libræ forma, cui *Bilancis* nomen (& cujus maximam structuram, ad magna pondera pensandum *Trutinam*; minimam ad nummulos penticulandum, *Lanculam* vocant) spectantur, ad æquipondia vel præpondia rerum accuratè cognoscendum.

534. Sed habetur aliud Libræ genus, *Statera*, in qua librationis centrum extra Scapi medium locatur: eò fine, ut pondere unicô librari queant diversæ gravitates. Habet enim ad radium Scapi breviorem suspensum uncinum, à quo librandum onus suspenditur: in protensiori verò Scapi radio ponderculum est, quod pro diversa ad centrum positura plus aut minus ponderat.

535. Vis horum videre praxin? Adi *Libripendem*, seu *Pensitorem*: qui impositâ alteri Trutinæ lance re librandâ, alteram ponderibus gravat, usque ad æquilibrium. In *Statera* verò Pondus illud unum idemque per protensioris radii incisuras huc illuc promovet, donec stabiliter consistentiam, quæ ab æquipondio est, videat.

536. Ponderum alioqui differentiam ita habent. Minimum momentum *Granum* vocant; è quatuor granis constituunt *Siliquam*; è quinque Siliquis *Scrupulum*; è Scrupulis tribus *Drachmam*; è Drachmis quatuor *Semunciam*, ex octo *Unciam*. Quarum duodecim constituunt *Assem* (quem & *Assipondium*, & *Pondo*, & *Libram*, vocant;) quæ Romana fuit Libra. Sed quâ Mercatores utuntur, *Regiaque libra* vulgò dicitur, 16. Unciarum est; alicubi & major. Centum denique Libræ *Centupondium* dant: nec in his ultra processum est.

LV. Astronomiæ ars.

537. Si, *quid ergò Philosophi*, (postquam se numerandi, metiendi, ponderandique scientiâ instruxerunt) ad *dinumerandum, dimetiendum, trutinandumque habeant*, quæris: respondeo, *Omnia*. Solitæ tamen præ cæteris, pervulgatæque illis numerationes, mensiones, & pensuræ (seu librationes) sunt circa *Cælum, Terram, Tempora, Cogitationes* humanas, actiones *Morales*, & *Sermonis* artificia. Quorum a tes *Astronomia, Geographia, Chronologia, Logica, Mnemonica, Prognostica, Ethica, Grammatica* & *Rhetorica*, nominibus veniunt: quas nos percurremus singulas.

538. *Astronomi* est, Astra contemplari. Quod ut assequatur, Firmamentum sibi in regiones certas disterminat, nominibusque technicis distinguit: nempè *Circulos* quosdam imaginatione conceptos, sed ita fixè positos, ut Siderum per hos transitus observari queant immotè. Circulorum ejusmodi primores sunt, *Æquator, Tropici, Zodiacus, Polares, Horizon*, & *Meri-*

Meridianus. Quibus & *Coluros* duos (Astronomiæ tironi alioqui non adeò scitu necessarios) addemus.

539. Ardes hæc nôsse? Meritò: nobis spectacula ista, non pecudibus, parata sunt. Apprimè cogita, Cœlum cum Sideribus in gyrum volvi perpetuo: oriuntur enim, occidunt, & ad loca eadem redeunt, Sol, Luna, Stellæ, quotidiè. Undè colligis indubitanter, *Cœlum esse perpetuo volubilem Sphæram: habereque suum*, circa quem volutatur, *Axem*: & hunc Axem habere *immobiles suos vertices* extremos: quos & spectare in Cœlo possumus visibiliter, per immotas ad Septentrionem, & opposite ad Meridiem, Stellas. Quanquam nos in Europa Septentrionalem duntaxat, nobis elevatum, videre possumus Polum, Meridionali nobis sub Terram depresso.) *Arcticum Polum* vocant, & *Antarcticum*.

540. Jam inter utrumque hunc Polum, per æqualem ab utroque undique distantiam, concipe in Cœlo Circulum, Cœlum in duas æquales partes, (*Septentrionalem* & *Meridialem*) dividentem, habebis omnium primum maximæque necessitatis Circulum, ÆQUATOREM. Cui si addas, utrinque duos parallelos, erunt TROPICI duo: alter, quem Sol cùm altissimus fertur, in æstate, diurno suo describit motu; alter, quem designat incedens humillimè, in bruma. Iterum, quia Sol annuo itinere suo semel *Tropicum* hunc, semel illum, adit, *Æquatorem*que bis (vere & autumnô) transit, Solis hæc annua via constituit novum Circulum; cujus altera medietas Boream versus; altera ultra Æquatorem, Austrum versus deflectit, Solis hanc viam ZODIACUM vocamus: cui quia peculiares sunt Poli, à Polis Mundi (h. e. Æquatoris) diversi, hi ipsi Poli Zodiaci quotidianâ Cœli revolutione describunt circa Polos Mundi *Circellos* duos, POLARES dictos. Tandem transversos duo Circulos duos, per Polos Mundi & Æquatorem habebis COLUROS: alterum ubi Æquatorem transeuntem, ubi & Zodiacus transit; alterum verò secantem Zodiacum & Æquatorem in maxima eorum distantia.

541. Ita est Cœlestium Circulorum doctrina: Circulorum puta in ipsa cœlesti machina positorum, & cum illa revolubilium. Supersunt tamen duo alii cuilibet Terræ loco proprii, ibidemque ita fixi, ut immobiles sint, HORIZON, ac MERIDIANUS: quos effingendi nulla erit difficultas.

542. Nam ubicunque super Terram stâs, toto Orbe, habes prospectum Cœli & Terræ, cœlique *Sphæram* in duo *Hemisphæria* divisam: Hemisphærium superius, quod supra Terram in conspectu habes; & inferius, sub Terra demersum. Converte igitur te circumcirca & erunt illa ipsa Cœli Terræque confinia ejus loci HORIZON: cujus centrum est, ubi tu stas: Poli autem in Cœlo, alter in puncto tibi verticali (*Zenith* Arabes vocârunt alter in imo Cœli sub Terra (*Nadir* dixerunt.) Jam si denuò Circulum per Polos Mundi, Zenithque & Nadir, duxeris, MERIDIANUM ejus loci habebis: ad quem delatus Sol, meridiem ibi facit quotidiè.

543. Hæc de Circulis. Cursum quod attinet Astrorum, is Fixis stellis adeò uniformis est, ac si omnes illæ eodem simul veherentur Orbe: de quibus proindè nihil, præter de diversa earundem Magnitudine, & Configuratione, dicendum venit. Magnitudinis Fixarum sex faciunt gradus. Et primas quidem eas, quarum singulæ Globi Terreni magnitudinem excedunt centies & septies, numeranturque majorum Gentium Stellæ toto Cœlo quindecim: *Arcturus*, *Lyra*, *Capella*, *Oculus Tauri*, *Orionis Humerus* & *Pes*, *Sirius* seu *Canicula*, *Canis minor*, *Cor Leonis*, *Cauda Leonis*, *Spica Virginis*, *Cor Scorpii* *Cor Hydræ*, *Fomahant*, *Canopus*. Secundæ magnitudinis sunt 45: quarum quæque

Terræ

Terræ magnitudinem continet 90: Tertiæ magnitudinis, numero 208, habent se ad Terram, ut 1 ad 72: Quartæ numero 475, ut 1 ad 54: Quintæ 216 ut 1 ad 36: Sextæ 49, ut 1 ad 18. Præter quas videre est hinc indè sparsas novem *obscuras*, & *nebulosas* quinq;. Omnes ergò Stellæ, quas nobis libero Oculorum intuitu discernere datur, minori quàm pro vulgi opinione sunt numero, plùs minùs 1020: Telescopia tamen infinitò plures ostendunt.

544. Redactæ verò sunt omnes Fixæ in *Configurationes* certas usque ad paucas, quæ extra figuras repertæ, *Sporades* vocantur. Cujusmodi sunt in Zodiaco nota illa duodecim signa, versu sic comprehensa,

Sunt *Aries*, *Taurus*, *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*,
Libraque, *Scorpius*, *Arcitenens*, *Caper*, *Hydria*, *Pisces*.

545. Extra Zodiaci latitudinem longè plura *Sidera* sunt. In parte nimirum Septentrionali 21, quorum pleraque nobis in Europa nunquam occidunt: *Ursa minor*, *Ursa major*, *Draco*, *Cepheus*, *Bootes*, *Hercules*, *Cygnus*, *Vultur cadens*, *Cassiopea*, *Corona*, *Perseus*, *Serpentarius*, *Serpens*, *Auriga*, *Sagitta*, *Aquila*, *Andromeda*, *Pegasus*, *Equiculus*, *Delphinus*, *Triangulum*. Ex parte Boreali sunt 15 nobis spectabiles Stellarum configurationes: *Cetus*, *Eridanus Orion*, *Lepus*, *Canis major*, *Canis minor*, *Navis*, *Argo*, *Hydra*, *Crater*, *Corvus*, *Centaurus*, *Lupus*, *Ara*, *Corona austrina*. Quæ verò nobis in Europa nunquam oriuntur, sunt 12: *Grus*, *Phœnix*, *Indus*, *Pavo*, *Apus*, *Musca*, *Chamæleon*, *Triangulum australe*, *Piscis volans*, *Dorado*, *Toucan*, *Hydrus*.

546. Constat autem quemadmodum *Luminaria cum Fixis* pro circumrotationis suæ centro habent Terram, ita quinq; *errantia Sidera* habere Solem, licet non adeo exactè: quum ut Solem & Lunam, ita Planetas omnes, orbibus vehi eccentricis, ipsa eorum periodici motûs inæqualitas ostendat, &c.

547. Altera Planetarum anomalia latitudinis respectu est: quòd licet per Zodiacum decurrendo Solem imitentur, & jam Boreales, jam Australes fiant non se tamen præcisè in Zodiaci medio (quæ Via Solis est) contineant, sed evagentur, eoque interdum Boraliores etiam & Australiores, fiant.

548. Omnem verò Circulum, maximum & minimum, in quatuor quadrantes, & quemlibet rursum quadrantem in gradus 90, adeòque totum Circulum in gradus 360, dividere Astronomos (ut gradus illis nihil aliud sit quàm tercentesima sexagesima portio sui orbis) non ignorandum est. Sicut nec hoc: quemlibet gradum dispesci in scrupula 60; & hæc scrupula prima rursum in 60 scrupula secunda; & sic consequenter (superstitiosâ propemodum diligentiâ) ad decima usque.

549. Inter exquisitissima Astronomorum opera sunt *Ephemerides*: calculationes scilicet Planetaris cursûs in annos futuros, quò Zodiaci puncto futurus sit cujuslibet diei meridianâ hora Planetarum quisque, & quo ad se invicem respectu. Nempè quorum, & ubi, *Conjunctio* vel *Oppositio*, *Quadratus* aut *Trigonus* vel *Sextilis*, incidat.

550. Insignitè *Luminarium Eclipses*, (ex quo causa vera obscurationum interdum evenientium, cognita est) ibidem notantur. Soli videlicet deliquium accidere, cùm interveniens illi & nobis Luna, corporis opacitate sui radios ejus intercipit, nobisque tenebras offundit: quâ ratione nihil Sol patitur, sed nos, qui inumbramur. Sed *Lunæ labores* (ut antiqui vocàrunt) verè labores illi sunt: quæ Terræ umbram incurrens Solis radios, i. e. lumen amittit, & offuscatur. Ut autem non singulis noviluniis Sol, neque singulis pleniluniis Luna, defectionem patiantur, exspatiationibus suis facit Luna. Nempè quòd via Lunæ non eadem sit cum *Via Solis* (alioqui neces-

sariò

ſariò bis menſe haberemus Eclipſes;) ſed quomodo Via Solis declinat à Zodiaco, ita Via Lunæ à Via Solis, Boream & Auſtrum verſus. Quoties ergò in latitudine conſtituta Luna Solem, aut oppoſitam Soli Terræ umbram, transit, innoxiè transit: quoties autem prope Viarum interſectionem, aut in ipſa interſectione, toties offendere, & in umbram mergi, neceſſe habet. Undè lineam Zodiaci mediam, quâ Sol (& oppoſita illi Terræ umbra) perpetuò ſe continet, rectè *Eclipticam* vocârunt.

551. Aſtronomiæ corônis eſt *Computus temporum*, per dies, menſes, annos, numerandorum. Superſtitioſum eſt, ſed ingenioſum, *dies hebdomadæ* à Planetis denominari; non quò illi ordine in Cœlis ſunt, ſed harmonicè, ceu in Muſica, per quartas deſcendendo, & per quintas aſcendendo, ſic



552. *Menſes* conſtituendi duodecim occaſionem dederunt totidem Zodiaci ſigna, quæ Sol annuo ſuo curſu transit. *Martio* enim menſe ingreditur & permeat (quanquam totum non abſolvat) *Arietem*; *Aprili*, *Taurum*; *Maio*, *Geminos*; *Junio*, *Cancrum* (ubi Solſtitium facit;) *Julio*, *Leonem*; *Auguſto Virginem*; *Septembri*, *Libram*; *Octobri*, *Scorpium*; *Novembri*, *Sagittarium*; *Decembri*, *Capricornum* (ubi inchoat brumam, rurſumque ſe ad aſcendendum comparat: quæ cauſa fuit, quòd Romanis hìc Anni figere initium libuit;) *Januario*, *Aquarium*; *Februario*, *Piſces*. Cur Annus quiſque quartus ſit *intercalaris*, ſeu *biſſextilis*, uno longior die; & annus quiſque tertius *Embolimus*, unâ major lunatione, expeditiùs in Realium ſyntagmate doceberis. Nunc obſerva, Romanos quemlibet Menſem diviſiſſe in *Calendas*, i. principium; & *Nonas*, i. primam quadram; & *Idus*, i. medium: numerâſſeque *ante Calendas*, (*Nonas*, *Idus*) *toto vel toto die*; ut proximus eſſet *pridie Calendas* (i. ante Calendas) Nonas, Idus; ultimus *ipſis Calendis*, *Nonis*, *Idibus*.

LVI. Geographiæ breviarium.

553. Stellarum in Cœlo rimari domicilia, propriumque noſtrum ignorare domicilium Terram, inutilis eſſet curioſitas: transtulerunt proindè haud immeritò ad Terræ quoque dinumerationem & dimenſionem, diligentiam ſuam homines. Et ſicuti Cœlum pedibus adire nequeuntes, artificioſis machinamentis omnia ejus perſcrutantur: ita Terræ omnia peragrare non valentes, ut penetrarent ingenio, arte obtinuerunt. Nempè & Cœleſtium Circulorum applicationem recipit Terra, & alias dimenſiones habet proprias.

554. Terram undique in ſeſe nutibus ſuis eſſe conglobatam, quacunque rationabiliter inſpectetur, pateſcit. Ab Ortu enim in Occaſum eam Sideribus ambiri, quotidiè videmus: & à Nautis navigando circumiri, experimentis tenemus. A Borea verò Auſtrum verſus euntibus aut contra, cognoſcimus alterum Polum ſemper altiùs aſcendere, alterum profundiùs mergi, donec jam hic jam ille ſub verticem veniat; in medio verò Terræ conſtitutis, uterque cœli Polus Horizonti incumbat. Vndè & globi Terreni totius tum ambitus, tum profunditas, innoteſcit. Nempè quia ſub Meridiano

Meridiano progressis per singula 15 Germanica milliaria, uno semper gradu Poli elevatio mutatur (gradus verò totius ambitûs æquè in Terra ut in Cœlo 360 sunt) necessariò totius Terræ circuitus quindecies 360, hoc est 5400, milliarium, provenit; Diameter verò Terræ milliaria 1800 continebit; centrum denique Globi terreni à superficie milliaribus nongentis (900) distabit. Hæc fallere nequeunt.

555. Peculiaris terræ divisio in longum & latum instituitur. Et latitudinem quidem ab Æquatore Polos versus, per gradus utrinque 90, numerando: Longitudinem verò ab Occidentis plaga Exorientem versus, per integrum Globi terreni graduum 360 circuitum. Initiô calculationi huic arbitrario dato (nec enim hîc natura terminum posuit) ab extremis Europæ finibus, *Insulis Canariis*, olim *Fortunatis* dictis.

556. Prodeunt autem ex latitudine Terræ *Zonæ terrestres*, numero quinque. Prima, quam *Torridam* vocant, sub Æquatore sita est, Tropicos interjacens. Duæ ad extrema Mundi latera, Polares intra circulos, *Frigidæ* vocatæ Quas & Torridam intersitæ, aliæ duæ sunt, *Temperatæ* dictæ.

557. Appellationem ratio hæc est: quòd in prima perpetui sunt, propter Solis verticalitatem perpetuam, ardores, Æquinoctiumque perpetuum. In Polaribus vicissim plagis propter Solis collateralitatem continuam frigora continua; subque ipso Polo dies æstate mensium sex, tantundem hieme nox (ibi Sole nunquam occidente, sed se duntaxat supra Horizonte gyrante; hîc nunquam oriente, sed infra Terram solùm sese rotante.) In mediis demum tractibus grata est tempestatum alternatio, cum jucundis item noctium ac dierum auctibus & diminutionibus.

558. Quæ dierum inæqualitas Globum terrenum in *Climata* etiam & *Parallelos* dividendi occasionem dedit: ibi per horæ dimidiæ, hîc per horæ quadrantis distantiam, Circulis positis. Eô sensu, ut quibus Sphæra paulùlùm se obliquat (altero Polo supra Horizontem ascendente, altero se infra Horizontem mergente) ut Diem longissimum habeant, horarum 12 & dimidiæ, habitare primo sub Climate dicantur; qui 13, sub secundo, & sic deinceps.

559 In *Continentes* verò, & *Insulas*, *Mariaque*, Terræ divisio naturalis est. *Continentes* peramplæ quinque hactenus detectæ sunt: quarum singulæ numerosas in se continent, tum circa maris oras, tum per meditullium, Regiones; circumcirca verò *Insulas* varias (quanquam non omne Mare insulosum est) variis quoque habitatas Gentibus. Quod evidenti spectaculo est, undique versus Terram circumcoli, *Antipodas*que ex adverso aliis alios figentes vestigia (quod non dubitabant solùm antiqui, sed & impugnabant vehementer) dari.

560. Vis etiam Gentes, ut per vasta Orbis spatia sparsæ sunt, spectare? Plenum jucunditatis spectaculum: præsertim si contueri detur, quæ sua habuerit quæque cunabula; quas ab aliis separandi se, novaque constituendi Regna & Leges, Linguas etiam mutandi, occasiones; quàm sui quamque mores honestent aut devenustent, &c. Quæ omnia apud Geographos leges: hîc præcipuarum saltem expediemus nomina. Gloriosum Europæ caput *Hispaniam* incolentes populi, noti sunt, quia gestis suis, altero jam seculo, innotuerunt satis: sicut & horum accolæ *Lusitani*, quos *Portugallenses* jam vocant. Indè Orbis flos *Gallia*, suis exultans ingeniis. Tum ad Artem & Martem nati *Belgæ*: & horum in rebus gloriosè gerendis æmuli *Angli*, cum sibi jam subactis vicinis *Scotis* & *Hibernis*. Hinc Boreales, *Dani*, *Norvegi*, glacialisque Oceani accolæ *Lappones*: & saxeo robore invicti *Sveci*. Ac paludosi sylvosique *Russi*: & in

& in patentium camporum æquoribus habitantes *Poloni:* Europæque cor insidentes, *Bohemi:* & Gentium robur fortissimum *Germani:* & ingeniosi *Itali*, &c. cum reliquis Europæis, Asianis, Africanis, Americanis, Magellanicisque innumeris populis.

561. Sunt & celebrati *Montes:* per Europam *Alpes*, Germaniam ab Italia; & *Pyrenæi*. Galliam ab Hispania; *Carpatus*, Hungariam à vicinis Septentrionalibus separantes. Ex Asianis notiores sunt, *Taurus* & *Caucasus*: *Atlas* & *Montes Lunæ* in Africa. Fluviorum majores apud nos sunt *Danubius* seu *Ister*, & *Borysthenes* seu *Dnieper:* apud Asianos *Indus*, *Ganges*, *Oby*: apud Africanos *Nilus*, fœcunditatis Ægypti author, pluviarumque cœlestium suppromus: *Maragnon* in America maximus est.

562. Urbes inclytæ sunt: *Roma*; olim caput Orbis; & *Constantinopolis*, nova Roma; & *Venetiæ*, aquis innatantes; & *Lutetia*, populorum emporium; & *Ulyssibona*, maris dominatrix; & *Londinum*, opibus potens; & *Amsterdamum*, Orbis totius emporium celeberrimum; & *Praga* triurbs, &c. In Asia eminet *Quinsay*, Urbium Orbis totius maxima. In Africa *Cairus*, &c.

LVII. Chronologiæ & Historiæ summarium.

563. Tacitè labuntur Tempora, nosque præterfluendo fallunt: nec tamen ex toto fallant, ingenium humanum arte advocatâ cavet. Artem intellige Chronologicam, quæ in mensurandis insigniorum in genere humano mutationum intervallis occupata, distantiam quoque à rerum primordiis nostram, & quid quoquô seculo memorabiliter gestum sit (ne ignorando éa, quæ ante nos fuerunt, semper simus pueri) venatur. [Historia quippè non solùm temporum testis, vetustatisque nuntia, & memoriæ vita, veritatisque lux; sed & speculum prudentiæ, oculusque in occipitio, ea spectans, quæ à tergo sunt, vitæ denique magistra, haud immeritò audit.]

564. Licet autem omnes Chronicorum scriptores annorum tenorem à communi auspicari epocha, quæ Mundo & nobis incunabula dedit, æquum fuit: quia tamen plerique omnes terminum illum juxta cum ignarissimis sciebant, figebat sibi Gens quæque supputationis suæ terminum memorabilem aliquam circa majores mutationem. Ita Græcis rerum suarum gesta ab institutis ludis Olympiacis; Romanis ab Vrbe sua condita; Christianis à manifestato in carne Deo; Judæis à vastata ultimo Jerosolyma, suæque dispersionis initio; Turcis à Mahomedis fuga; Regibus denique ab auspiciis Regnorum suorum, rès suas ad calculum revocare solemne est.

565. Sed eheu quanta hic fuit ruditas priscorum! rerum memoriam aliter, quàm per narrationes vagas, aut erectos mutos Cippos, vel congestas lapidum strues, aut plicatos in quopiam tenebris asservato fune nodos (Regum seriem, & regnandi brevius aut diuturnius spatium) ad posteritatem transmittere ignarorum! Cujusmodi monumenta quàm invalida fuerint Oblivionis antidota, indè fit palam, quòd nihilominùs tempus tenebris sepeliebat omnia, aut transfigurabat in fabellas. Increbescente demum Literarum apud Gentes usu, res memorabiliter gestæ commentariis inferri, circumstantiisque benè expressis, ne in chimæras abirent circummuniri, cœperunt.

566. Quia verò humanam hanc diligentiam, Divina longè antevertit vigilantia, suaque priscis seculis cum hominibus, & hominum inter se, acta in commentarios regesta nobis communicavit; possem, si volupe fore scirem, primarias Gentis humanæ vices perbrevi complecti fasce. Sine, expediam negotium sententiis curtis.

567. Ipſa in Mundum ingreſſio noſtra lugubris nobis fuit, mortis cum vita luctamen, noſtrique ſub Mortis imperium redactionem, ſecum ferens, per Protoplaſtorum temerariam à vitæ fonte Deo defectionem. Auxit calamitatem primogenitus mortalium, Cain, omnis profanitatis, beſtialisque inter homines ferociæ, erga Deum verò contemptus, obſtinationis, blasphemiæ, primus author: cujus impietatis acre venenum totam humanam pervaſit familiam illico.

568. Perdolitum id fuit Divino Numini, ſuppœnituitque feciſſe Hominem. Ergò piis ad ſe in Cœlum evocatis (quorum quosdam vividâ id ætatis ſenectâ propè ad mille annos produxerat) reliquam impiam colluviem immiſsâ ab apertis Cœli cataractis, ruptisque fontibus abyſſi, inundatione univerſali, aquis delevit univerſam: uno Noa cum animarum octo familia mirabiliter ſervato.

569. Hujus filii disſeminârunt Gentium, quas nunc Orbis habet, familias: ductis à Semo Colonis Ortum verſus in Aſiam; à Japheto Aquilonem verſus in Europam; à Chamo Auſtrum verſus in Africam; undè tandem (quod probabilitatem habet multam) Occidentalis quoque Americanus orbis habitatoribus oppletus eſt. Cujus diſperſionis occaſionem dedit (alterius à Cataclyſmo ſeculo initiô) inconſiderata hominum, Turrim in Cœlum exædificare molientium, temeritas: quam ut disturbatum iret Deus, Linguam illis ſubitò confudit, ut non intelligentes mutuò, deſiſtere ab opere, & diſceſſionem facere, neceſſe habuerint. Sed ita, ut brevi pòſt recolligi inciperent, pluribus familiis ſub alicujus potentia eminentis Regale ſceptrum redactis: quorum agmen Aſſyriorum Rex *Ninus* duxit.

570. Ducenteſimo circiter dehinc anno, edidit in quosdam portentoſarum libidinum flagitiis horrendùm denuò corruptos, novum ſeveritatis exemplum Deus: deletis immiſſo cœlitùs igne populoſis Vrbibus quatuor ita, ut nemo elaberetur præter Loth, ad quem eripiendum Angeli fuerunt miſſi Sed & hic uxorem, contra interdictum Sodomam reſpectantem, eoq; in lapidem verſam, amiſit.

571. Quartò indè ſeculo Moſes Gentem Iſraëliticam, in Ægypto hoſpitantem, ſervituteque iniquâ preſſam, juſſu Dei vindicavit in libertatem, traductis iis pede ſicco per maris profunda, (poſtquam vento vehementi discuſſiſſet aquas Deus, ut montium inſtar utrinque ſtarent, illi autem velut per vallem factam irent tuti) abſorbto eos cum armatorum Exercitu perſequente Pharaone. Eosdē Iſraëlitas Deus in eremo 40. per annos pane cœlitus quotidies ſparſo pavit: cùmq; pro ſibi promiſſæ Terræ hæreditate prælio præliarentur, Solem occiduum integræ diei ſpatio detinuit inocciduum.

572. Quartò rurſum pòſt currente ſeculo (circa Annum Mundi 2790) floruit mortalium fortiſſimus *Samſon*, Leonum diſcerptor, Portarum effractor, Armatorum millenorum ipſe inermis mactator, Palatiorumque magnæ molis uno nixu ſubverſor (in cujus tempora *Trojæ* excidium incidit:) cui ver ente iterum ſeculo ſucceſſit mortalium pientiſſimus (vir verè ſecundum cor Dei, Deo teſte) *David*; huic autem humanæ ſapientiæ oraculum, *Salomon*.

573. Anno Mundi præterpropter 3040, viguit nomen Eliæ Prophetæ, qui zelo ignitiſſimus, precum ardentiſſimarum vi Cœlos claudere & aperire potuit: impetrando, ut quartum usque in annum nulla pluviæ gutta ullâ nube deſcenderet; rurſumque illius ad preces exigua nubecula ad effundendum ingentes Imbres, opplendumque torrentibus Terram Iſraël, ſufficeret. Conſimilis precum vis in Ezechia Rege, ducentis pòſt annis, enituit; cujus gemitibus permotus

Deus,

Deus, miraculosè illi præsentissimæ mortis faucibus erepto, ad annos 15 vitæ usuram prorogavit. Et in promissi fidem Solem in Cœlo decem gradibus visibiliter retrocedere, ipso spectante, jussit. Tandem in castris Assyriorum, Regnum ejus depopulantium, 185 millia robustissimorum nocte unâ, Angelique unius ministerio, contrucidari fecit.

574. Exactis 120 annis magnum Deus in deprimendo magni Monarchæ *Nabuchodonosoris* fastu edidit exemplum: ademto illi humano sensu, permissoque ut bestiam se imaginatus ab humano profugeret consortio, vagabundusque per Sylvas & Montes pasceretur gramine, integro septennio: quod factum ille, quum ad mentem & Regnum rediisset, diplomate suo regio per gentes & linguas publicari fecit, Numinis vim justaque judicia laudibus celebrans. Quô exemplô cùm non factus cautior filius insolesceret nihilominus, Deus excitato Persarum Rege, Cyro, potentiam ejus bello penitùs fregit: quâ occasione Chaldæorum Monarchia eversa, dignitasque illa (super Reges Terræ eminendi) ad Persas transiit.

575. Qui & ipsi, potentiâ suâ variè abusi, evertuntur tandem. Nam *Xerxes* eorum Rex (Anno Mundi 3492) motô in Græcos nullâ causâ bello, bis mille millium, & ter centenorum insuper millium Exercitum collegit, terras mariaque gentium opplens colluvie: victus tamen est præliis tribus, atque sic attritus, ut domum redirent pauci. Seculò pòst, & quod excurrebat, *Alexander Macedo* Persis rursum illato bello Monarchiam eorum evertit; superatisque magnâ celeritate quicquid præterea supererat Gentium, de Orbe subjugato triumphum egit, subitòque (magno fragilitatis humanæ exemplo) exstinctus est, anno ætatis trigesimo tertio nondum completo.

576. Decurrente Mundi quater millesimo propè annô, Orbis Imperium Romanus populus, Regum edomitâ undique potestate, ad se rapuit (ut Vrbis unius Imperium Orbis termini essent:) sed quos rursum subegit, in monarchâ se constituens, Julius Cæsar; cujus successore, Augusto, rerum potiente, & per universum Orbem constitutâ pace, Pacis Princeps Christus, Regni Dei spiritualis humano in genere reparator præpotens, nascitur.

577. Anno Christi tercentesimo decimo quarto Constantinus Magnus Imperator susceptâ nominis Christiani professione, omnibus Christum profitentibus pacem firmavit externam: exstructâque ad Orientalem Europæ oram Vrbe, à se denominata Constantinopoli (quanquam illi novæ Romæ indiderat nomen) translatâque istuc imperii sede, Aquilam Romanam fecit bicipitem. Sed hoc Orientale illius caput amputatum est à Turcis, Orientale hoc imperium arripientibus, Anno 1453.

578. Sub annum Christi plùs minùs 1300, observari cœpta est Sideritæ lapidis, ignota eatenus, Polis Mundi sese obvertendi virtus: quod viam patefecit construendo Nautico directorio (*Acum marinam* vocant,) cujus beneficio non tantùm alter Semiorbis (nempè Antipodum mundus) detectus est, sed & totus reliquus Orbis navigationibus factus permeabilis: ut à societate eousque disclusæ, sibique, fando inauditæ Gentes, mutuò jam consortio gaudere, & bona sua invicem communicare, valeant.

579. Insequuta est (sesquialtero seculo) admiranda *Typographicæ artis inventio*. Cujus bonô seculorum commercium reclusum est, quidquid reconditioris sapientiæ à prioribus seculis ad posteros transmissum fuit, sed in Bibliothecarum tenebris detentum latitavit, in lucem protracto; & quicquid modò scientiæ ubiubi gentium nascitur, quoquò gentium celerrimè communicandi, paratâ viâ. Vt artis

utriusque hujus (Nauticæ & Typographicæ) inventio, inter Orbis Nationes quaquaversum diffundendi Sapientiæ luminis vehicula duo, ultimis temporibus servata, jamque Divinitùs ostensa, videantur: modò non Gentes fastidio invicem sui laborarent, vilipendioque mutuò commercia mutua impedirent. Quàm inconsideratè! *Nam inter Vepres etiam nascuntur Rosæ, etiam inter Rosas aculei.*

LVIII. Logices Epitome.

580. LOGICA flabellum animi est, quô latentes inter tenebrarum favillas Rationis scintillæ excitantur; Mentisque, ut ne incessu lubrico vacillet & lapset, serperastium; Veritatum statera, Opinionum cribrum; per cogitationum labyrinthos Ariadnes filum; errorum (ubiubi nidulentur) explicatrix & expolitrix. Falsa vero Dialectica quid? Eorum, quæ per se plana esse poterant, implicatrix, spinosæ subtilitatis magistra, artificiosè altercari, erroresque erroribus cumulare, docens.

581. Verus igitur Logicus, Veritatum venator, Errorum profligator, Tricarum concinnator, Nebularum discussor, nodorum Gordiorum dissector, Sophistarum mastyx, Mentis pædagogus, & Cogitationum, ne extra viam currant, vel extra choreas saltent, & à lineis aberrent, frenator est. Veritates autem venari an opus? Imò & necesse. Primùm, quia passim nobis latent, inter res absconditæ. Deindè, quia leviùs conspectæ spectra ex se faciunt, nisique prehendantur & constringantur, effugiunt. Tandem, quia se sibi variè permiscendo, seipsas quidem obumbrant, nobis autem cerebrum turbant.

582. Quomodo igitur illam Veritatum venationem instituit? Latentes è latebris protrahendo: fugitivas persequendo, captivandoque: dispalantes denique Methodi ambitu circumcludendo, & intra ordinis carceres cogendo. Adjutus ubique aut *Sensuum* sagacitate, tanquam odorâ canum vi; aut *Ratiocinii* indagine, tanquam providè undique tensis cassibus; aut denique aliorum venatorum mutuatitiâ operâ.

583. Quos mihi *Ratiocinii casses* narras? Rei cujusque naturalia requisita, in quantum exstant, & de re sua aliquid produnt. Nempè quia Causa effecti sui, Subjectum adjuncti sui, Simile similis sui, Diversum diversi sui, Contrariumque contrarii sui, & vice versâ, tum index, tum judex, tum norma trutinaque est; nihil horum relinquit intentatum, quin, quid indicinæ ferant, videat, demumque pronuntiet ac definiat. *Definitio* autem quid est? Perfecta quidem *Circulus*, intra cujus circumferentiam rei essentia continetur, tota & sola: imperfecta autem *Figura irregularis*, angulis, anfractibus, hiatibusque suis, ut rei essentia nec tota nec sola purè in conspectum veniat, efficiens: cùm latior sit vel angustior definito suo.

584. Ad *Divisionem* rei progressus *dichotomiam* adhibet, vel *trichotomiam*, aut *tetrachotomiam*, prouti res sunt. Quædam enim *bifariam* secantur optimè, ut Homo in Corpus & Animam: alia *trifariam*, ut Corpus vivum in Caput, Truncum, Artus: alia *quadrifariam*, ut Mundus in cardines quatuor, Annusque in Æstatem & Hiemem, Verq; & Autumnum, &c. Utendum verò hîc diligentiâ: quia indivisa, aut malè divisa, tenebras; divisa lucem, habent.

585. Enimverò *Divisio* trina est: Prima res integras ab invicem discriminans, ut quævis seorsim liberè spectari queat. Altera discernans totum à partibus suis integrantibus, ut quæ ad constitutionem rei totius integrè requirantur, pateat. Tertia demum diversas Subjecti formas contemplans, ut quot modis partium transpositio, aut transformatio, facta rem variet, in conspectu sit. (Illi *Distinctio*-

nis,

nis, isti *Partitionis*, huic *Distributionis*, nomen tribuitur.)

586. Inventis autem quæ rei in considerationem sumtæ conveniant, compositio & divisio fit Cogitationum, copulando terminos affirmatè aut negatè: h. e. efformando *Sententias*, ubi dicitur *de aliquo aliquid, per aliquid*. Quæ tria (*Subjectum, Prædicatum, Vinculum*) siquando per veritatis evidentiam indissolubiliter cohærent, indubitatæ fidei effatum pariunt, *Axioma*.

587. At verò si cui subnascitur scrupulus, utrùm assertionis termini, major & minor, rectè copulentur, quomodo copulantur (seu affirmatè seu negatè) probatio incumbit affirmanti: Nempè ut quærat argumentum tertium, seu Terminum medium; inventumque utrique priori seorsim copulans, tres faciat Propositiones; ex illis autem sic vel sic transpositis Syllogismum, tanquam Ratiocinationis structuram perfectam.

588. Ita duabus anchoris fulta Veritas dubitationum frangit fluctus. Nam quum Propositio major basis instar immotè se figit; Minor autem legitimè huic conformatæ rectè se affigit; exsultans indè Conclusio quid nisi Veritatis triumphus esse potest? etiamsi non pleno pompæ apparatu, sed aliquibus suorum à tergo relictis (ut in Enthymemate fit) veniat.

589. Atenim si adversarius nodum in scirpo quærens instet, aut quæstio per se litigiosa sit, subitur pro eventilanda meliùs Veritate certamen: ubi qui affirmativam tuetur, argumenta Syllogismis innectit; qui negativam, nexuum nodos solvit: tam diu contentionis reciprocando serram, donec, quid veri aut falsi subsit, indubiè pateat, opinionumque paleæ à puræ Veritatis granis ad plenum separatæ sint. Enimverò qui non verò vincere, sed subterfugiis & stropharum decipulis concertatorem illaqueare, argumentaque, quæ elidere nescit, eludere quærit, *fallax Sophista*, Veritatis non discipulus, sed proditor est. [Tu in Musarum palæstra vincaris an vincas, juxta puta: cùm hinc plusculum sanè honoris, indè tamen omninò plus fructûs, auferatur. Alter ergò sine fastu Magistri, alter sine rubore Discipuli, sustinere discant partes: ut rationabilis hujusmodi conflictus hostilitatem nesciat, & ictus hi sine vulnere sint.]

590. Si quando multarum Cogitationum chaos Mentem obruit, ut tanquam scopæ dissolutæ, arenaque sine calce, videantur, quærendum est cohærentiæ gluten, petendum ob Ordinis stabilitate lege trinâ. Primò, ut è turba illa Cogitationum seligantur cæteris notiora (nempè majora, communiora, priora) ponanturque ut angulares lapides fundamenti loco. Secundò, ut illis ignotiora, minora, specialiora, posteriora, ita subnectantur, quomodo ab invicem nasci, & accipere lumen, videntur: eoque tota Cogitationum series catenæ nacta formam, luce perfundat Mentem: accedente insuper Verborum perspicuitate.

591. Polycleteis sic instructus Logicus normis, benè amussitata edit Mentis opera: Res ignoratas è tenebris eruens, Veritatis aurum ab opinionum scoriis separans, Rerumque Ordinem à Mentium confusione liberans. Ubi verò deceptionem in Verbis nidulari animadvertit, istos fallaciarum nidos disturbat: Voces nimirum obscuri sensus dilucidans, Vocabula geminæ notionis distinguens, Verba indeterminatæ significationis determinans, Dictiones indefiniti usûs definiens, lubricamque ubiubi Verborum vim cancellis coërcens, &c.

592. Hæc si tu quoque scieris, poteris quæcunque cogitata (tua vel aliena) jam synthericè contexendo, jam analyticè retexendo, jam syncriticè cum aliis conferendo, scientiæ tuæ securus esse, Veritatisque tandem insidendo

insidendo arci opinionum fumos non curare. Absque hoc sit, cogita, recogita, quicquid voles, non nisi Penelopes telam texere poteris.

LIX. Memoriæ Ars.

593. Memoria, omnium, quæ didiscimus, reconditorium, omnium, quæ illi committimus, custos, omnium quæ nobis, dum reposcimus, reddenda sunt, promaconda, &c. delicatum & fragile Animæ bonum est: nisi suis fulta adminiculis, ita roboretur, ut tum excipiendis promptè impressionibus tum retinendis firmiter impressis, tum denique retentis rursum fideliter reddendis sufficiat.

594 Quæsita ergò sunt, inventaq;, ab illis, qui Memoriæ labilitati opitulatum eunt. *Mnemonica*, remedia. Qui simul ut eam non ferri vagam, sed rerum observare vestigia, illorumque ductu connectere notiones, deprehenderunt, artem machinati sunt, eam intra cancellos fictorum quorundam Loculamentorum, & repositarum in illis imaginum, ita ductandi, ut seu Res seu Verba, illi dictentur, quantocunque numero, imaginatione fortissimâ arripiat omnia, Locis illis suis clavo trabali infigat omnia, indidemque ad miraculum velocior expromat omnia.

595. Iucundum sanè machinamentum, Memoriæ hoc magisterium, & res ad colligendum sapientiæ thesauros magni usûs, nisi periculi subesset metus. Nempè quod hæc *imaginativa facultatis* exaltatio eminentissimam Animæ partem, *Judicium*, deprimat, hominemque paulatim in Psittacum, sine mente sonos reddentem, transformet. Tutiorem igitur insistere viam tutiùs: Sensus & imaginativam, Memoriæ antecursores & præministros, non per fictitia raptando Loca, commentitiisque fascinando Figuris; sed per veras Rerum classes traducendo, proq; imaginatiis rerum simulacris ipsas nativas rerum formas commonstrando; singulis denique pro rei exigentia (ne canis properans cæcos pariat catulos) immorando. Hoc demum est, quod non fictam, aut pictam, vel umbratilem evanidam, sed veram, solidam, stabilem, præstabit Eruditionem: ingeniaque non in hebes quid & stupidum desinere, sed in majus semper acumen surgere, faciet.

LX. Futura præsagiendi artes.

596. Persuasio popularis, *Istuc esse sapere, non, quod ante pedes solum est, videre, sed & futura prospicere* (undè & illud, *Si futura præscis, Deus es*) Artibus divinatricibus constituendis ansam dedit: haud tamen sine multa vani mistura. Quo enim fundamento?

597. Qui *Physiognomiæ* profitentur artem, conjectationum suarum basin in corporum lineamentis, nominatim Frontis & Manuum, ponunt: de qua scientiolæ nubecula integri exstant, sub *Chiromantiæ* & *Metoposcopiæ* titulis, libri. Vetustior autem est, & divinior, Somnia interpretandi ars; quam superstitiosi, superstitionibus conspurcatam suis, *Oneiromantiam* dixerunt.

598. Sublimior eorum, qui *Cæli interpretes* audire captant, speculatio: qui cœlestium corporum in terrestria vim scrutantes, calculant pro quovis tempore *Stellarum posituram*, erectoque Cœli themate, è mutuis errantium Siderum contuitibus & radiatione, Aëris tempestates vel intempestates, Annonæque ubertatem vel penuriam, & alia id genus, præsciscunt: quin etiam ex *Horoscopo* cujusque hominis nati de quibuscunque eidem totâ vitâ eventuris prænunciare, præsumunt.

599. Obsoleverunt jam, & meritissimè, superstitiosæ Gentilitatis hariolationes. Ut erant, ex inspectata Avium volatura, cibatu item & garritu pullorúmve tripudiis, augurationes: & ex inspectatis victimarum visceribus haruspicia: & ex quavis alia vaticino sensu percepta re; (ut si cui dexter

dexter saliit oculus, vel dextra tinniit auris, &c.) è sortibus item projectis, &c.

600. Multò causatiùs vetitæ sunt *Magiæ* artes (*Magiam infamem* intellige: nam honestum per se Magi nomen impostorum colluvies infame fecit) quibus cum Satana, pacto expresso vel tacito, colluditur. Ibi *Necromantia* eminet, ubi sub nomine & larva defuncti alicujus hominis evocatus cacodæmon arcana edisserat, hîc sunt *Hydromantia*, quæ per aquam; *Crystallomantia*, quæ per crystallum; *Pyromantia*, quæ per ignem (*Ignispicium* vocat Plinius:) item per Cribrum, per Securim, per Clavem, &c. arcanorum sciscitatio instituitur. Cave autem, quisquis sapis, latet anguis in herba! Primùm enim *Futurorum ignorantia sæpiùs nobis utilior quàm scientia est.* Deindè Vir sapiens citra ullius impostoris opem de futuris, quantum satis, conjectare potest, quid è talibus vel talibus præmissis; (ut rerum statum videt) sequi necesse sit, satis certus. Tandem Deus piis vigilat, &c.

LXI. Morum Doctrina.

601. Summum in Sapientia humana est Animorum morbi (qui varii, periculosi, occulti tamen sunt) remedia quærere, invenire, propinare: hoc est, voluntatem, quæ minoris Mundi numen est, tacito cuncta nutu gubernans, sed ipsa inprimis gubernaculo egens, ita moderari, ut ne à rerum nos circumstrepentium tumultu venientes tempestates, flagra, faces, furiæ, tormenta, mentem exagitent, sed inter omnes vitæ syrtes & scopulos exhilaret perpetua valetudinis & conscientiæ serenitas, in ipsum usque supremæ diei portum. Hoc demũ est verum literati laboris præmium, collegisse Eruditionis supellectilem, non ad ostentationem vanam, sed ut in Vitæ usum transeat: ne in mente Possidentis sit tanquã in pyxidicula, undè res alios juvatura, vasculo ipsi inutilis, petitur.

602. Delectat hujus etiam mysterii consequi scientiam? Compendiariò te ducam. Sapientiæ fulgor Homini Mentem serenat, virtutis studium voluntatem illi depurat, Innocentiæ conscientia animum ejus tranquillat: omnia verò hæc ad alios illi gratiam & gloriam conciliant. Quum ex adverso Mentis fatuitas ubique impingat, voluntatis pravitas ubique crimen admittat, admissa verò Noxa ubique discruciet: junctimque illa hominem hominibus abominandum & exsecrandum reddant. [Vacare culpâ, solatium est magnum, in periculis præsidium certum, adversùs calumnias apologia optima, adversùs malevolentiæ spicula scutum impenetrabile, adversùs integros exercitus murus aheneus inexpugnabilis, juge denique convivium. Pœna rursum vehemens nocte dieque suum gestare in pectore testem, accusatorem, tortorem: Virum enim improbum vel mus mordet.]

603. Verumenimverò quia nemo casu bonus est; nec bonus verè, qui coactè aut simulatè bonus; nec Virtutum ardor & Vitiorum detestatio humanarum blanditiarum aut interminationum, retributionúmve aut punitionum, fructus sunt: hoc emendationis sui studium in seria expensione, quàm nos illi, cujus imaginem gerimus, assimulet Virtus; quàm rursum fœdè in nobis illius deturpet pulchritudinem Vitium, fundari necesse est.

604. Quæris ergò, *Virtus* quid sit? Harmoniam esse scito cogitationum, appetitionum, actionumque, ubi Scire, Velle, Posse, ad Divinæ pulchritudinis exemplar amicè conspirant, à norma illa nusquam deficiendo, nullibi eam excedendo. *Vitium* contra quid? Animi ærugo, rectitudinem cogitationum, appetitionum, actionumque arrodens, eoque aut decurtans, aut monstrosè extendens, vel denique in pravum detorquens: tametsi dispari prævaricationum gradu.

605. Tu proindè aliquem delinquere inconsiderantiâ, rationeque inconsultâ, conspicatus, *Delictum* vocabis simpliciter, consultâ operâ, *Piaculum*; ex professo, *deliberatam Malitiam*; prænimis extra modum, *Scelus nefarium*; ingratiis alicujus faciendo, quod eum remordeat, *Proterviam*: quò progressus nec erubescit nequitiam, nec facilè reprimere animum, quin antiquum obtineat, valet; inque statum inemendabilem adductus perditi animi homo fit, ad ultima famæ & salutis detrusus.

606. Tibi tuiipsius aurigatio apta si cordi est, præcognoscenda veniunt necessariò. Primùm, *Anima tua machina*, qualiter propensionum suarum nervis intendatur aut remittatur: ut qualiter à te motus & raptus illi, aut relaxandi aut sufflaminandi sint (quò non extra orbitas ruant) ne clam te sit. Dehinc *Termini*, in quos se numina & nomina ista Mentis reflectunt: nempè in Teipsum, Proximum, Deum. Tandem *illecebræ* & *incitabula*, quibus illarum animi tui pronitatum impetus jam huc jam illuc proritantur & propelluntur.

607. Ut verò in compendium omnia, quæ fieri oportet, redigam: elaborandum tibi erit, ut quoquò te in vita vertis, omnibus à te unquam occipiendis obvertas *Prudentiæ oculum*; Tibiipsi *Attentionis curam*; Proximo *Æquitatis stateram*; Deo *Reverentiæ cultum*; in sancto denique hoc Virtutum studio, *Integritatis*, *Sinceritatis*, *Constantiæ*que propositum.

LXII. Prudentiæ leges.

608. *Prudentia* quid sit, quæris? Familiæ *Virtutum choraga*: utpotè *Mentis oculus*, ingeniique *Tubus opticus*; sub aspectum illi remota ut propinqua, parva ut magna, obscura ut clara, sistens: eoque simul *Judicii trutina*, rebus vera sua precia reddens; falsa verò (quæ illis amor vel odium, aliúsve tribuit affectus) amovens: Actionum denique *norma* certa, à desideriorum fine aberrare prohibens. *Imprudentia* verò quid? *Oculorum glaucoma*, non videns, quod est; videns, quod non est: *Mentis occultum delirium*, occupans homines impertinentibus, iis, quæ maximè ad rem faciunt, ne attactis quidem, ut petendo incerta, amittant certa: *Corrupta* denique Actionum *norma*, à qua omnes *vitæ solœcismi* proveniunt.

609. Prudentiam ergò si tibi optas, (debes autem: salutis interest tuæ, ut stultorum exeas numero) hoc dabis operam, ut omnibus tuis cœptis (seu desideria fuerint, seu actiones) præfigas *Scopum*, ad quem collimes: & pares tibi ad scopum mittendas consiliorum *Sagittas*: apertum denique teneas directionis Oculum, ne tela tua unquam in ventos effundantur. Nervus & artus sapientiæ sunt, non temerè credere, aut mediis fidere. Cave igitur, ne unquam uti opus sit illâ erroris confitendi voce, *Non putâram*: quam non convenire sapienti, sapiens dixit Cicero.

610. *Scopus*, sit Bonum quoddam trinâ conspicuum facie, *Honesti*, *Utilis*, *Jucundi*. Quæ tria tametsi quandoque divelli videntur, reverà tamen (modò ab honestatis respectu incipias) non divelluntur. Verum *Honestum* semper lucrosum est, & quamvis in præsens parum suave videatur, in gaudia tamen desinet. Neque per naturam rerum fieri potest, ut quisquam tale bonum (cujus *basis* honestas sit, *corpus* ipsum commoditas aliqua vitæ, *fastigium* suavitas honesta) adeptus, indolere possit. Pro scopo igitur nunquam pones, quod perniciem aliquam notabilem habeat conjunctam: aut supervacuitate onus tibi minetur merum. Si autem inter plura bona (nec perniciosa nec supervacua) liberum sit eligere, trutinam in partem vergat, in qua plus ponderis est: plus boni intellige.

611. Sagittæ consiliorum & mediorum

diorum tuorum, primùm sint rectè normatæ, & directè scopo obversæ, eoque fallere nesciæ Deindè accommodatæ manui tuæ, quas torquere nullâ vi possis. Demum ita paratæ, ut paucæ sufficiant. Magna prudentiæ pars, non multis distrahi, sive votis, sive ad vota viis, paucis potiùs niti, sed certis. Scire non multa, sed unum magnum, *salutem tutari*, magnum & multum est: etsi plures habere adversùs tempestates portus, ut confugias in propiorem, non noceat; quum nec Mus uni fidat antro.

612. Paratis scopo sagittis, *modus* etiam *agendi* circumspectandus est necessario: ut ne nobis vel *Dormitatio*, vel *Cunctatio*, vel *Festinatio*, negotia perdant. Clausis, inquam, oculis nihil unquam agendum, neque per non intellecti negotii tenebras eundum: quia ut corporis oculus noctu declinare nescit noxia, nec eligere meliora (nocte latent mendæ) ita dormitantis oculus non hallucinari in negotio non potest. Cavenda & *Festinatio* nimia: quam non sine causa judicii novercam, canem cæcos parientem catulos, pœnitudinis matrem dixêre. Hinc & illa dicteria: *Difficile est post inceptam pugnam ordinare aciem. Sat citò si sat benè. Quod differtur, non aufertur. Posterior dies discipulus prioris. Prudentis est plus metuere quàm sperare. Prudenti diffidentiâ nihil utilius mortalibus.* At quia stulti, dum vitant vitia, in contraria currunt, videris tu, *ne cunctando rem perdas.* Sæpiùs enim dispendiosa est cunctatio: nec præter unum vidit Fabium Roma, qui *cunctando restituit rem.* Hinc illa sapientum monita: *Tolle moras! nocuit semper differre paratis.* Præsertim ubi periculum in mora est, prævenire præstat, quàm præveniri. *Post bellum* (enim) *quærere machinas, serum. Qui tempus prætolatur, tempus perdit.* Tu proindè tibi manubrium è manibus eripi, aut elabi, nunquam patere; velis equisque propositum urge; dumque anchoras tollis, velâ simul expande, & vola: *Delibera diù, sed fac citò.* Inconsultando esto *Argus centoculus*, in exsequendo *Briareus centimanus.* Interim tamen, quia se ubique intermiscet error, præ oculis semper sit illud, *Festina lentè:* Item *Considerate agere, plus est quàm prudenter considerare:* Nec non magnum illud magni Hippocratis; *Consilium necessarium est in rebus arduis, Celeritas in urgentibus, Mora in periculosis, Experientia in dubiis.*

613. Si sic à fronte & à tergo circumspectabis, inoffensè procedes ubique. Quamvis etenim mortalium nemo omnibus horis sapiat, nemoque tam prudens sit, quin sæpiùs erret: non tamen tam crebrò eludi poteris in fronte gerens oculos, atque *excordes* illi, qui occipiti cæco in quidvis irruunt; & *cerebrosi* illi, qui, quod non est, ut fieri possit, tamen pernituntur; & *incogitabiles* illi, qui foro uti nesciunt, & occasionem mille, sibi otiosis transfluere patiuntur; & denique *volatici* illi, qui ut ventus huc illuc feruntur, negotiorum inceptores crebri, perfectores rari, nisi quum ut inepto Figulo Amphoram instituenti currente rotâ Urceus exit.

614. Sed audi jam, quid Virtus tibi candidato suo pro objectis, circa quæ speciatim tua se exerceat prudentia, assignet: Nempè ut quid ante omnia *tibi ipsi*; tum quid æquali tibi *Proximo*; quid denique illi, qui *supra Omnes* & omnia est, *Deo*, debeas, attendas. Attende igitur: ibimus per ista ordine.

LXIII. Sedulitatis Virtus.

615. A Labore ordiendo, ipsi tibi quid debeas primodùm disce: Nempè conservandi tui circumspectissimam, continuamque *Curam*; sitam in *Labores, Cupiditates, Adversitates*que moderandi æquilibrio, ut ne quid nimis, ne quid minùs.

616. Ante omnia Corporis valetudinem cura, sine qua Animus valere non potest. At non deliciis, sed Vegetatione ac Motu, Corpori afferente robur,

robur, Menti vigorem. In Labore enim viget Virtus: quem rectè Animi vigorem, Corporis robur (Taurum tollet, qui quotidiè gestaverit Vitulum,) sanitatis nutritorem, tedii me dicum, (*nullus Agenti longus dies.*) Virtutum conservatorem, opulentiæ pararium, (fertilissimus ager, Labor) jucunditatis proxenetam, (jucundi enim acti labores) dixeris. Laboris tamen & Otii seu requietis, necessaria est vicissitudo: quia illô, nisi fuerit moderatus, atterimur; hôc, situ contracto, mucescimus.

617. Tu inter utrumque hoc medium tene, omnia tua cum modo age, & ne sub onere fatiscas, vide: sic ignaviæ inimicus, ut non tibi; sic parcens tibi, ut non Torpori ad te patefacias viam. Quam in partem quia peccatur faciliùs, crebriùs calcaribus hîc egent homines, & magis, quàm freno. Tu ergo laboris nullius, (etiamsi concatenati veniant) fugiens esto. Utere te bis nasci non datur. Parùm est non recusare laborem; posce. Nec hoc solùm: cum Achille dic, Laborum portio mea sit major. Nec difficultates metue: labor improbus omnia vincit.

618. Dum ergò Sagittario pharetram vides esse curæ, & suam quemque texere telam: dumque Alexandrum esse audis factum Magnum, non desidendo sed vigilando & agendo (ita enim summo rerum Arbitro placuit, ut summa nonnisi vigiliis consequamur) audendum tibi quoque est aliquid, si vis esse aliquid: (non tibi per ventos assa columba venit.) Aude: audentes fortuna juvat. Quid autem? Arduum aliquid, honestum, gloriosum. Abjecta relinque abjectis Aquila muscas ne captet. Res viles ut non requirunt curam, ita finem habent inglorium. Dic: non est mortale, quod opto. Dehinc manum, cave, habeas sub pallio, exerta sit honestas ad actiones semper (amat victoria curam:) fractâ glacie, vadum desere nunquam.

619. Ignaviæ comes *Otium* nihil nisi temporis perditor, sanitatis destructor, corporis & animi tabes, vivi hominis sepultura, Satanæque (ut Ambrosius dixit) pulvinar est. Otiosum vero per ignaviam quid esse dicemus? Avem sine volatu, Cœlum sine rotatu, Nubem sine pluvia, Instrumentum sine usu: frustrà enim habet, qui non utitur, Vitâ, Valetudine, Ingenio. Qui fallere quærit tempus, fallit seipsum: tempus autem perdit, unà cum illa, quæ tempore parari debebat, rerum benè gestarum gloria. Per templum enim Virtutis itur ad templum Honoris: Ignavi contrà nunquam statuêre trophæum. Tibi ergò etiam in laborū pausa (interquiescere enim licet quandoque, ne arcus nimis intensus rumpatur) ut ne desit, sive quod etiam quiescendo agas, sive quô refocilleris, videndum est. Etiam Somnus ut sit, quod eum esse Tertullianus pronuntiavit, *Corporis recreator, virium redintegrator, operum pacator, laborum medicus, &c.* vide.

LXIV. TEMPERANTIÆ bonum.

620 Divina quidem substantia est Homo, sed cui multum adhæret luti: inter alia *Sui cæcus amor*, qui, quid prosit, obest, non expendens, tantùmque ea, quæ voluptate aliquâ titillant, consectans, semper inter prima vota illud, *Jupiter plue mel!* habet. Sed quia Aurea ubique mediocritas, Dimidiumque plus toto est, Cave, te Cupiditatibus plus æquo dedas! Distrahent te, hinc indè raptabunt te, viâ totâ inquietabunt te, à tranquillitatis portu perpetuò repulsabunt te.

621. Est igitur Virtus placitis abstinuisse bonis: & plus posse, minus velle. Nisi enim abstines, ipsæ deliciæ tibi esca malorum erunt, quâ capiuntur homines, ut hamo pisces. Sed quia opus arduum, sui tenere modum; operosum quoque tibi sit tui, & desideriorum Navis (quâ vita vehitur, & nisi

nisi rectè gubernetur, mergitur) clavum rectè tenendi studium: ne si avidè nimis *Voluptates*, *Opes*, *Honores*, *Scientiam*, consecteris, in teterrima *Helluationis*, *Lasciviæ*, *Avaritiæ*, *Ambitionis*, *Curiositatis*que, prolaberis vitia; à malis tuis consiliariis, *Cupiditatibus*, in mellitum id genus venenum, pœnitudinis dolorumque præludium inductus.

622. Ante omnia *Frugalitatem* tibi habe commendatam, bonæ Valetudinis parentem, corporis pacem, animi lucem, Castitatis murum, Vitæ custodem, longævitatis proxenetam. (Rectè enim dictum: Maturè fias senex, si vis diu esse senex. Sera in fundo parsimonia.) Illa tibi victum præscribet, neque corpori, neque animo, neque fortunæ tuæ, gravem: Fami sitique, non gulæ fastidio consulentem (Optimum condimentum Fames, amara etiam reddens dulcia: hoc qui spernit, alios frustrà quærit gulæ magistros;) Valetudinisque robori, non Ventris saginæ, servientem. Saginam enim corpori, tu studiis dedite, cur accersas, menti futuram sarcinam, animæ tenebricosum carcerem? Jentationes igitur & antecœnia ignora. Laconicè prande & cœna: Etiam bis de die cibis saturati, ad morbum iter est sedentariam agentibus vitam.

623. Non credis? Intuere *Luxum*, Opum populatorem, Valetudinisque vastatorem! *Et abdomini nata ingluvies mancipia illa, macelli barathra, domesticos nostros Antipodas:* qui, dum nos dormimus, vigilant, & pergræcantur; dum nos vigilamus, stertunt! quàm belluinam agunt, (quid! belluinam dixi? bestialem: nec id satis ad exprimendam actionum turpitudinem) Vitam! quàm tuburcinando ingenti aviditate distentum onerent ventrem! quàm se obruant mero ingurgitentque humanam mentem poculis! quàm, Baccho victi, ut victores, tripudia, exultationes, jubilaque agant, cum ovibus balent, cum bobus mugiant, cum subus grunniant, cum lupis ululent, cum serpentibus sibilent, cum canibus ad parietes mingant, vomant & resorbeant, ructibus denique & Ventris crepitibus, merdis & oletis, olidæ belluæ, omnia impleant.

624. Ita ex hominibus bruta fiunt, vorago gurgesque, in quo sua & semetipsos non absorbere non possunt. Vt enim anima sicca sapiens est, ita madidas torpor & stupor opprimit. *Ebrietas* nihil nisi hilaris insania est; *Ebriosus* nihil nisi pumex siticulosus, spongia semper bibula, caminus semper fumans & fumigans, caligineque atrâ Menti eclipsin, noxia meteora Corpori obducens. At quis denique exitus? juxta vetus verbum: *Mali principii malus finis.* Marte enim ipso fortior Bacchus tandem catervas suas sternit: hunc quidem crapulâ, hemicraniâ, vertigine, affligens: illum podagrâ, chiragrâ, gonagrâ, ischiade, calculô, colicâ, discrucians; alium aliis tormentis ac suppliciis sepulchro illidens. Vides, quàm ventris voluptas plus aloës, quàm mellis habeat!

625. *Venerea verò lascivia* quid? pestis hæc simili suos conjicit exitio, sed fœditate majore. Plusquam enim bellualis furor est Veneris abripi incontinentiâ: quum ipsæ belluæ nonnisi procreandi pruritu corpora misceant, semel anno. O igitur exsecranda spurcities hominum, tam crebris adulteriis, scortationibus, concubinatu, meretriciis, lenociniis, Sodomiâ etiam, eheu! animas, corporaque contaminantium! O fœda sanguinis spumatio! O animæ scabies dira! quam quantò quis plus scabit, tantò scabiosior evadit. O ignis gehennæ inexstinguibilis! animam, vitam, famam, salutem æternam adurens & amburens! Salacioribus enim animalibus omnibus vita brevis est: æternam verò impuris abjurat Deus.

626. Cave tamen, credas solos abominabilia hæc actu patrantes alligare sese scelere, culpâ, pœnâ: omnis

muliero-

mulierositas, basiationum levitas, cupidinea cantica, amatorii sermones, oculi salaces, mentisque agitationes lascivæ, in fœditatis & criminis partem veniunt.

627. Te *Pudicitia* regat! quæ flos morum, decor sexuum, sanguinis integritas, bonæ mentis præjudicium est. Sobrietatisque soror, *Castitas*, sit tibi Veneris, & Venerearum cupiditatum, frenum: oculos, aures, manus, linguam, omnia, ab illicitis cohibens, naturæque stimulos (dum messis tua in herba est) legitimi conjugii temporibus reservans: ut juventutis Castitas felici pensetur matrimonio; Quemadmodumque impuro amori multum inesse amari, nec in eventu tristius quidquam esse voluptati obscœnâ, incontinentes experiuntur: ita tu nihil esse dolore, quem scelera vitando subiisti, jucundius, suavissimè ut experiaris.

628. Quantum ad OPES; non quidem de nihilo est, quod quidam canit, *Mundus hic est pelagus, regina Pecunia nauta est, Navigat infelix, qui caret hujus ope*; & quod alter, *Pecuniæ obediunt omnia*: si tamen idolum hoc, larvâ ei detractâ, inspexerimus nudè, aliter apparebit. Nam *Divitiæ quid sunt?* Bonum utique, sed bonum invidiosum; & Onus omnibus desiderabile, paucis tolerabile. Quippè quæ videnti sudes sunt in oculo, stimulus in corde, dolor in animo: habenti verò sunt aureæ catenæ, jucunde prementes sarcinæ, insensibiliter compungentes spinæ, curarum administratio perpetua, peccandi occasio multiplex (si non aliud, *ubi uber, ibi tuber*, h. e. divitiarum comes superbia; quia *stultitiam patiuntur Opes*:) tandem sunt avaro possessori supplicium, quia misera est magni custodia census. *Paupertas autem quid?* Bonum odiosum, bonum tamen: quia securitatis parens (à dispendio pauperes tuti,) curarum noverca, possessio absque invidia, felicitas sine sollicitudine; quippè parvo potens. Nam vivitur exiguô meliùs: quia modicô frui, suavitas mera est, comitante nauseâ. Verbo: *Patrimonium Pauperum Sanitas.* Quid ergò *Avaritiam* esse dicemus? Hydropem: ubi quô plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ. *Avarum* autem? Prædæ voraginem, Metalli mancipium, Auro onustum asellum, Hæredis sui gaudium (Pecuniosus enim semper invenit successorem, tenax prodigum:) opinione divitem, re egenum (*semper avarus eget*, inquit *Horatius*.) Quia nempè tam deest illi, quod habet, quàm quod non habet; dum illo non utitur, nec audet; huic autem impotenter inhiat: nihil enim hydropico siccius.

629. Vis nihilominus *ditescendi* nôsse *artem*? Breviter doceri potest. *Appetentiam minue! ut, quantum sit, quô carere possumus, intelligas.* Opulentior fuit Alexandro Diogenes, qui plus potuit non petere, quàm potuit Alexander dare. Sapiens nunquam inopiâ laborat: quia suâ sorte contentus vivit, &, ne sumptus superet censum, cavet. *Ne tibi quid desit, quæsitis utere parcè*, cantillat Poëta. Rectè; Magnum enim ôs anni. Egebit, sua qui prodegerit: promus magis quàm condus. Non esse emacem, vectigal est: contentum verò suis rebus vivere, maximæ sunt divitiæ. Tu proindè *Assvesce parvo*, ad majora, quàm pro sorte tua, appetitum ne extende! Et verum erit illud Horatii,

Si ventri benè, si lateri est, pedibusque tuis, nihil
Divitiæ poterunt Regales addere majus.

630. Splendida Virtutis merces HONOR est, à bonis & honoratis profectus: quem si quis non mereri artibus bonis quærit, neque se à contemtu vindicare studet, degener est, suique desertor; imò Virtutis ipsius, cujus lauream contemnit, contemtor. Ita tamen Bonæ famæ stadium currere licet, ut per Virtutis viam: Virtute suam secum umbram, laudem, trahente. Sed eheu! quàm rapidus hic è stultitiæ

ſtultitiæ fonte, & ignorantia ſui, profluit *Ambitionis* torrens, ad vana imò perniciosa, permultos abripiens. Qui *ſibi ipſis Suffeni* (ſuum enim cuique pulchrum: Pulchris autem faſtus ineſt) nihil non ſibi arrogare, & inflari apud ſeipſos; aut pennas extendendo nido majores, ad alios de ſe promittere multa, minari magna, jactitare grandia, merèque baſilica facta magnificè (projiciendo ampullas, & ſesquipedalia verba) loqui, audent: quantò majore jactantiâ, tantò evidentiori inanitate, quam ſic apertè, ut vacua vaſa tinnitu claro ſuam produnt. Debent autem tales *Jactatores, animalia gloriæ*, Mundo riſum, ſi quis dicat: *Hic Rhodus, hic ſalta.* Nam quicquid crepat *Thraſo*, tria tamen illi manebunt impoſſibilia ſemper: Tranſilire propriam umbram; Admordere proprium naſum, & Eſſe, quod non eſt. Licet verum ſit illud quoque: *Si fueris Thraſo*, non *defuerit tibi Gnatho.*

631. Tu *Modeſtia*, Virtutū promptuario, tanquam munitiſſimæ arci, inſide. Nihil eſt excelſius Humilitate verâ, ſed neque tutius: dum, *Qui jacet in terra, non habet undè cadat.* Ah ne quære alta! ne invenias præcipitia. Ne quære eſſe *Deus*, aut pro Deo adorari volens *Idolum*, ne concidas ut *Dagon!* Ne quære eſſe *Icarus*, & advolare Soli, ne tibi amburantur pennæ, & mergaris profundo! Ne dicas, *Aut Cæſar aut nihil!* ut ſolent, quibus inter ſumma & præcipitia nihil intereſt. *Vive tibi, tecumq; habita, nec grandia tentes: Effugit immodicas parvula puppis aquas.* Fabulam vulgi fieri, omniumque ore circumferri, quantillum eſt? *Honor* enim publicus quid eſt niſi ſplendor oculos perſtringens mox evaneſcens? imò, niſi caves, præcipitii occaſio: quia plus habent ad ruinam ponderis, quæcunque cæteris altiora ſunt. Quò ſenſu verum eſt illud, *Felix, qui latuit! vivens moriensque feſellit:* (Infelix contrà, qui nimis notus aliis, ignotus ſibi moritur.) Si tamen Deus in luce te ponit, ut luceas, ne fumiges, vide; atque tum bonorum de te honeſtis judiciis gaude, non inſoleſce: Deum agnoſcens omnium bonorum auctorem & actorem, te in manu ejus inſtrumentum. Illius proinde oſculare manum, non tuam: & ſi quid eximium, quod agas, habes, Numine invocato tacitè age; encomia ante victoriam ne canta; Opus ut commendet artificem, aut os alienum, exſpecta, &c.

632. Omniſcii Dei imago jure optimo deſiderat *ſcire omnia.* Sed quæ illa *Omnia?* Omnia, quæ ad communem æternæ vitæ ſcopum, propriamque cujusque vocationem, in qua ſervire Deo & humanæ ſocietati debet, ita conferunt, ut ſine illis cæcus, luſcus, mancus, futurus eſſes. Sed ô vitiorum, vitium, circa inutilia aut vetita *Curioſitas!* quid te niſi ſecum habitandi tædium, per omnia ſeſe diffundendi libidinem, aliena periculo ſuo curandi amorem, ejus quod dicitur, *Bonum eſt extra negotium habere pedem*, ignorantiam, eſſe dicam? O verè Scylla, horrendaque Charybdis! quot ingenia tu attraxiſti, attracta detenuiſti, detenta exitio dediſti!

633. Sed *tu Ratio coërce temeritatem!* Omnia ſcire nemo poteſt, nec fas eſt, nec expedit. *Neſcire, Diſcere, Proficere, ſubindèque aut Hærere aut Errare humanæ Sapientiæ curriculum eſt.* Et qui maximè *multiplicat ſapientiam, multiplicat dolorem*: quia in luce majore magis patent nævi, corrigendique prava tam inolita impoſſibilitas: miſerum autem eſt proficientem angi. Ergò quibusdam ſcientiis incumbendum eſt, aliæ nonniſi à limine ſalutandæ ſunt, nonnullæ penitùs fugiendæ. *Dementia eſt, in tanta temporis inopia ſupervacanea diſcere*, dicit Seneca; Philippus autem Melanchthon:

Non qui multa tenet, ſed qui ſcit idonea Vita,
Hic, dici Doctus cur mereatur, habet.

LXV. FORTITUDINIS robur.

634. In tranquillo quilibet Gubernator est: at cùm crebescunt Venti, surgit Procella, cooritur Tempestas, ibi regere Navem, ne eversa naufragio sorbeatur, hoc opus, hic labor est. Idem de Vitæ nostræ tenore judicandum: quis enim tam albæ Gallinæ filius est, qui non aliquando malo asino vehatur? quis tam prosperè navigare potest, quin periculosis interdum excipiatur fluctibus? Accidere potest cuiquam, quod accidit cuiquam. Nemo scit, quod hodiè serus vesper vehat. Et accidit in puncto, quod non speratur in anno. Quid ergo? *Fortunæ pila* sumus: ne patiamur quoque *Fortunæ ludibrium* fieri. Calamitas, quoties obvenit, vertenda est in Virtutis occasionem.

635. *Fortitudo* hic subveniat, quæ de adversis triumphet. Quis autem est *Fortis*? Corpore quidem, qui gravia elevat super terram: Animò autem, qui seipsum super omnia gravia. *At id quomodo? Primùm*, prædisponendo se ad prospera & adversa indifferenter excipiendum: *Dehinc*, Adversa, si ingruant, amoliendo potenter: *Tandem*, si prævalent & obruunt, ferendo fortiter. In hunc modum qui se vincit, à nemine vinci poterit.

636. Benignus fatorum suorum interpres, & quod fors fert fortiter ferre paratus, (quandoquidem de humana natura participantibus multa evenire humanitùs necesse est) seu res ad votum fluunt, seu præter votum cadunt, idem est; Vir verè Vir, ad subitarias etiam vices, & improvisos casus, masculo pectore Qui pericula sine periculo non superari gnarus, si non eluctari, sed succumbere contingit, tolerantiam adhibens remedio, suffert infortunii sui onus, ut rebus omnibus, æquis iniquis, majorem se ostendat. Ita qui se habet, nihil sui perdidit. Ita in adversis Virtus non perit, sed pergit. Ita magnum faciunt res adversæ, ut felicem secundæ. Ita benè navigat, etiam cùm naufragium facit, qui Virtutem comitem non dimittit. Ita *Patientia* miseriarum portus est securus, Virtutum spectamen certum, irreparabilium damnorum remedium efficax, ærumnarum vitæ condimentum optimum.

637. Quia verò ut non sentire adversa, non Hominis est; ita non ferre, non Viri: verè muliebri animo est, quisquis à prosperis inflatur, ab adversis dejicitur Quod facit, qui omnia facilè sperat, omnia facilè desperat: pluma verè & palea, quam omnis ventus jactat. Qui dum res suæ in sudo sunt, vacillantis fortunæ induciis nimiùm fidit; illa autem tergum vertente, versat se, trepidans in morem galli cujusdam. Dumque fortè infortunio multari contingit, immeritò talia sibi accidere reputans, tragicum lamentatur: & sic lutum luto purgans, sibi autem cicatrices ipsemet suas refricans, aliis risum, sibi dolorem cumulat.

638. Quam animi abjecti charybdim imperitè declinantes quidem, ad stultæ audaciæ scyllam allidunt. Suo enim pede se metiri nescii, dum sibi Hercules videntur, ex cloaca arcem facientes, & in mustaceis laureolam captantes, & ad quamvis imaginosam phantasiam cristas, imò cornua, tollentes, robutque animi aut corporis non impendentes, sed prostituentes, viles sibi sunt, ubi nihil opus, temerarii sui contemptores Demum ubi se ut murem in pice hærere, temeritatisque luituros pœnas vident, insolescere desinunt, exemplo verificantes suo illud: *Felix insolens, insolens infelix.*

639. Quæris jam, quid distent æra lupinis? inter *hominem Adamantinum* & inter *hominem plumbeum*, interque *hominem Euripum*, quid intersit? Illum scias secum habitare, sibique commissa agere; istum esse sui suorumque etiam

etiam in maximè necessariis, desertorem; hunc ardelionem ad aliena plerumque ampi. In motu verò dum sunt, ille in res fertur Leonino incessu; iste Testudineo gradu; hic Tigrino saltu, prædam petitam jam captans, jam deserens. Tum verò masculo ille pectore omnia agit vigilanter, effœminatus iste omnia dormitanter, vertumnus hic omnia volubiliter. Ille ut rupes immota ubique idem est, totus quadratus; iste, nullius rei candidatus, in eo totus est, ut neque compluatur neque Sole aduratur; hic Venti campus, cothurno versatilior, chamæleonte mutabilior. Polypi mentem obtinet ubique. Sed & hoc: ille noster in negotiis festinat lentè: ille sub pallio manum habet semper; hic ut œstro percitum pecus, jam subsultat, jam intersistit, aliud stans, aliud sedens. Illi denique nulla dies abit sine linea; isti omnis huic lineas ducere & inducere perindè est.

640. Tu Deo æternâ rupe nixus, non teipso, (nec enim arundineo inniti scipioni tutum) si te exhibueris difficultatibus, obstaculis, periculis, cedere nescium, semperque (seu pluat, aut claro nunc Jupiter æthere fulgeat) eundem: experieris Virtutis præmium in ipso Virtutis gremio esse repositum. Vera quippè in te quoque erunt illa sapienter dicta: *Gaudet patientia duris. Incus robusta malleum non metuit. Scopulum impetentes fluctus franguntur ipso scopulo manente immotô. Non est Vir, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate.* Illud denique: *Romanus sedendo vincit.*

LXVI. Benevolentia erga omnes promiscua.

641. Cave, dicas, *Proximus egomet mihi:* non enim ex te solo, sed ex te & aliis, humana constat societas. Pars ergò cum sis, totum te non fingas: humanæque societatis bases observans,

I. *Injuriam intentaveris nemini.*

II. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris.*

III. *Fructum feras societati.*

642. Impetratu hæc non difficilia fuerint, si nihil antiquiùs habueris, quàm attendere semper & ubique, cùm *Benevolentiæ*, ne ulli mortalium offensioni sis, aut eum suis in rebus turbes & conturbes; tùm *Æquitati*, ne quem ullo modo injurieris; denique *Clementiæ* ac Facilitati, ut benè mereri de quocunque possis ne intermittas.

643. Offensionem devitabis, observatâ solicitè adversùs omnes, in moribus quidem decorâ *Moderatione*; in alloquiis autem blandâ *Comitate*; in actionibus candidissimâ *Simplicitate*; in dictis & promissis purâ *Veracitate*; in conversando denique lepidâ *Civilitate*, suavi *Unanimitate*, & miti quadam per omnia *Placiditate*.

644. *Moderatio animi* docebit te, ut ex humo factus humilis sis, neque te supra quenquam ex eadem tecum massa factum efferas, animo, linguâ, oculis, manibusque, sedatis, non licentiosis; mollis & placidus, non difficilis aut fastidiosus; verborum tamen parcior quàm prodigalior; magisque ad gravitatem quàm vernilitatem compositus: ut ne unquam doctiorem docere, prudentiorem monere, meliorem increpare, h. e. lumen soli mutuare, velle videaris, eoque audias illud; *Sus Minervam.* Garrulus *æs Dodonæum* est; vas inane, ad omnem contactum tinniens; *Vas plenum rimarum,* hàc atque illàc perfluens; *Graculus quærens graculum, muta Cicada miraculum.* At verò natura coërcendæ verborum petulantiæ vallum duplex, dentium & labiorum, opposuit: quæ quia æquè reduci ac diduci apta dantur, danda esse loquendo & tacendo sua intervalla monemur.

645. Ter tantò tamen cavebis ignominiosis verbis aut factis patientiam irritare cujusquam: Vulnerum quàm contumeliæ patientior est natura humana. Ergò ut nihil cuiquam affingendum est adulando, ita nihil cuiquam detrahendum calumniando, etiamsi

forte

forte occaſio ſit. Nam convitium regerere convitiò, eſt purgare lutum lutò, h. e. fœdare magis. Si reprehendi quis commeruit, meliùs id expeditur coram, & in ſeceſſu; quæſitisque ſtudió verbis, quæ non aſperent, ſed emendent. Neque libertate in alios uti noſtrum eſt, niſi quum id aut imperet, aut excuſare poſſit, Amor. Laudes propriè amoris illecebræ ſunt; Vituperia, odii incitamenta. Odio igitur ut effugias, fuge vituperare: amorem ut emerearis, in laudes ſis pronior; ſic tamen, ut ne putidum asſentatoris incurras crimen.

646. Linguæ tamen humanæ clavem, *Taciturnitatem*, magnam eſſe humanæ tranquillitatis cuſtodem non immemor, frenare ſermonem diſce: loquens nunquam, niſi ubi non expediat tacere; tacens ſemper, niſi ubi non tacere præſtet. Secreta tua vel aliena, Mens fideliter cuſtodiat, Lingua nunquam effutiat: ad verificandum illud, *Stulto cor in lingua, Sapienti lingua in corde eſt*. Affirmare niſi certò certa: negare niſi manifeſtò falſa, nunquam præſumes: alii verò cuiquam quidquam referenti, asſeveranti aut infirmanti, non facilè repugnabis Dicere tibi, *ſit fides penes authorem*, ſuffecerit: nunquam te ſatis ſecurum à deceptione credens, niſi cùm credideris nemini; nunquam ab invidia & odioſo, niſi cùm contradixeris nemini.

647. Nec tamen te hominem nullorum hominum eſſe volo: quia cùm ſociabile animal factus ſit homo, humanitatis expertem te vivere convenit. Magnus ergò amoris conciliator *Affabilitas*, doceat te, ne cujusquam hominis congreſſum fugias; ne quem obvium alloquió (aut certè ſaltem ſalutatione & reſalutatione) indignum cenſeas; ne quem ut ſtatua muta prætereas: omnes tam amare facilis, quàm amari ab omnibus avidus. Si forte ad gravitatem tuendam natura te compoſuit, aut illam officii requirat dignitas, tuere; ſed ita temperatam, ut amorem non minuat, acuat potiùs: ut ſic etiam habere liceat amicos omnes, tametſi non ſingulos ut Larem familiarem colas.

648. *Pectore moribusque niveus eſto*, aut, ſi mavis, lacteus. Quod erit, ſi omnis affectatio, ingenuitatis adultera, procul à te ſit; ſi nihil tui purpuriſſum oleat; ſi ſenſus tuos alienam in fraudem ne obtegas, verba in ambiguum ne torqueas: ſed ut omnia tua ſine nodo, ſine hiatu, ſineque fuco ſint, des operam. Simulationis tamen ita fugiens eris, ut diſſimulationis etiam prudentiæ ne obliviſcaris, quoties id res poſcet: ne animum intempeſtivè nudatum alienæ verſutiæ malè objicias. Utut enim Vir bonus non facilè ſuſpicatur, nec tamen aliis ſuſpicandi anſam dare debet. Utrumque vitium eſt, & omnibus credere, & nulli; omniáve ſuſpicari, & nihil: nimias tamen blanditiarum gemmas, fraudes geminare, vix unquam dubium eſſe poteſt. Cujusmodi blandus *Adulator* per rei veritatem nihil eſt aliud, quàm Hedera arborum amplexans, ipſoque amplexu interiora ejus exedens; vultus fingendi artifex, animo plerumque peſſimo. Quem cognoſcere Viro prudenti difficilè non eſt: ferre aut difficiliùs, quàm Atlanti Cœli molem humeris ſuſtentare ſuis.

649. *Veracis* hominis obtinuerit nomen & encomia, ſi ſermonem ſemper ita depromſeris, ut intimo mentis ſenſui, rerumque Veritati, reſpondere deprehendatur. Nullum ergò verbum ore tuo prodeat, cujus veritatem tueri nolis, & tueri poſſe non confidas. Id ſi fuerit, impetrabis, ut tibi injurato etiam credatur, dignusque videaris, quicum in tenebris micare tutum ſit. Si fidem decoxeris ſemel, actum eſt: fides enim, ut anima, undè abiit, non revertitur. Et certè mendacium araneæ tela eſt, undique pellucet: Mendax verò ipſe aranea, ex ſe fingens, quicquid allubeſcit. Cui tria eſſe videntur neceſſaria; Ingenium

volubile

volubile, memoria firma, frons perfricta: nec tamen sic etiam effugiet, quin patefeat.

650. Interim non satis esse putabis, Veritate placere: quæ formosa quidem satis est, nuda etiam, formosior tamen apparebit decoræ *Urbanitatis* circumdata veste. Sermonis leporem intellige, qui actionibus tuis sales aspergat, omnem rusticitatis absterfuros ærugine. Hunc gratiarum comitatum Morositati, ex atris nubibus nihil nisi triste semper detonanti, oppone, quoties frontem explicare ex usu fuerit.

651. Eget tamen moderamine ludibunda hæc virtus, ut ne, quos delectare quærit, offendat. Ita ergò comparata erit, ut figat aculeos, sed dulces; qui sentiantur, sed cum voluptate. Veneres nimirum tuas pudore decorabis, ne ulla facetia admittatur, & risus, qui probitatis constet impendio, pacificæque hilaritatis dispendio. Amaros ergò sales, acerbas præsentium vel absentium cavillationes, sugillationes fœdas, verecundiæque decoctricem & libidinum lenam scurrilitatem, procul esse jubebis.

652. Studebis & omnium hominum favori, quantum salvo Dei favore licet. Præsertim quorum consortio carere non potes, eos ne offendas, accura; familiares, domesticos, gentiles. Si quem prosperari vides, cave, invideas! (Deus & Sol omnibus idem:) linguâ potiùs animoque fave. Si quid malæ gratiæ suboriri sentis, extingue in favilla flammam, incendiumque præveni: nedum ut ob quidvis ipsemet contentionis reciprocare serram velis, aut alibi de amico quiritari, eúmve differre pipulo.

653. Bilis & Ira in microcosmi systemate ignis locum & munia sustinent, impetui rebus dando, noxiisque comburendis aut pellendis destinata: sed & ipsa, nisi reprimantur debitè, noxia maximè; atque cùm ex alto erumpunt, fulmen verum. Hinc rectè de iræ impetu Poëta, quoties modum excedit, *Ira furor brevis est.* Furor verè! clavum homini, quô se & alios regit, excutiens, Rationem, irrationaliterque ac insanè agere multa cogens. Brevis tamen furor: quia rabies hæc ardore incensa defervescit tandem. Hic ergò fatuus ignis ne grassando sæviat, Mansuetudini dabis operam: Virtuti, quæ bilem frenat, innocentibus irasci prohibet, nocentibus verò non perniciem, sed emendationem moliri docet; moram dans Iræ, ut discutiatur & mitescat, non verò ut ferveat magis, & in odium acescat. Cujus tu ductum sequutus, si erga omnes ipse fueris placidus, ad veniam dandam in te peccantibus non difficilis, alienisque reconciliandis inimicitiis interventor strenuus: mirum ni tam amabile caput redament omnes.

654. At furibundus impotenter excandescens, totusque in fermento jacens, iras evomens, ferrum flammamque minitans, & montes ardentes in alios jacere, cœlumque terræ miscere, tentans, nunquid res turbatas restituit? Imò enimverò tetriùs pessundat, gehennalemque illum ignem, Iram, inexstinguibilem reddit; ut sacerrimis odiis, truculentissimisque cædibus & parricidiis, oppleantur omnia. O intemperiæ!

655. Cui ergò divinius contigit, Divinâ gratiâ, pectus, infernales istas pedibus conculcet furias, compositâque tantùm mente agat omnia. Stomachari, minitari, diras imprecari, vindictâ lætari, muliercularum est, nec probarum: odio verò nocentis (fac enim ita esse, malignè nocuisse hunc vel illum) perdere innocentiam quàm stultum! Tu qui sapis, cò hic redire Virtutis decus scias, ut tu cum nemine litiges, nisi cum vitiis; & multa ignoscas aliis, tibi nihil.

LXVII. Æquitatis normæ.

656. Communio, quæ hominibus cum invicem intercedit, trahit secum actiones certas: respicientes tum contractus,

tractus, quos mutuæ opis causâ inire indigentia cogit; tum præmia & pœnas, juxta meritorum momenta distribuendas. Hic & illic aurigatur, à tramite recti exorbitare nescia, felix omnium commerciorum gubernatrix, JUSTITIA: cui bipartitum illud, commutandi *Res*, & distribuendi inter *Personas* officia & merita, assignatur munus.

657. Justitiæ proindè tenax, alienis nunquam & nusquam inhians, suam cuique possessionem, suaque omne genus bona, relinquit intacta; etiam, quæ in manu habet, à quopiam sibi concredita, non concupiscens, non sibi adsciscens, non celans vel abnegans, sed sanctissimè reddens quia fraudem & vim, tectum & apertum scelus, eodem habet loco.

658. *Commodatum* restituit idem integrè; mutuum æquali valore.

659. Si est, ut quis à te aliquid utendum rogat, commodato; si, ut mutuum petat, credito: cautione tamen postulatâ, seu per syngrapham, seu per arrhabonem, seu per possessionem oppigneratam. Quorsum istuc? quia mortales estis, Commodator & Commodatarius, Creditor & Debitor: nonnullisque fide Punicâ agere, & per fas ac fidem decipere, nulla religio.

660. Postquam verò, qui tuo in ære fuit, nomen exsolvit, tu, qui nomen feceras, redde illi nomen; factâque solutæ pecuniæ professione, securitatem illi præsta.

661. At injuriosam vehementer in seipsum admittit culpam, omnis alieno ita se adobruens ære, ut animam debere non vanè dicatur. Nequit enim, quin anxius, aut molestissimè versuram faciat, nomine nomen expungendo; aut flagitatori suo possessionibus cedat, & se patrimonio exuat; aut denique ineat nexum, luatque corpore. Cujus injuriæ culpam interdum sanguisugæ Danistæ sustinent, incautos fœneratoriis suis aucupiis suos in casses illicientes, solutionem flagitare protrahentes, interimque usuras sorti mergentes & sic ad incitas miseros redigentes, iniquissimi & nequissimi manticulatores, immitissimique quanquam cicures (quippè domestici) piratæ, grassatores, latrones.

662. Ut verbo complectar omnia: Justitiæ cultor nihil, nisi quod fas & jura sinunt patrare, sibi proponat; pactorum, conventorum, promissorumque, fidem intemeratam servet; querelis & expostulationibus nullum uspiam locum faciat.

663. Ergò si qua bona dispensandi ad te quoque redit potestas, absit, ut abutaris absit, ut æquitatis leges violes! absit, ut prosopolepsiam admittas! Laudandos lauda, commendandos commenda, promovendos promove; rursumque reprehendendos reprehende, & castigandos castiga: semper juxta merita, nunquam juxta favores aut odia, ni injustus haberi, & ut justitiæ violator ab injuriarum ultore Deo puniri vis. In delinquentes errore, infirmitateque labantes sævire nihil est opus: neque tamen connivere ad omnia, ut errorem tùm agnoscendi tùm emendandi occasio sit.

664. Beneficium accipere libertatem vendere est: quia se obligat, quisquis accipit. Si tamen usus veniat, ut ambiendum tibi sit, non furtim illud auferes, sed præcariò; modestè, non impetuosè. Atque si certis de causis abnui contingat, mitte importunè instare, mitte indignabundè fremere, mitte malè loqui.

665. Si quando beneficii ejusdem rivales adsunt plures, digniorem præferes indigniori, non contrà. Ipse autem quicquid accipis ab alio boni, esse non immemor memento: atque si rependendo es, referre par pari non intermittito: ut sibi gratiam apud te repositam sciat, quisquis tibi grata fecit: gratiaque pariat gratiam, & tibi, quasi in ipso gratiarum horto educato, conciliet amabilitatem.

666. Contingit aliquando aliorum benefi-

beneficentiam ultrò in nos reflecti. Quod si tibi quoque obtigerit, ut boni aliquid non petenti offeratur, non incivile forsan fuerit paululùm accissare, & quasi talia non promeritus verecundari: repudiare tamen si perrexeris obstinatè, merum rus, mera ingratitudo, censeberis.

LXVIII. Benefica in alios voluntas.

667. Reddere aliis sua, nocere nemini, nullique esse gravem, non explet humanæ societatis sphæram; requiritur insuper, ut omnibus esse usui allabores, juxta illud Catonis:

Si potes, ignotis etiam prodesse memento!
Utilius Regno meritis acquirere famam.

668. Tu ergò Apostolicum illud, *Græcis & barbaris, sapientibus & insipientibus, debitor sum*, tuum facito: & hinc dubios quosvis instruere consiliis, mœstos erigere solatiis, labascentes roborare auxiliis, & quorumcunque necessitatibus quibuscunque opitulari remediis; uno verbo, vitæ serenare, quâ datur, tempestates, tuum esse munus crede.

669. Abundas bonis? abunda & beneficiis. Dives opum sit largus opum! magnos magna decent. Verùm ita: ut beneficia tua non hamata sint, sed gratuita; non cæca, sed prudenter dispensata; non in abundantes, sed in egenos, expensa. (In mare enim aquam, in sylvam ligna, Athenas noctuas ferre, aut Cœlo addere sidera, quid opus?) Da non habenti, & fœnerabis Deo: stips pauperum, thesaurus est divitum. Qui hîc serere parcit, ibi pro messe habebit stipulam. In subveniendo autem alacer esto. Bis dat, qui citò dat: tardè velle, nolentis est. Modò ne benignitas superet facultatem! Da egenti, sed ut ipse ne egeas! Succurre perituro, sed ut ipse ne pereas! Etiam indoluisse malis alienis, ubi non est, quomodo feras opem, misericordiæ opus est.

670. Talis si eris, publico bono videberis natus, erisque in amore bonis (omnibus placere ne Jupiter quidem ipse, seu pluat, seu serenet, potest;) amicos verò usque adeò non desiderabis, ut potiùs delectu inter eos futurum sit opus, quò amici sint re, non nomine. *Quid autem est amicus?* alter Ego, seu alter idem: in quo animi, ingenii, studiique tui veram reperias imaginem, lineis veris, umbrisque veris. Qui si verè talis, optima est Vitæ suppellex, thesaurus vivus, secretorum receptor, infelicitatis refugium. Nec aliud *Amicitia vera*, quam animorum in mutua auxilia fœdus, funiculusque ad non rumpendum nexus: (nam duo defendunt meliùs Retinacula Navem.) Nec Amicitiam veram aliud conciliat quàm Virtutum studium verum amabilisque illa officiorum promptitudo. Morum similitudo amicitiæ gluten. Obsequium amicos, Veritas odium, parit. Non extorquebis amari, sed elicies amore & officiis. Ut ameris, amabilis esto: Magnes amoris amor. Sed & amicitiæ specimen observa Res adversas esse, non prosperas. *In atrio quærere amicum, probare in convivio, errare est*, ait Seneca; *Amicus certus in re incerta cernitur*, Cicero. Verumenimverò sacrum amicitiæ nomen in quæstu nunc est, dum se mensarum asseclæ, divitumque arrosores, parasitastri, & similis furfuris circumventores, in hunc censum referunt.

LXIX. Pietatis ardor.

671. In primis tamen ab illo, à quo habemus, ut simus, vivamus, operemur & proficiamus, & extra quem nihil nisi perditio, & interitus, suspendendum est cor nostrum, illius reverentiâ & desideriô implenda omnia cordis intima: ut nihil sit in Cœlo & Terra, quod ambiamus flagrantiùs, imò animam potiùs deseramus quàm Deum: sitq; Cor nostrum ara Dei cœlesti semper ardens igne, nosque nihil nisi sanctum, tanquam in conspectu throni ejus, agamus & cogitemus. Hoc

si egerimus, prehendet nos dextera Ejus, perque semitas crucis deducet in regionem lucis, &c.

LXX. Coronis Virtutum trina.

672. Perfectio sub Cœlo non datur, in Cœlo nobis servatur: hic errando discimus, & discendo proficimus. Proficiamus ergo tamen, & ad perfectionem feramur. (Verum sanè est, quòd dicunt, *Bonus Vir semper tiro*, h. e. errans & discens. Sed & verum, *Vir bonus* ipsi sibi est Balneator, spongia, pumex, corycæus & castigator: quæ omnia in defectuum emundationem tendunt.) Disce igitur tandem, quid Virtutum fabricam, beatitudinisque tuæ statum, absolvat; nempè cohærens undique Virtutum omnium *Plenitudo*; sincera sine alieni mistura *Puritas*, firmissimaque in finem usque *Perseverantia*.

673. *Plenitudo Virtutum* quid sit, quæris? Functiones in Animæ Republica administrantium plenus chorus. Habet enim Anima regina in sui habitaculi Civitacula omnia necessaria, sapienti regimine administranda. Puta, *Arcem primò* in qua residet, Rationem; ubi Aulæ magistram agat PRUDENTIA. 2. *Oeconomicum statum*, & operatrices, functiones; quibus præsit SEDULITAS. 3. *Horrea, granaria, macella, culinam, cellas tricliniaque sua*; ubi gubernaculum teneat TEMPERANTIA. 4. *Armamentarium suum*, & adversùs hostes apparatum; cui præsideat FORTITUDO. 5. *Forum suum*, cum omnigenis negotiationibus; ubi regimen sustineat HUMANITAS. 6. *Curiam* seu *Prætorium*; ubi dictaturam gerat JUSTITIA. 7. *Nosocomia & Ptochotrophia sua*; ubi res disponat MISERICORDIA. 8. Tandem *suum Templum*, Cor; ubi Antistitem agat PIETAS. Ut ergò in benè ordinata Republica nihil horum abesse potest, salvo ejus statu: ita benè ordinatæ Animæ tuæ ut horum præsidiorum nihil absit, advigilabis. Atq; ut Catonem aliquem, plenam scilicet Virtutum imaginem, referas; certabis cum Prudente quovis, circumspicientiâ: cum Sedulo, industriâ; cum Modesto, continentiâ; cum Magnanimo, fortitudine; cum Affabili, humanitate; cum Iusto, æquitate; cum Benigno, liberalitate ac officiis; cum Pio, etiam ipsâ pietate. Sed & hoc: quandoquidem ætas quæque peculiaria sua ornamenta habet (aliam enim ætatem alia decent) curabis per totius vitæ cursum decentem Virtutum comitatum tibi non deesse. Lucescat res exemplo juvenilis, virilis, senilisque, ætatis. *Ingenii Adolescentis Pictura est*, Facies, modestiæ radiis coruscans; Os, serâ clausum; Aures patulæ; Manus pedesque plumeæ; Vestis nitida; Oratio blanda, &c. *Ætatis major, sit virtutibus major*, strenuitate inprimis ad negotia, &c. *Senum lumen* est mortis meditatio: quoniam cui nasci contigit, mori restat. Nataque omnia denasci fatorum lex est. Horam igitur decretoriam prospecta senex, dum facies tua computat annos. Etiam tamen si alterum pedem in Charontis cymba habeas, discere ne cesses; ut Virtutibus quàm cumulatissimus hinc exeas. Singulæ enim Virtutes singulis coronis fulgebunt.

674. *Sinceritas Virtutum* quid requirat, petis? Hoc unum, ut *sis, quod videri vis*, omniaque tua à fuco & labe aliena sint, mens sine persona, animus sine illuvie; ut è puro cordis fonte pura fluat omnium actionum aqua. Etiamsi hominum oculis glaucoma objicere possis, conscientiam tamen Dei & tuam reformida. Præstat esse quam videri: Melius pallens Aurum, quàm fulgens Orichalcum. *Hypocrita*, agni pelle tectus lupus est: statua extrinsecus formosa, intrà spiritu & vitâ cassa; sepulchrũ extra dealbatũ, intùs fœdum, miserandusq; suiipsius deceptor. Dum enim vivens decipere se putat Deum & homines, moriens inveniet se deceptum à seipso. O miser, multa scias oportet,

oportet, Deum ut fallas! Ah te stolidum, qui ob hominis præsentiam scelere abstines, ob Dei non abstines! Oculos hominis veneraris, & oculos Dei conspuis! Cave, cui vel mica sanæ mentis est: & quod Homines de te mali nescire vis, id ne feceris; quod Deum, id ne cogitaveris: huic enim cogitationes etiam patent; patescentque, illo revelante, Mundo universo. Et tum quid de te fiet? Apud homines cogitationum pœnam nemo luit: apud Deum cogitatio pro facto est. Si ergò æternam confusionem evitare vis, fac, pura Virtus purum in te habeat domicilium. Aurum igne probatum eris, si omnes simulationum scorias in te exusseris.

675. Quoniam verò finis opus coronat, demumque à bellariis commendatur epulum: ne in limine deficias, néve tandem à lineis excidas videndum tibi erit. Ut ne de te dici possit, Cœpisti meliùs, quàm desinis; ultima primis distant. Rubus esto propriæ basi innixus, moveri nescius; imò Rupes immota, quam nullæ procellæ, nullique fluctus, dimovere queant. Inconstans palea est, quovis vento agitabilis Vertumnus. Ergò tibi à recta Conscientia non transversum unguem in omni vita discedendi, propositum sit fixum. Sicubi tamen extra callem iri animadverteris, ne turpe putes referre pedem: optimus pœnitenti portus, mutatio in melius consilii.

676. Habésne jam perspectum, quàm in tuo luco & fano situm sit, felicitati frui, si usque & usque sic agas? Perbeatus, si consudaveris subigere tibi te, ut nemini præter Deum mancipatus, tui sis juris, Deique & tuo tantùm agaris nutu. Cœlum digito attigit, se contentus. Vir verè bonus vera est imago Dei: imò Deus, si assimilatus Deo: (cum grano salis accipe. *Quisq; sibi Deus est, vere qui se sciat uti.*) Animi tranquillitas Virtutis præmium est: fastigium hoc assequutus, supra fortunam eris. *Inæstimabile bonum est*, SUUM FIERI: irraparabile contra damnum, SUI AMITTERE GUBERNACULUM. Regnum amisit, qui regere seipsum desiit.

LXXI. Artes Sermocinatrices, Lexica & Grammatica.

677. Dissertata hactenus, de sublimitatis humanæ muniis, obiri possent praxi, tametsi κατὰ πρόσωπα in scena Mundi essemus. Atenim quia ad societatem factus Homo societatis vinculum accepit, *Vocalem* linguam, multiformem illam Sermonis architectatricem: hæc ipsa quoque accuratè defingi opus habet, ut aptum sit communicationis mutuæ instrumentum. *Quid enim est Sermo?* Mentis utique effluxus, animi character, sensuum vehiculum, Mentis ad mentem nuntius, sapientiæ vel stultitiæ proditor: (hinc illud lepidum, *Loquere, ut te videam.*) Imò est ipsa cogitatio sonora, ipsa Mens sensibilis facta: cui esse nudæ, aut laceræ, sordidatæve, turpe fuerit. Ne igitur sit, *Lexicographus & Grammaticus, Rhetor & Orator, Poëta & Musicus*, pro se quisque satagunt.

678. Habere *Opum* suarum *Repertoria* providæ dispensationis fundamentum est Oeconomo, rerum non prodigo: quidni & Vocum Linguæ studioso? Verborum delectus Eloquentiæ radix est: delectus autem nisi in copia esse non potest; neque copia nisi in collectione. Colligit ergò Lexicographus curatè, ut ne quid omnium, quæ ad Linguæ thesaurum spectant, absit. Tum collocat prudenter (sequestrando à civibus advenas, à Vernaculis vocibus exoticas, à legitimis nothas & hybridas; reducendoq; filias in sinum matrum:) ut ne quid alibi quàm suo loco exstet. Lucem denique explicationis affundit singulis, ut nihil appareat nebulosum, sed clareant discussâ caligine omnia.

679. *Grammaticæ* impendenda est cura; quia *Linguæ serperastra, Scientiarum clavigera, Eloquentiæ ipsius* gubernatrix

trix est. (Nec enim in Oratoriæ Oceano quisquam navigabit secure, nisi Grammaticâ ad clavum sedente.) De partibus Orationis ita habe: *Litera*, est sermonis semen; *Syllaba*, primum germen; *Vox*, caulis; *Phrasis*, culmus, geniculis jam distinctus; *Sententia*, spica granis referta; *Periodus*, spicarum manipulus; *Oratio*, messis plena. *De Analogia* si quæris, quid sit? respondebo; *Communis Civitatis lex*. *Anomalia* verò, privata quorundam immunitas, speciali privilegiô, aut præscriptione temporis, concessa. *Barbarismus*, singulorum civium exorbitatio: *Solœcismus*, cum vicinis litigium.

LXXII. Rhetoricandi & perorandi ars.

680. Venerem Minervæ jungendi machinamentum *Rhetorica* dicta est, eloquendi res sapienter architectatrix: præliari docens non tantùm fortibus, sed & fulgentibus armis. Nihil ergo aliud *Eloquentia vera* est, quàm Sapientia sonora, Textus gemmis picturatus, Suadæ philtrum animis propinatum: cujus solertia est, *Posse pauca multis, & multa paucis, dicere*; posseque exaggerare parva, extenuare magna. Anima tamen Eloquentiæ est, *æquare sermonem rebus*, quò sibi auditor omnia, quæ recitantur, non audire, sed videre, videatur: atque sic res potiùs loqui, quàm Verba; & loqui mentibus, non ventis. At *Mare verborum, gutta rerum*; & sono implere aures, animos vento; & adhibere ad extollendum res parvas Eloquentiæ vim (Herculis ita cothurnos adaptando infanti, & cum Cerdone inepto calceum magnum inducendo pedi parvo) *falsa* proculdubio *Eloquentia* est, rebus faciens fucum, mentibus ludibrium: iisdem licet utatur, (abutatur, dicere volui) artis instrumentis, *Tropis, Figuris, Gestibus*.

681. Nam si aleni Vestitûs & personæ assimulatione æquè deceptio fieri potest, atque fit delectatio in scena: quidni significationum inter Verba permutatio, quæ Tropis inest, æquè suaviter fallere, atque suaviter docere, possit? Exemplis faxo res patescat.

682. Si quis dissimilia quasi similia metaphoricè efferendo, Virum bonum adversùs calumniam modestè sese defendentem, vel *latrantem Canem*, vel *murmurantem Ursum*, vel *astutam laqueos declinare gnaram, Vulpem*, appellet: annon Metaphoræ potens abusus est? annon innocenti potenter nocere potest? Idem erit, si quis eundem Virum bonum per *Ironiam, Heus bone Vir!* compellando, probitatem ejus in dubium vocet. Nec aliò sensus recidet, si Virum simplicem per *Metonymiam adjuncti* (Ironiæ junctam) *sanctam Simplicitatem*; aut per *Synechdochen partis* (Metaphoræ junctam) *Animam exsuccam* vel *Truncum inertem*, dicat.

683. Augent Troporum splendorem (& si abutaris, præstigias) *Allegoricæ allusiones*, *Hyperbolicæ exsuperationes*, *Mioticæque extenuationes*: nec non Verborum singulorum vel addita *Epitheta*, vel opposita *Antitheta*, vel mutatoria *Synonyma*, vel denique *Periphrastica* circuitiones.

684. Specimen vis? dabo utriusque, usûs & abusûs. Siquando sermo erit de verè bardo, eleganter *Allegoricus* dixeris; *loquere lapidi, quicquid voles, non audit, non sentit non movetur*. *Hyperbolicus* autem, *Totus plumbeus* est (vel Plumbum non est plumbum, si cum hoc conferatur.) *Mioticus* denique, *Minus quàm umbra est*. Quorum nihil de modestè simplici Viro rectè dixeris; aut si dixeris, imperitiem vel intemperiem prodes tuam.

685. Homo *stultus* agit *stultè*. (2) Non *errat* sed *delirat*; negotiaque *non celerat, sed præcipitat*. (3) Præcipitat, dico, h. e. *pessundat, corrumpit, perdit*. (4) *Cui non est sanum cerebrum sani consilii habet nihil*, &c. Quæ omnia loco suo, de re verè tali, dicta, elegantiam habent: alibi, ubi res non subest, ventus sunt.

686. *Figurarum* usus est, ad res vel affectuosiùs quàm vulgari serie, vel suaviùs

suaviùs, proferendum: Utrumque enim affectat Orator, & mulcere aures, & movere animos. Affectuosiorem reddit Orationem, & patheticam magis, per *Figuras Sententiæ*: Sententiam ab ordinario modo, pronuntiativo, in alium insolentiorem, transformantes. Suaviorem verò sermonem facit per *Figuras* (quas sic appellare consuevêrunt, sed angustè nimis) *Dictionis*; quibus in eadem Sententia, aut Periodo, similes Syllabas, Voces, Phrases, artificiosè ad harmoniam disponit.

687. In *Sententia figuranda* adhibemus 1. *Exclamationem*; ubi aliquid miramur, aut alios mirari volumus. 2. *Interrogationem*; ubi auditorem veluti languescentem novam ad attentionem (quâ rem ipsemet æstimet) concitare quærimus. 3. *Reticentiam*; ubi plus intelligi, quàm vel dici possit, optamus. 4. *Correctionem*; ubi aliquid jam dictum altiùs expendi & inprimi cupimus. 5. *Occupationem*; ubi auditoris præjudicium metuentes, maturè destructum imus. 6 *Concessionem*; ubi objectioni obviando, aliquid concedimus, ut aliquid obtineamus. 7. *Apostrophen*; ubi auditoribus veluti diffidentes, alios vel testimonio (contra duros & pervicaces) vel auxilio (in gaudio aut luctu) invocamus. 8. *Prosopopœiam*; ubi nostræ quasi diffidentes eloquentiæ, alios pro nobis loquentes, & auditorium nostrum patheticè alloquentes, introducimus. Vides, hæc ad affectus, concitandos aut sedandos, tendere omnia?

688. *Periodus figuratur similium Dictionum* (aut certè saltem Syllabarum, sæpè tamen Phrasium aut integrarum Sententiarum) repetitione; idque jam continuâ, jam interceptâ, perque Sententiarum vel initia, vel fines, vel utrumque, variata: & quæ plura de hac re, liquidè satis, Rhetorica tradunt præcepta. Undè perspicis, Oratorem hic nihil aliud agere, quàm ut identidem veluti cantillando, auresque & animum titillando, audiendi plura desiderium prolectet, & in attentione sese continendi studium excitet.

689. *Ornamentorum Rhetoricorum accessio* sunt, 1. *Sententiosè dicta*: 2. *Verba provata*, vulgò nota: 3. *Extemporanea heroum* profundioris sensûs, *responsa*: 4. *Artificiosè ficta* (de rebus aliis, quàm quas intelligi volumus) *historia*. 5. Quibus omnibus scitis *Similitudinibus*, & *Exemplis*, affundere lucem novit Orator: stylo semper terso, sæpè floruleto, quandoq; emphatico pôderibus pleno.

690. Diversitatem loquendi *Stylum* vocant: instrumentum scilicet verba tabulis insculpendi. Qui aut mucronatus est, *Laconicus*; aut in longum productus, *Asiaticus*; aut ex utroque temperatus, *Atticus*. *Laconismus* (Spartana eloquendi ratio,) multa paucis dicere conatur, sed cum sale ac venustate; verba contrahens, sensum extendens, & veluti linea recta, inter duo puncta brevissima, nusquam evagans. *Asiatismus* Orationi habenas laxat, macilenta Rerum ossa carne complere, pinguedineque differcire, curæ habens. Exilis tamen, & justo brevior stylus, quid nisi Orationis *Phthisis* est? Sicuti rursum verbosa nimis, & sine profundo sensu, Oratio, quid nisi *Hydropisis*, non sanguine bono venas implens, sed crudâ intercute aquâ turgens? & foliorum luxurie distenta sed fructûs expers, arbor? & formosa, sed spiritu cassa, statua? (Non enim ejusdem est, & multa & opportuna dicere.) Ergò *Asianus tumor Attico sale siccandus est*, Oratioque rebus æquanda. Tu interim, sive multa sive pauca dicis, cave, nimis humi serpas! cave, humum vitando nubes & inania captes! Mediô tutissimus ibis.

691. *Orator*, à principali suo fine suadendi & dissuadendi artifex jure dicitur: ab argumenti tamen diversitate Orationis statum facit triformem. Cùm enim in themate aliquo astruendo vel destruendo versatur (id quod Intellectum informare est) vocat statum *Demonstrativum*: cùm suasionibus aut dissuasionibus occupatur (Volun-

tatem ad bonum flectens, à malo avertens) *Deliberativum* : cùm accusat vel defendit, (h. e. Potestatem incitat aut cohibet) *Juridicialem*.

692. Ne autem Oratio sit labyrinthus, nebula, tricæ, (nec habens caput nec pedes, extra oleas vagabunda) dividit eam luculenter in membra & artus. Nam præmisso *Proœmio*, dormitantium excitabulo, ut ne verba faciat mortuis, bono auspicio præcavet. Deinde *negotii cardine*, in quo tota ejus moles versatur, clarè ob oculos *posito*; *Veritatem* argumentorum, quæ à se faciant, armis *propugnat*; *figmenta* verò & *mendacia* solidarum refutationum ictibus *arietat*; donec illam satis vindicatam, hæc prostrata, videant, qui audiunt omnes. Quâ ratione Auditores non ducit, sed trahit: mentesque non Verborum strepitu, sed ratiocinationum indissolubili catenâ captivat, & nexis benè Sententiarum nodis adstringit. Tandem ultimo missu, veluti post Saliarem cœnam, bellaria apponit, *Epilogum* argutum: quò dictorum recapitulatione institutâ, acutisque aculeis roboratâ, tanquam infixis animorum parietibus clavis, ut, quod hæret, hæreat, efficit.

693. Congeminat verò gratiam, qui eleganti Orationis compositioni elegantem addit pronunciationem: consistentem in decenti, & res ad vivum repræsentanti, *flexu & nexu Vocis, Vultûs, Manuum, totiusque Corporis*. Quæ omnia aliter, ubi res placidè agitur, aliter, ubi vehementiùs urgetur; aliterque in lætitia, aliter in tristitia &c. moderanda sunt: Gestu se ubique Rebus examussim accommodante. Hoc scilicet est non linguâ solùm, sed oculis, sed vultu, sed digitis, sed corpore toto, loqui eoque *bis loqui*. Verùm si usquam, hìc attendendum est illud, *Ne quid nimis! Ne vities Musicam!* nempè ne gesticulatione nimiâ histrionem potius quàm Oratorem agas. Ubique ars est, hìc etiam, arte occultanda; Rhetoricis coloribus logici nervi, & vicissim.

694. Dantur & gradus Eloquentiæ: quum aliis verba quidem ex facili fluant, verba tamen, aliis & res & verba mediocriter; alii verba sic promunt, ut mentes premant, pectore simul & ore eloquentes: id quod tibi danda opera, ut hunc sapientiæ humanæ attingas apicem. Fulminare enim in auditorum auribus, in animis autem relinquere aculeos, & multitudinem trahere velut aureâ catenâ (ut ab ore tuo pendére videantur) veri Oratoris opus est. Absque hoc fuerit, in summa etiam verborum copia judicii se prodet inopia. At verò *Cicerones, Hortensii, Demosthenes*, nostro ævo ubi sunt? De verborum Lenonibus, Eloquentiæ lumina in vaniloquentiæ flumina adhibere suetis (quorum non deest proventus) dicere licet: *Plumas video, Avem non video. Rabula* namque Rhetoris vappa est, clamare præ cæteris, non orare, gnarus. Atque tum *Avis è cantu dignoscitur*: quia *qualis Vir, talis oratio*.

LXXIII. Poëseos & Musicæ artes.

695. Disces & *Poësin*: *sermonis* puta *in numerum & mensuram exeuntis blanditias*. Non tantùm quia ita seculum est, ut artis hujus rudis minùs censeatur eruditus: sed & quia Orator poëticis inventionibus & numeris non exercitatus, vix unquam satis erit plenus, satisque jucundus. Hinc Ciceronem ipsum, enixam Oratoriæ navantem operam, versificatum fuisse constat.

696. Sermonis ad leges *Rythmi* structura non operosa est, suam tamen suavitatem (tum à numero syllabarum, tum ab ultimarum consonantia, quam *Homœoteleuton* vocant,) habet. Ut si pro, *Omnia in Mundo somnia sunt*; dicas, *in Mundo omnia nil nisi somnia*: cantillare enim videberis, jucundâ aurium delectatione. Quare & in Musica sacra utiliter adhibentur, & in rebus quibuscunque faciliùs memoriæ, firmiùsque, imprimendis.

697. Plus tamen artis & variationis,

nis, eoque ſuavitatis & admirationis, habet Metrum, omnia in ſermone (Syllabas, Voces, Sententias) ad numerum, menſuram, pondus reducens. Cùm enim Rythmus quædam tantùm, Metrum omnia, ad harmoniam concinnet, palam eſt imperfectum ibi, perfectum hîc, eſſe artificium: cujus tamen leges tradere non hujus loci ſit.

698. Hoc tantum: Poëtas excogitâſſe, pro varietate occaſionum & materiarum, varias Poëmatum formas. Ut ad Heroum recitanda facinora, *Carmen heroicum*: ad excitandam in Conviviis hilaritatem, *Carmina melica*, ſeu *lyrica* (ad lyram ſcilicet decantanda; quas & ideò *Odas*, h.e. cantilenas, vocârunt:) in honorem Neogamorum, & ad ſuſcitandum conjugalis amoris flammam, *Epithalamia*, læti caſtique argumenti. In ſepulturarum pompa adhibentur *Epicedia*, Verſus flebiles. Avellendos à nobis amicos proſequimur Verſibus *Propempticis*, ad fovendã inter abſentes quoque mutui amoris memoriam. Dum alii in alios (tecto plerumque, aut ficto, nomine) ludunt, *Epigramma* dicitur: cujus anima ſales ſunt, & urbanitas, & acumen, & ambiguè dicta, arguta denique brevitas. At ſi quis Poëta ſtylo laxiore, & majori parrheſiâ, apertiùſque, non in perſonas, ſed in vitia, invehitur, *Satyram* vocant, publicæ alicujus ſcabiei acre abſterſorium, ideòque ingratum ſæpè. Quia tamen Satyra neminem offendit, niſi qui ei argumentum præbet, licet ſatyrici ſtyli naturam alphabetaria quædam animalia non intelligant, non tamen propterea inter odioſa haberi debet. Nam *Ridentem dicere verum quis vetet? Licuit ſemperque licebit parcere Perſonis, dicere de vitiis.*

699. Et quamvis Poëtæ naſcantur veriùs, quàm fiant (ipsâ naturæ harmoniâ quorundam mentem & linguam in numeros & menſuras abripiente, ut de ſe dicere, quod Ovidius, *Quicquid conabar, dicere Verſus erat*, queant:) quia tamen Inventionem acumen, & inventa infinitâ varietate eloquendi ſuavitas, admirationem ſui movet; non immeritò felicioribus Poëtis laurea corona, velut Ingenii regnum promeritis, imponitur.

700. Nec tamen ibi etiam conquievit aurium ſuavitates venandi libido: ſed quemadmodum *Oratores* ingenioſæ compoſitioni ingenioſam addunt pronuntiationem, ita *Muſurgi* argutæ carminum ſtructuræ argutum excogitant modulamen. Quod non tantùm in accommodanda ſyllabarum quantitati Vocis celeritate & tarditate; aut aſcenſione deſcenſionéve toni, conſiſtit: ſed in eo potius, ut melos ipſum accommodatum ſit materiæ, læta ſonans lætè, triſtia triſtè &c. ad provocandum, quem volumus, affectum. Cui uſui excogitati ſunt Modi certi. *Lydius*, *Phrygius*, *Dorius*, *Ionicus* &c. ſive cantillando Voce aſsâ, ſive adſonando Organis ſonantibus, quod Pſaltæ & Pſaltriæ faciunt.

701. Sed artificium plenum in diſcorde ſonorum concordia, quam Symphoniam vocant, ſpectatur. Licet enim Vocis humanæ aſcenſiones non niſi tres (imparibus ſemper intervallis: 1, 3, 5: vel, 2, 4, 6,) variationem tamen indè provenientium interminabilis eſt multitudo: ſive Symphonia ſit Bicinium, ſive Tricinium, ſive plena quatuor, quinque, ſex, octo &c. Vocum.

702. Admirere Muſicæ vim, Eliſæum citharâ melancholiam pepuliſſe, Davidem ipſum Satanam fugâſſe, legis. At nunc apud nos plures ſunt *amuſi* quàm *Muſici*. *Plures* Midæ (quorum aures meliùs implet vox Corvi, ac modulatio afficit Philomelæ) quàm *Amphiones*, quos teſtudine domare feras (feros intellige mores) delectat. De quibus rectè uſurpes illud: *Harmonice factus non eſt, qui non delectatur harmoniâ.* Quibus nos valere, & ſuos boatus, mugitus, grunnitus &c. ſibi habere juſſis, ad culturæ humanæ reliqua progrediamur. *In fine cognoſcitur, cujus ſit toni cantio.*

LXXIV. Ars

LXXIV. Ars Medicinalis.

703. Philoſophiæ ambitum vidiſti: cujus *Primogenita filia* MEDICINA *eſt*, ars ſanitatem corporis præſentem tuendi, amiſſam reſtituendi; *pretioſiſſimum Vitæ cimelium*: non ſine cauſa *Ars divina* dicta, quippè tota benefica; quod Dei proprium.

704. Radices illi dat Cognitio trina: *Sanandi, Sanantis*, & *Sanationis*. *Sanandum* intellige Corpus humanum, cum tota ſtructura & varia temperatura ſua: cujus rei notitiam ſibi arte Anatomicâ (quam nonnemo *Lanienam Hypocraticam* vocavit) comparant. *Sanantia* ſunt Remedia, alterandi vim habentia, undecunque comparanda, potiſſimum tamen è Vegetabilium & Minerabilium regno; unde Medicum eſſe Botanicum & Chimicum neceſſe eſt. *Sanatio*, ipſe actus activa paſſivis applicandi eſt, requirens artem & regulas, experientiamque: quam acquirunt eum Medicinam factitantibus, ægros, & Noſocomia, viſitando &c.

705. Utut verò à laudabili veniat initio, in multorum tamen deſinit exitium, quòd tota hominum ſocietas medicaſtris differta eſt. Periculosè enim in corpore humano pericula facit inexpertus medens: ſicut & experientiam citra rationes jactans *Empiricus*. (Hinc eſt, quòd *Empirice ars muta* dicta ſit, quia cauſas reddere neſcit) Plus præſtare videntur, qui rationis ductum ſequendo *Methodicè* curant. At quia tibicinibus experientiæ non fulta ratio fallit facile: laudabiliter Galenus, (Medicorum Deus) *Methodicen Empirica* jungere docuit, Medicinamque *Dogmaticam* fundavit.

706. Noſtro ævo percelebratur ſingularis illa medendi ars, quam ab *Hermete Trimegiſto* venire volunt, & *Hermiticam*, *Spagiricamque* nominant: quæ ignis vi mineralium & vetegetabilium corpora diſſolvens, milleque modis transformans, & admirabilem ſe ob remediorum ſubtilitatem, & formidabilem ob ſummum incautè tractantibus diſcrimen, reddidit. Enixè hi *medicamentum panchreſtum* veſtigant, alii in Terra, alii in Aqua, alii in Aëre, in Igne alii: ſed verendum eſt, ne *Navim* è *ſcalmo* fabricent.

LXXV. Juris-Prudentia.

707. Philoſophiæ moralis filia, æqui boniq; cuſtos, pacis & tranquillitatis inter homines procuratrix, *Jurisprudentia* eſt: in eo ſita, ut quis humanæ Societatis *Vincula* intelligat; ut, quibus *Caſibus* frangi, infirmarive, ſoleant, ne ignoret; ut, quibus rurſum *Adminiculis* redintegrari queant, ſciat.

708. Vinculorum nomine veniunt Leges & ſtatuta, ſive ſcripta, ſive non ſcripta, natura tamen vel uſu dictante recepta, Leges dico *de Jure*, quod quis habet *in Perſonas, in Res, in Actiones*, ſuas vel alienas.

709. *In Perſonas jus*, ſeu poteſtas eſt, cujus vi alii aliis præſunt, eoſque ſibi ſubeſſe volunt, requirunt, cogunt. Cujuſmodi jus eſt, quod Maritus habet in maritam, Pater & mater in liberos. Herus & hera in ſervitia ſua, Tutor aut Curator in pupillum, & qui in poteſtate publica eſt in ſubditum ſuum. Nullâ tali obligatione cuiquam devinctus, *ſui Juris* dicitur.

710. *Romanos rerum dominos*, dixit Poëta. Sed rerum Conditor rebus dominandi jus in totam humanam gentem contulit: qui & uſi ſunt jure ſuo indiviſâ poſſeſſione primitùs. Demum multiplicatis, uſurpationemque rerum mutuò ſibi præripientibus, leges præſcribi neceſſe fuit, ut quo jure quis hac aut illâ re uti habeat, conſtet: unde jus abſolutum, *Dominii*; & jus pacto conceſſum, *Poſſeſſionis*; vel jus miniſtratorium, *Servitutis*, diſtingui ſolent.

711. *Actionum jus* eſt poteſtas in aliquem, pro illo, aut contra illum, (juxta pacta conventa, & his contrariis delicta) agendi.

712. *Caſus* vocant, omne id, per quod

quod Vincula societatis rumpuntur, aut labefactantur: ut cum quis proprium jus (in rem vel personam) deserit, aut alienum invadit, aut pacta, condicta, promissa, violat, litigiorum sic excitans fumos.

713. Quibus unum est *Remedium*, ut res & persona quæque suo restituatur loco, juxta juris præscriptionem. Juris autem nomine veniunt, cùm Naturæ dictamina, tùm tacito Gentium consensu receptæ consuetudines, tum denique statuta provinciæ aut Civitatis unius.

714. Fit autem sæpè, ut verba legis diversimodè interpretentur litigantes, quin & contrariè, quisque pro se; nec judici semper, quô sensu accipiendum sit, liqueat. Hîc ergò hærentibus succurrere Jurecõsulti est; cui cum omnium Iurium omnes apices perspecti sint, (esse certè debeant) ex collatione similium simili in casu decisionum litem dirimere in facili habet.

715. Quia verò ut Grammaticus sine authoritate, ita Iureconsultus sine lege, loqui erubescit; & in tanta casuum varietate, quantam humanarum rerum confusio infert, lex clara sæpè deest, authoritates allegare, vel infinitas, more illis receptum est. Quæ res ut Legum studio pompam affert, ita difficultatem auget & tricas.

LXXVI. Theologiæ studium.

716. Facultatum suprema, studiiq; humani apex, *Theologia* est, Dei ad homines interpres, mysteriorum ejus clavigera, viæ de Terra in Cœlum vestigatrix & monstratrix: radicem habens profundam, ipsissimam Humilitatem, (nec enim se aquæ cœlestes aliò quàm deorsum effundunt) sed se supra omnes altissimos cœlos fastigians, in æternitatem ipsam.

717. Basis ejus *Divina* sunt *Oracula*: quibus æternitatem inhabitans ille, de invisibilibus suis quantum voluit, quantumque nobis expediri judicavit, detexit: quæ ad plenum scire, intelligere, atque interpretamentis falsis (sunt enim, qui hic toto cœlo errant) defendere, aquilam in nubibus facit.

718. Pernimiũ autem interest, quomodo quis hanc Divinam tractet artẽ. Sunt enim, qui Scripturas per Scripturas interpretando, lucem à luce fœnerantur. (Prudenter! Lunæ siquidem radiis non maturescit botrus; ad assequendum Divini arcani sublimitatem humana non conscendit ratiocinatio.) Sunt rursum, qui sublimia Dei eloquia ad infantilem parvulorum accommodant balbutiem, debilibus oculis Solem non in fulgore suo, sed in umbra, ostendentes. Sunt, qui constituto Credendorum, Faciendorum, Sperandorumque syntagmate, cœlestem illum Oceanum per suos diducunt alveolos. Sunt, qui Scripturas Armamentarium rati, Bella pro veritate vindicanda inceptant, Exercitus collectant, armant, prœliis cum invicem concursant; reti ventos captantes. Sunt, qui potiùs corda in obsequium Dei trahendi amore, hamos indè fabricant & uncos. Sunt, qui Animarum securitati consulendi desiderio scrupulos, qui Conscientias urgere solent, colligunt; molliendisque illis, & emovendis, è Divino myropolio malagmata quærunt. Sunt denique, qui in Verborum Divinorum apiculis arcana mysteria olfactant, vento plerumque se & alios pascitantes.

719. Ita quatuor Facultates, in quibus Eruditi Deo & humanæ societati serviunt, vidisti, tu Studiose. In quo quadrivio constitutus, *Elige, cui dicas, tu mihi sola places*: hoc est, quam primariò colas studio, quum ea sit mortalitatis nostræ conditio, ut excellere in omnibus nemo unus possit. Memento tamen, non fore amare solam, sed solidam: ut ne frustrum Philosophi, Medici, JCti, Theologi, sed solidus Philosophus, Medicus, JCtus, Theologus, fias; adeoque, si potes, illustre

illustre Philosophiæ, Medicinæ &c. sidus. Quod eris, si fueris in Philosophicis non verbosus de rebus discursator, aut ventosus de opinionibus disceptator, sed veritatum potens demonstrator. Sique Medicinam professus, totus fueris sanitas, morborum à te & aliis profligator. Iura professus, totus æquitas, injuriam inferens nemini, propellens ab omnibus. Professus Deum, totus sanctitas, lux & sal, à terrenis corruptelis te & alios præservans.

LXXVII. Commercia Eruditorum.

720. Ama Libros, ama Scholas quisquis erudiri politè amas: sed & ama multùm esse cum Eruditis, teque in eorum consuetudinem immergere penitùs. (*Dirigit ad rectum bonorum Virorum conversatio,* inquit Seneca.) Nempè ut barbarus inter barbaros, sic doctus inter doctos, politus inter politos, pius inter pios, evades: quemadmodum qui in Sole ambulat, alium licet ob finem ambulet, necessariò tamen & circumfulgetur, & concalescit, & coloratur. Segregem proindè vitam, solitariaq; studia, tibi non commẽdo.

721. Sanè quidem etiam *Lector* gnavus (utpotè alienæ Eruditionis collector, sparsæque per Voluminum sylvas Sapientiæ Venator) vivorum & mortuorum cohabitator & confabulator est. Cui mutæ conversationi ut cum voluptate vacare queas; *Musæum,* thesaurarius ille carcer, in secessu tibi sit, ubi halcyonia agas perpetua. *Libri* verè, thesauri ipsi, non sint de trivio (aut è circulo) ignobiles atque proletarii, & qui ad numerum tantùm faciant; sed conquisitissimi, graphici, Sapientiæ infundibula vera, aurei toti. (Aurum enim nisi in aurifodinis non reperies: luto & paleis dives erit nemo. Tametsi enim Virgilius è stercoribus etiam Ennii colligere sciat aurum, gemmulas è luto, Virgilios tamen non multos producit natura.)

722. Obiter tibi refrico illud: *Aurora Musis amica!* Cùm nempè Phœbus radiis suis provocat occultas rerum, ingenii etiam, vires. Matutinum igitur somnum, tanquam studiorum pestem, vitabis; antelucanas lucubrationes amabis: modò ne sint nimiæ, ne fumidæ, ne fœtidæ. Quin & totis antemeridianis horis homo est homo, pomeridianis vix semihomo: illas proindè tibi & Musis, has amicis & externis negotiis tribues.

723 Dum verò Authores, veteres & juniores, qui perspieacitatem suam communem in usum exposuerunt, revolutas, (ut ne venatio tua muscarum sit sed ferarum) Rebus potiùs attendes quàm Verbis; aut si his etiam, propter illas tamen, non contrà. Nec enim trituram instituimus propter stramen, sed propter frumentum: & fit utrumque nostrum. Illa verò Eruditionis per Authorũ sylvas venatio tua, trino constet actu. Primùm curabis, ut expansis attentionis cassibus, prædam petitam intra Intellectûs indaginem concludas. Dehinc, ut, quicquid sic in casses incidit captives, inque pandectarum tuorum carceres referas. Tandem, ut repetitionum clunaclo mactes, animæque pabulum & saginam indè pares (Quandoquidem *ea solùm scimus, quæ memoriâ tenemus.*)

724 Quemadmodum autem infeliciter ab uno solo perageretur venatio, sodalitium ibi mutuas tradentium operas requiritur: ita hîc tibi sapientiæ Venatus tui non ex sententia succedent, nisi venationis adsciveris socios, aut socium saltem, cum quo tibi mutua sit omnium lectorum communicatio, non intellectorum verò acrior ventilatio; eoque modo amicum industriæ concertamen. Ita *Ferrum ferro acuitur, Ingenium ingenio.* Ita *Manus manum lavat.* Ita *Botrus oppositus botro maturescit.*

725. Velim autem, à te impetres, & in morem tibi vertat, ut inter eundum etiam, & deambulandum, & inter viam, codicillos, vel pugillaria, tibi abesse nunquam patiaris: ad consignandum,

nandum, si quid vel inopinanti incidat, seu inquirendum seu inter acta agendáve referendum: ut ne quid utile aut pertuso memoriæ vasi effluat, aut à reliqua cogitationum turba exturbetur.

726. Quòd si tuam Eruditionis negotiationem omninò vis lucrosiorem, non gravaberis bonarum literarum adire (longinquis etiam peregrinationibus) Emporia, ibique magnas animas, literarum proceres, viros scriptis aut famâ nobilitatos, publicam Scholam habentes, & à se quaquaversus sapientiæ spargentes radios, videre, audire, alloqui, inque illorum te consuetudinem immergendo, *à cœlo ad terram percontari:* & sic ubivis Gentium excellentiora ingenia tibi reddendo tributaria, alienasq; opes in tuos congestando thesauros, splendidè locupletari.

727. Nec inibi strenuum desiderabis commilitium: in quorum familiaritatem si te dederis, undiq; proficiendi ansas tibi paraveris. Maximè si scito illo vaframento, quod *Gellianum Collegium* vocant, sciatis uti: nempè diligentiæ lucra ita conferēdo in cumulū unum, ceu communem sportulam, ut collectam indè summam dividi, & à singulis partem duntaxat accipi, non sit necesse; sed quisque consortum totius indivisæ sortis in solidum fiat possessor. Accedent in stimulos Academica theatra: exempla puta eorum, qui superatâ ruditate, de Ignoranti (Voluptatumque Sirenibus) triumphum agunt, Magistrorum & Doctorum titulis in eruditorum luce coronati, & ad alios docendum publico Academiarum testimonio auctorati. Licet enim non omnia possimus omnes: videre tamen per Virtutis callem ad Honoris templum nobis præiri, facit fiduciam.

728. Stratagema unum, opes literarias magnis accessionibus augendi, restat: quò etiam ad illos, quos adire non datur, irrepere, deque illorum thesauris, quod in rem tuam sit, elicere valeas. Machina hæc sunt epistolicæ scriptiones, ad absentes etiam penetrandi medium præsentaneum: cujus beneficio aliquem multiscium, aut in peculiari aliqua disciplina pulchrè versatum, quoties libet consalutare, integrum est.

729. Epistola etenim quid nisi incarceratus, alioque missus, nuntius est? isque tam fidus, ut nec proditurus nec perditurus sit quidquam eorum, quæ commiseris. Ne tamen prodere queat, sigillorum vinculis constringi solet, tradique fido comiti, Mercurio alicui (sed qui nonnunquam ignorat se Bellerophontis, aut Uriæ, ferre literas;) aut denique elinguari, ne vocalis sit, sed tacito nutu, ex composito, agat.

LXXVIII. Rei Domesticæ lustratio.

730. Væ soli! Solitudini enim tenebræ, segnities, tristitia, scopuli & tempestates, imò sterilitas & interitus, insunt: Societati vicissim lux, amœnitas, deliciæ, mutuique solatii & auxilii præsidia, fœcunditas, & vitæ (unus enim moritur, Collegium non moritur) si verè societas est. Nempè ut radii Solis multi, lumen unum; & Arboris rami plures, robur unum: sic in Societatibus humanis cohabitantes multi, cohabitatio una, placida, salutaris. Quod ut fiat, reduci necesse est multitudinem ad certos greges, colligarique certis legibus, ad retinendam mutuam concordiam. Ergò à Regno bellum, ab Urbe seditiones, à familia rixæ, ut à pectore proprio catarrhi; animique perturbationes, pellenda sunt.

731. *Domus* quid, nisi parva Civitas? Familia quid, nisi parva Respublica? Domi suæ quisque Rex: familiola sua cuique Regnum. Ubi Mariti, Parentes, Heri & heræ, cum imperio præsunt; Maritæ, Liberi, Famuli & famulæ, cum obsequii laude subsunt.

732. Nidus familiæ, *Domus*, ut Minervæ opus videri queat, elegantisque Civitaculæ imaginem referat, habebit in loco *Mœniorum Parietes, tutamentaque externa,*

externa, cancellata vel clathrata: Loco autem *Portarum, Januas* repagulis benè firmatas: Et vice *Platearum* benè ordinatarum, *Conclavia* ordine pulchrè disposita, pro vario usu. In *Fori* vicem, sit Atrium, seu aula communis, ubi familia tota, dum usus requirit, conveniat. Pro *Curia*, erit separatum Patrisfamiliâs *penetrale Granarium* publicum repræsentabit *Cella penuaria*; *Topinam*, *Culina*; *Diversorium Cubicula:* *Armamentarium* denique *Armaria*, *Cista* &c.

733. Etiam quæ Civitatis munditiei serviunt (ut Porticuum, Arboretorúmve umbracula, Balneæ, purgamentorumque Urbis receptacula, & Foricæ) abesse à Domo eleganti nequeunt. Ut sunt secessus varii, malluvia, cloacæ & matelliones, necessariæ Domuum appendices.

734. Est quoque rerum & functionum convenientia, ut hìc & illic omnia procedant inconfusè. Nempè sicut in Republica quisque Civis habet suam possessionem, & quæque possessio suum Possessorem: ita in familia res quæque sibi destinatum locum, & locus quisque res, quibus receptandis destinatur. Et sicut ibi quodq; munus publicum suum habet Curatorem, & quisque Civium suam functionem: ita prorsus in familia. Accurata rerum, personarum, actionumque distinctio, elegantiæ fundamentum, diuturnitatisque custos est.

LXXIX. De Statu Connubiali.

735. Primum & imum Oeconomicæ vitæ statumen, *Connubium* est: duorum scilicet in unum coalitio, pro multiplicanda sobole. Indè siquidem proveniunt Parentum imagunculæ, Domûs columnæ, Prædecessorum suorum futuri successores, nova Mundi progenies, novusque Mundus. Et quorum dein gratiâ (nec non domesticarum operarum causâ) servitia aluntur, cum aliis Oeconomici status instrumentis.

736. Meminerint autem quos hic ordo copulat, Maritus & Uxor, nomina hæc sua dignitatis esse, non voluptatis. Nec tamen voluptas honesta aberit, si honestatis observabuntur leges: paritas inprimis statûs & ætatis, ne sit undè alter alterius nauseam concipiat (*Mater enim benevolentiæ similitudo,*) & à sanguinis contagio immunitas, ne exosus Deo & hominibus admittatur incestus, (*Pares cum paribus facilè congregantur.* Juvenes juvenilia amant: *Cascus cascam ducat.*)

737. In ambiendo Matrimonio prærogativam lex naturæ, & gentium consuetudo, ad Viros detulit: ubi tamen sententiâ deerrant insigniter, quicunque in uxore ducenda primarium ad dotem, aut formam respectum habent. Nam *Dos* quid est? plerumq; offuciæ oculorum, ineptitudinis tectorium, servitutis uxoriæ auctoramentum. *Indotata enim in potestatem venit Viri: dotata dominari vult.* Hinc Poëta: *Intolerabilius nihil est quàm femina dives.* *Forma* autem quid? Flos marcescens, Oculorum viscus, Rationis fascinum, Thesaurus custoditu difficilis, quippe in propatulo gestandus.

738. Agendum verò hìc, quia Conjugium res sacra est, circumspectè, graviter, honestè. Primos amoris cœptus det Virtus, speratumque ex tali Matrimonio honestum aliquod utile. Tum procedatur ordine, ab Alpha ad Beta: à detecto scilicet, per nuptiarum auspices, amore, consensus quæratur legitimus, seu Parentum seu Curatorum, demumque adamatæ ipsius.

739. Atque tum, impetrato consensu, convenitur solemniter, petitque Ipse Virginem à Parentibus vel Curatoribus sibi despondere: qui filiæ nuptias cum illo paciscuntur certo sponsionum contractu; Sponsusque oppignerat sibi Sponsam annulo pronubo, aliisque insuper sponsalitiis largitionibus.

740. Nu-

740. Nuptiarum solemnia quando instant, confluunt ad officium tota gentilitas, agnatio & cognatio, cum invitatis aliis, qui *nuptialem cœnam* condixerunt. Ubi ab Ecclesiaste connubio junguntur stabili, fideque sacratâ ultrò citròque data benedicuntur: cantanturque boni ominis ergo *læti Hymenæi* seu *Thalassiones*.

741. Nuptiali Festivitate peractâ commutantur nomina Sponsi & Sponsæ in *Maritum* & *Maritam*: Accessioque fit titulorum *Soceri* & *Generi*, *Socrûs* & *Nurûs* &c. in signum Familiæ auctæ, nondum quidem in *Cognationem*, *Affinitatem* tamen. Requiritas discrimen? *Cognati* sunt ejusdem arboris rami: *Affines* aliundè allati, & eidem stirpi inoculati, surculi.

742. Cæterum quia conjugali vitâ solatia vitæ quæruntur (usque adeò, ut feliciter natum negent, qui non feliciter maritatus: conjuxque dicatur aut perpetuum refugium, aut perpetuum tormentum) dabunt recens nupti & nuptæ operam, ut mutui amoris flammam mutuæ observantiæ officiis foveant, & mox inter initia radices figant: quandoquidem *quomodo se dant prima, sic omnia*.

LXXX. De Statu parentali.

743. *Conjugium est plantarium DEI*, ad plantando propagandum genus Dei, quod sumus ipsi nos. (Act. 17. 28) Sterile igitur est *Hortus infrugifer*: nec abs re dicunt, *Conjugium sine prole est dies sine Sole*. Sed vicissim fœcundum, est curarum seminarium perpetuum. Liberi enim quid sunt nisi jucunda Parentum solicitudo? at benè, quòd jucunda.

744. Pariendi molestia Matres premit, quandoque etiam perimit, vario casu. Est enim, ubi utero gravis partûs doloribus succumbat, vitamque alteri datura sibi abscindat. Et est, ubi abortum passa partum non ad vitam edat, sed ad mortem elidat. Est rursum, ubi felici partu non geminam tantùm prolem, sed & trigeminam, suscipiat. Ideò Deus Creator, cui procreatione generis humani servitur, parturientibus & puerperis multa indulgeri permisit.

745. Obstetrices, Genitricum adjutrices, recèns natum tenerrimè exceptum providè curant: qui vagitu & ploratu suo futuræ suæ calamitatis propheta sibi est (seu, ut Plinius extulit, *conditionis suæ fragilitatem ploratu ominatur:*) quam utinam bonâ educatione tam avertere studerent nutricii, quam ploratum delinimentis sistere non intermittunt.

746. Solet enim Mater, aut mercenaria nutricula (*supposititiam Matrem* vocavit Varro) suaviolum suum gremio impositum fovere, amplexu tenere, deosculari, dissuaviari, ubere suo (*sanctissimo illo fonte humani generis educatore*, ut Gellius vocat) nutrire: infantulus verò ipse trahit alimentum maternum, sensim sine sensu durioribus assuescens pabulis.

747. Sed puerorum-gerulæ muneri datur, conspurcatum (nec enim tenella ætas rationem sui habere potest) emundandi, fomentis calidis à frigoris injuria tutandi, circumgestationeq; super ulnas ad sessitationem adsuefaciendi.

748. Depulsus infans à lacte, *initiatur Edulia, Potica, Cuba*, ut formulis antiquis Varro loquitur: consuescendo nimirum edendis solidioribus, utendoque communi potu, & cubando duriùs, & incedendo firmiùs, raro ante bimatum. Residuum infantiæ transigitur, tentando voces articulatas, & lusus exercendo imaguncülis, crotalis, tintinnimentis, pulchralibusque variis. At petulantiùs agentibus minitari mos est Striges, Gellones, aliasque imaginarias formidines: sed vera lasciviencium pusionum medicina, Betula est.

749. Inter prognatos utroque Parente eôdem, germanitas est: semigermanos appellant eôdem Patre, diversâ Matre, natos: infimum fraternitatis

gradum obtinent uterini, eàdem scilicet editi Matre, sed Patre (cujus nominis hæredes, & familiæ propagatores, fore sperantur) non eodem. Consanguinitatis in Agnationem & Cognationem distinctio non sine usu à JCtis introducta est. Vitricus si Patris probè fungitur partibus, aut Noverca Matris, ut *Própater* & *Promáter* habendi sunt privignis.

750. Progenitorum tuorum ordo sursumversus (*Patres* & Matres *naturâ* numerando) hic est. Parentem tuum antecessit *Avus tuus*, hunc *Proavus* (quem & *Tatam* dixerunt antiqui) *Abavus*, *Atavus*, *Tritavus* (addit Ausonius ex ICtis *Tappum*;) Respectu Matrum verò, *Parens* tua, *Avia*, *Proavia*, *Abavia*, *Atavia*, *Tritavia*. Hos qui genuerunt, *priores*, *antiqui*, *majores*, *veteres* & *prisci*, dici solent.

751. Progenies rursum nostra (eorum, qui à nobis genus ducunt, aut, si Mundus stabit, ducent) sunt, *Natus*, *Nepos*, *Prónepos*, *Abnepos*, *Atnepos*, *Trinepos*: ex altero verò sexu, *Nata*, *Neptis*, *Proneptis*, *Abneptis*, *Atneptis*, *Trineptis*. Si quos ultrà deorsum cogitamus, *Minores* nostri dicentur, & *posteri* seu *posteritas*, *posteriorum ætas*, *Et nati natorum*, *& qui nascentur ab illis*.

751. Per lineam verò collateralem si ascendis, erit Patris tui frater, *Patruus* tibi; soror, *Amita*: Matris verò frater, *Avunculus* tibi; soror, *Matertera*. Avi frater & soror, *Propatruus* & *Proamita*: Matris *Proavunculus* & *Promatertera*, &c.

735. In distinguendis aliis cognatorum nominibus ad superstitionem diligentes fuerunt quidam: quæ tamen quia rariùs usurpantur, confusè volitant. Tibi suffecerit non ignorare, ex fratre & sorore progenitos promiscuè dici *Sobrinos*; duarum sororum, *Consobrinos*; duorum fratrum, *Patrueles*.

754. Sed *redeamus ad lineas*, Parentum erga liberos officia! Caput felicitatis (in familia) est, bona Educatio; fons calamitatum & perditionis, indulgens ætatis primæ curatura; quia vitium primæ concoctionis non corrigitur in secunda, multò minùs in tertia. Et *omne malum dum nascitur, faciliùs opprimitur: tardiùs, dum in veterascit*. Certè quos corrumpit adolescentia, non emendat *senectus* (quæ *non conducit fatuitati:*) *Frangas citiùs, quàm corrigas, quod in malum induruit*. Ergò *principiis obsta!* quicquid noxiè possit crescere, maturè amputa; à pravorum consortio parvulum arce, ab ineunte statim ætate. Id nî cavetur, fores fenestræque ad nequitiam erunt apertæ. (Nempè quia, qui *picem tangit, contaminabitur*, &, *cum claudo qui ambulat, claudicare discet*. Virtutum igniculi ut in flammam surgant, monitis & exemplis impetrare quæres. *A teneris assuescere multum est*, in bono & malo: quia *consueta relinquere difficultatem habet*.)

755. Liberi, liberaliter nati & educati, reverenter habeant non tantùm Genitores suos, sed & mandata eorum ac nutus: frenarique se, & habenis regi, patienter patiantur, donec lubricum juventæ exeant. Parentibus obmurmurare, refragari, cornua obvertere, perduellio est, morte luenda. (Deut. 21. v. 18. &c.)

756. Hæreditatem colligere liberis, suum esse mementote Parentes! at justè, & moderatim! ne verum cedat illud, *Opulentus aut iniquus ipse, aut iniqui hæres*; Item istud: *Condus quærit promum*, invenit etiam. *Optima hæreditas Virtus*: Opes tamen moderatæ Virtutis instrumentum sunt.

757. Decessuri maturiùs, & ante liberorum completos annos, præficiunt illorum adolescentiæ, seipsam regere ignaræ, custodes, adversùmq; injurias, protectores, qui, ne orphani harpyiis præda fiant, vigilent. Accipit hunc pupillus annis minor, nomine *Tutoris*; annis major (qui excessit quidem ex ephebis, non tamen eâ virtute est, ut sibi relinquendus videatur) titulo *Curatoris*. De quibus ultima Parentum voluntate (hæc autem ambulatoria est usque ad mortem) facta dispositio, *Tabularum Testamenti* (seu Tabularum supremarum) venit nomine.

758. At quando inter Filios non deest ætate plenus, rerumque usu pollens, familiam ducendi jus illi competit. Imò nonnullibi gentium solus primogenitus in Patris locum succedens ex asse fit heres, fraternitati nullâ re præter educationis curam obligatus: quod *Primogenituræ jus ad Familiæ axioma in flore conservandum facit,* &c.

LXXXI. De Contubernio Famulari.

759. Ita habet familia ex propagata sobole, solâ constans gentilitate: quâ ad majorem numerũ perducta, aut rursum ad justô minorem (quocunque casu) redactâ: necesse est ad operas domesticas juvandum aliundè accersi servitia, utriusque sexus: ad quorum rationem *Pater-* & *Mater-familiâs* nomina commutant, ut *Heri Heraque* dicantur.

760. Hi autem undè? Pristino more (alicubi gentium adhuc retentô) qui bello capti non occiduntur, sed, ut serviant, servantur, addicuntur gravissimo servitutis jugo, sive iis, à quibus capti, sive quibus eadem cum potestate (ut, ni servitiô placeant, occîdi possint) venditi. Nec ferè mitior fuit sors eorum, qui extremâ aliquâ adacti necessitate semetipsos, aut liberos suos, venundabant: nisi dominorum suorum demeriti clementiam libertate donati, manuque cum testimonio, scripto missi (undè & *chartularii homines* dici cœperant) fuissent. At quia usurpata istiusmodi hominum in homines duritas & diritas apud nos exolevit, Iureque Imperiali sublata est, tenuiores Christiani ad obsequia ditiorum sese addicentes, non Servi, sed Famuli (ex Latinæ linguæ usu) dicendi sunt. Neque quisquam servilia servitia optet: cùm verissimè dictum sit, *Quot servi, tot hostes.* Nempè quia ingenitus omnibus libertatis amor, libertatis obsessorem odisse cogit. Haberi proindè Patroni, & esse clientulis suis benigni, præferant.

761. Nec propterea potestati herili decedet quidquam, quin, quos mercede suâ conductos pane suo alunt, iisdem singulos indies laborum distribuendo pensa, justa quoque operarum demensa jure suo exposcant. Modò ipsi prudenter munia personis, & personas muniis, committere sciant (non jubendo *volare Asinum.* aut *Leporem venari Bovem*; vel *dando Cani paleas, Asino ossa*; aut *committendo Ovem Lupo, canistrum Cani*; vel *alligando,* ut ajunt, *Canem agninis lactibus,* &c.) Tum & hoc, ut tuis plùs quàm alienis fidas oculis (*Oculus Domini saginat equum*) omnia in ordine continendo, singulaque characteribus suis signando. Quanquam enim *Lupus numerum non curat,* tu tamen tua faciliùs ab alienis dignosces, & à raptoribus vindicabis. *Famulorum autem partes quæ?* Heros, ut Patronos suos, amore prosequantur, observantiâ advenerentur, jussa bonâ fide peragant, ab admittendis in re familiari dispendiis abstineant, turbas excitare caveant: ni sibi prurire dorsum, & titillari fuste, velint.

LXXXII. Rei Oeconomicæ Metamorphoses.

762. Nihil in humanis fixum, fluxa omnia: ubi autem fluxus, ibi variatio, etiam in Familiæ statu, loci aut personarum respectu. Ibi per *Migrationes*; hic per *Diruptiones*, multiformes.

763. Nam ad Familiæ auctum eousque incrementum, ut Domus una capax ejus non sit ampliùs, nec forte sustentationi sufficiat locus unus, aut majorum commoditatum ubiubi aliàs spes affulgeat; mutatio fit sedis, transmigratioque alioversum: sive partis familiæ in novam coloniam, sive totius. Ubi res moventes (antiqui *ruta casa* vocitabant) colliguntur unàque cum hominibus & pecore transportantur vel transvehuntur: *res a soli* distrahuntur & commutantur pecuniâ.

764. Conjugii jugum, ex mente authoris Dei, debuit esse indissolubile: violata tamen ab altero conso[rti]um tori

ori conjugalis fides libertatem suam alteri reddit, reamque probri aut supplicio tolli, aut desertione puniri, permittit. Per fastidium autem solum, aut propter alias leviculas causas, remittere uxori nuntium, & dirimere connubia, res barbarior est, quàm ut à quoquam honesto admitti debeat.

765. More comparatum est, ut si cui Liberis orbo esse contingit, arroget sibi aliundè, quem Filii nomine decoratum heredem scribat: aut viceversa Filium degenerem, vel Generum nefarium, ab hæreditate excludat, vel etiam à totius generis familia abalienet.

766. Cujusmodi mutationes immutationem quoq; juris (maritalis, herilis parentalis, adferunt: dum qui Uxori repudiũ dixit, juri in eam suo renuntiavit, illâ sui juris suique mancipii factâ; Qui Filiam marito collocavit, juris in eam partem potiorem in alterum transtulit: qui verò abdicatum Filium filiali jure privavit, jure simul patrio seipsum exuit; Qui Famulum servitio dimisit, arbitrium sui eidem reddidit. Verumtamen quoties viduatus Maritus ad nova transit conjugii fœdera; aut orbus Pater extranea adsciscit pignora; vel servitii indigens Dominus aliquem in familiam adscribit: toties rei familiaris lacuna expletur integerè.

LXXXIII. Respublica: ubi recognitio Urbis.

767. Plurium Personarum contubernium facit Familiam; plurium Familiarum consociatio, *Rempublicam*. Quæ ut *Navis* est, cui multi vitas fortunasque suas committunt, ut ad communem felicitatis portum unâ vecti, pro communi salute curas jungant. Alii ergò ad clavum sedent, alii remigant, alii vela dispandunt aut contrahunt, alii alia agunt.

768. Velificatio isthæc Familiarum requirit, primo communem *Navem*, ex multis compactum structuris. *Pagum* vocant, aut *Vicum*, si ruri posita, & absque mœniis: Oppidum & Civitatem, si Opificiis & negotiationibus referta, murisque aut vallis cincta. Deinde, Ordinem inter omnes Navigationis hujus socios bonum, ordinisque Vincula firma. Felicitatis enim politicæ prora & puppis in eo est, ut alii præsint, cum sapientia, potentiâ, authoritate; alii subsint, cum obsequii & mutuæ concordiæ studio. (*Sapientia sine potentia paucis prodest; Potentia sine sapientia nocet multis: juncta verò illa in aliquo, quem adversus temerarios authoritas armet, publicæ salutis basis sunt.*)

769. Gubernandæ verò Republicæ modus trinus est, Democraticus, Aristocraticus, Monarchicus. Est enim ubi omnes promiscuè Rempubl. gerunt, per vices gubernacula capessentes & sibi reddentes. Et est, ubi primarii duntaxat Civitatem vel Provinciam administrant. Est etiam, ubi unus solus ad Clavum sedens, omnium saluti invigilat.

770. Allubescitne illud plenius Reipublicæ domicilium perspectare, Urbem? Quod ibi spectandum venit, sunt requisita habitationis *tuta*, *amœna*, *commoda*.

771. *Tutam* præstant Circummunitiones firmæ, Obvallationes altæ, Fossarumque circumductiones profundæ: cum angularibus Propugnaculis, & excelsis, pro statione Vigilum, Speculis.

772. Portæ majorum Urbium turritæ sunt, duplices aliquando, triplicesque, præmunitæ vallis, fossis, pontibus, &c.

773. *Amœnitatem* Urbi conciliant, Positio loci grata; Montium & fluminum, aut maris, Prospectatio jucunda; Turrium altitudines visendæ; Platearum benè normata dimensio, decoraque amplitudo; Structurarum denique omnium luculentus nitor.

774. Ad festivitatem facit, si Civium Domus omnes porticibus antror-

sum

sum procurrentibus decoratæ sint, quæ tempore pluvio, aut æstu fervente, gratas præbeant tum sessitationes, tum deambulationes, perque Urbem totam transitus. Nec non strata Viarum usquequaque lapidata, necubi in Urbe ambulantes per cœnum vadare, & sese collutulare, aut per lubricum lapsare, sed ubique ut in xysto, vel palatii alicujus aula, amœnè inambulare, necesse sit.

775. *Commoditati confert,* si Urbi nihil nocivum adsit, nihil salutare absit. Ibi intellige Aëris insalubritatem, quem alicubi crebræ putridæque stagnationes exhalant, aut fœtida & venenosa antra exspirant: hîc necessaria Vitæ requisita, Soli ubertas, Aquarum abundantia, lignatio facilis; & quod ab arte venit, Ædificiorum publicorum instructus idoneus.

776. *Structura publica* sunt publicis negotiis peragendis destinata loca: quæ splendidiùs exædificata *Basilicas* vocant. Uti sunt, *Senaculum*, sedes ac templum publici consilii. Et *Prætorium*, aperta judiciorum palæstra: (cui adstrui solent pœnalia claustra, *Carcer*, sceleris luela.) Tum *Ærarium*, thesaurorum populi receptaculum. Et *Armamentarium*, tormentorum muralium conditorium. Et *Gymnasia*, juventutis literatæ ludi. Et *Templorum sacraria*, Religionis sedes. *Balnea* denique, publicum munditiei præsidium.

777. Eòdem pertinent publicæ miseriæ & misericordiæ spectacula & apparatus: quibus *Ptochodochiorum, Nosocomiorum, Orphanotrophiorum,* & *Xenedochiorum*, præferuntur tituli. Et publicæ quidem necessitatis admicula, privatæ tamen sæpè avaritiæ aucupia, *Caupona*, *Popina*, advenarumque *Diverticula* & *Hospitia*.

778. Ordinis quoque boni est, vendendis & emendis rebus diversis diversa assignari loca: ut citra confusionem quisque, quò promercalia bona deferenda, aut ubi quærenda sint, sciat. Hinc oppidis majoribus tot distincta *Fora*, Olitorium, Piscatorium, Pecuarium, &c.

779. Nec non etiam: ut Opificia, quæ spurcitiem & inquinamenta habent, aut sine fragore, strepitu, crepitu, peragi non possunt, in suburbana relegentur, &c.

780. Præcipua verò esse debet *Aquæductuum* cura, ne tam necessarii elementi ullibi per urbem penuria sit. Excellit hîc montanarum scaturiginum, si has vicinia suppeditat, subterraneos per canales in Urbem derivandi; aut illis negatis, aquæ fluvialis per machinas tractorias quaquaversum diducendi: aut si Flumen quoque desideratur, Puteorum per omnes plateas (si non per singulas domos) fossandi; demum, si fortè fundus saxosus sit, aut latices neget, Cisternas per singulas domos ita, ut, quò se pluvialis aqua colligat, non desit, constituendi industria.

LXXXIV. Sodalitatis Civicæ officia.

781. Civili multitudini esse benè non potest, nisi ei vitam inspiret ordo: quò sua cuique functio assignetur, administreturque impræpeditè; aut si veniat præpedimentum, amoveatur expeditè.

782. Populus Civitatis dispescitur in Reipublicæ *Curatores*, Magistros officiorum, (vocatos ad fasces seu suffragatione seu sortitò;) & in *Patricios* veteris prosapiæ, natalibusque claros (homines apud Romanos tria nomina habentes, Prænomen, Nomen, & Cognomen;) *turbam* denique *proletariam*, capite censam, quibus & homines sine censu, & sine nomine, ignota capita, fex urbis, accensebantur.

783. Qui cum potestate præsunt, sunt vel *Patres Conscripti, Senatus* (à Senio dictus, apud Senes enim sapientia: quanquam & fieri solet, ut ætate juvenes, mente sint Senes,) vel *Judices quæstionum*, pacis & concordiæ sequestri; vel *Plebis Tribuni*, libertates suas populo

ſartas tectas conſervantes; & quibus *Ædilitas*, ſive ædium ſacrarum, publicarum & privatarum, committitur cura.

784. Tribunorum plebis non eadem eſt ubique ratio, aut numerus, vel adminiſtratio etiam. Hoc illis commune eſt, *Videre, ne quid res Populi detrimenti capiat*; ferreque leges rogatione populi approbatas, *Scita decretaque Plebis*; ſed quæ tum demum rata, firma, fixaque ſunt, ſi authoritate Senatûs rata habita, confirmata, comprobataque fuerint.

785. *Senatus* eſt ampliſſimus ſummuſque ordo, non abs re ſanctius interiuſque conſilium dictus: ubi tamen non ſemper omnes ex æquo conſiliorum auctores ſunt, quidam enim in aliorum duntaxat ſententias manibus pedibuſque eunt, indè *Pedanei Senatores* dicti. Nam utut conſultantium multitudo robur & authoritatem habet, adinventio tamen conſilii ab uno ferè aliquo prodit. Undè & deſperatiſſimus in caſibus, ad unum aliquem totam conſiliorum transferre vim, in more fuit Romanis: nec unquam aliò quàm ſalubri eventu.

786. Oppificia profeſſi ordinatim quoque agere ſua gaudent: concenturiantes ſeſe in claſſes & ſodalitia, ad quæ novitiorum admittitur nemo, niſi qui artis ſuæ experimentum dare, ejusque gnaritatem opere aliquô exquiſito probare, poſſit. Poſtremi de vulgo ſunt trivialis illa & circumforanea turba, quæ ſervilem operam ſuam in dies ſingulos aliis atque aliis locando, mercenariam animam ſatis miſerè, & quaſi precariò, trahunt.

787. Cives in mutua conſpirare auxilia, ſibique invicem præſtare (pro re nata) operas, prorſus addecet; non obſtante aliorum ſuper aliós eminentiâ, majorive aut minori ab oneribus (quam ſtatuum diverſitas infert neceſſariò) immunitate. Si etenim pro ſe quiſque ut communitati benè ſit, operam daret, ſibi quoque malè eſſe non poſſet.

788. Incidunt tempora, cùm Civitas (abſumpto peſte, bello, aliiſve caſibus, populo) rareſcit; aut rurſum ſupercreſcente multitudine denſeſcit, ſeque ipſam premit. Remedio ibi eſt, ut in Civitatem alieni invitentur, noviq; municipes Civitate donentur; hîc autem, ut colonia emittatur aliorverſum, ad conſtituendum municipium novum.

789. Gubernantium Rempublicam ſumma cura eſt, pro avertendo Naufragio declinare brevia & ſyrtes omnes. Cujusmodi ſunt *Civium Otia, & Vita deſes* ac iners. Tum in Veſtitu ac Victu *Luxus & Prodigalitas*. Dehinc *Artes veteratoria* mali quæſtus, invaleſcenteſq; Civium adversùs Cives doli ac impoſturæ. Et *flagitia publica*, comeſſationum, popinationum, libidinationum, debacchationum, &c. Tum in diſtribuendis functionibus *proſopolepſia, vel avaritia*, quum non dantur Viri Muniis, ſed Munia Viris; officiaque ipſa, & dehinc juſtitia, venduntur muneribus. Quidvis item agendi *Licentia*, maximaque illa peccandi illecebra *Impunitas*. Et *Officia vacantia ſupplendi incuria*. Virorum denique *publicè utilium*, publicoque ſervientium, *neglectus*. Quæ enormitates ubiubi irrepunt, appropinquantis ruinæ prodromi ſunt.

790. Nihil itaq; antiquius habebunt, qui ad clavum ſedent, quàm ut adversùs omnes id genus corruptelas *leges* habeantur ſtrictæ, *exſequutioque* earum ſevera: *qua duo humana ſocietatis nervi, flagitiorum repagula, adversùs tempeſtates anchora ſacra, exitiique Reipublica antidota veriſſima, ſunt*. Stringatur ergò publicæ animadverſionis gladius in otioſos ventres, in luxurioſa capita, in doloſos æruſcatores alienique ſudoris ſanguiſugas, in libidinoſos olidoſque hircos, in officiorum juſtitiæque nundinatores, in effreneſque quoſcunque legum violatores: & ſalva erit Reipublicæ ſalus.

791. Deſint viciſſim ſalutares leges, aut

aut accurata legum exſequutio: quid niſi rerum perturbatio & interitus, cui ſic prona paratur via, ſperari poterit? perindè namque ſe res habebit, ac ſi eôdem invecti flumine, ſuo quiſque loco perforet Navim, ſubmerſionique paret.

792. Speciariâ Magiſtratibus ad vigilandum eſt curâ, ut, quandoquidem *Lex anima Civitatis* eſt, *Mercatura corpus*, *Medicina ſpiritus*; trium illorum in Reipublicæ corpore defectum eſſe ne patiantur. Nempè Rerum ſufficientiam, ut procurari curent à Mercatoribus; Valetudiniſque præſidia provideri à Medicis; & Juſtitiæ adminiſtrationem rectam, pacis inter omnes conſervandæ magiſtram, à Judicibus.

LXXXV. Negotiatores Rerum.

793. Sic omnia omnibus largita eſt Divina munificentia, ut nonniſi mutuâ interveniente bonorum communicatione, non egere neceſſariis mortalium queat fragilitas: quia ut in corpore vivo membra ubique cohærere, & à ſe invicem ſuſtineri, ita in humanæ ſocietatis corpore aliis per alios ſuccurri, voluit, ad mutuum radicandum amorem, concordiam, pacem & tranquillitatem. Cujus mutuæ bonorum communicationis interventores, pararii, procuratores, & confectores ſunt, quibus *Mercatoribus* eſt nomen.

794. Tota horum occupatio eò ſpectat, ut quarum rerum penuriam patitur locus aliquis ab hominibus habitatus, eæ invehantur aliundè: quibus autem ultra propriam neceſſitatem redundat, ea rurſum evehantur aliò. Hac nimirum conditione regio quæque de ſuo Amaltheæ cornu transmittit aliis, ut rurſum, quibus indiget, recipiat aliis: cui rei Vecturæ inſerviunt & Navigatione, ubicunque Vehiculis, aus Jumentis, aut Navibus, tranſitus non negatur.

795. Comparandarum verò & diſtrahendarum mercium non idem olim, qui nunc, fuit mos. Olim communicare ſibi bona ſua neſcibant aliter quàm aut donando, aut mutando quid pro quo (Pecudem puta pro Pecude, Frumentū pro Vino, &c.) Commodior pòſt reperta ratio per datum Metallis pretium, quæ ad pondus certum pro rebus dependebantur. Commodiſſima nunc, per conciſum in lamellas, tituliſque ſignatum, æs, argentum, aurum, &c.

796. Mercatoribus majorum gentium majores ſunt negotiationes, per oppoſita usque Mundi climata, novosque Orbes. Nam

Impiger extremos currit Mercator ad Indos
Per Mare, pauperiem fugiens per ſaxa, per ignes.

Minuta Mercurii ſoboles vicina circumcurſitando oppida, vicos, domos, minutas diſtendunt lucellis captandis tendiculas, &c.

797. Quando alicujus integra venalitia ſupellex promercio exponitur, confluit licitatorum turba confertim, oſtentatæq; & circumverſatæ rei pretium jam hic, jam ille pro arbitrio offert, oblatumque (ſi diſtractor addicere tanti renuit) adjectione auget, donec res venalis ei, qui plurimum obtulit, adjicitur. [Quod mercandi genus non ſemper *dextro* peragitur *Mercurio*.)

798. Cæterùm quia hic plerumque Punicâ fida res aguntur, (dum *laudat venales, quas vult extrudere, merces*, auctor; emtor viciſſim, *Malum eſt, malum, dicit, ut, cùm diſceſſerit, glorietur*, Prov. 20. 14. dumque pretia rerum auctantur perjuriis: aut obtruditur moneta mali commatis, &c.) niſi quis propriis proſpicit oculis, Mercatoriamque illam cantilenam, *Cras credo, hodiè nihil*, cantillare ſciat, deluditur facilè.

799. Annonæ quidem incendium, ſicut & aliarum rerum pretia, ſecundùm earum copiam vel inopiam intenduntur, aut remittuntur: *Dardanarii*

narii tamen ſepè culpam ſuſtinent, qui res præmercando ſupprimunt, donec egeſtate compulſus populus magnô redimere cogatur. Cui iniquiſſimæ annonæ flagellationi ut ne locus eſſe poſſit, in benè conſtitutis Rebuspublicis nullus conceditur Monopoliis locus.

800. Sed tu commercantium ſymbolo mantiſſæ loco accipe. *Mercatorem*, quid eſſe dicemus? Lucrorum utique hinc inde latentium indagatorem. *Pecuniam* quid? Contractuum mediatricem, Lucricupidinis hamum. *Vendentem & ementem* quid? Inſidiatores mutuos: inſidiatur enim hic illius merci, Ille hujus nummis. Et *Lucrum* quid? Prædam de venatu. *Damnum?* Lucri jacturam. *Amiſsionum lucri cum vivo?* Naufragium. *Mercatorum miniſtros, Aurigas & Nautas, quid?* *Aurigæ* non immeritò planetæ terreſtres, hæredes luti, & ob mores plerumque ſpurcos fex Terræ, dicti ſunt. *Nautæ* verò Maris equitatores, Tempeſtatum colluctatores, Undæ clientes, Sepulchri ſui oberratores; ob mores autem ut plurimum leves, Maris ſpuma.

LXXXVI. Medicorum, cum Cooperatoribus ſuis, actiones.

801. Haud ineptè dictum puta, *Sanitatis mater Indigentia*: quum invita etiam jejunia ad ſimilitudinem accedant Temperantiæ, Valetudinis bonæ matris. Certum interim habe, in eo nos vivere rerum ſtatu, ut nemini jam, ne quidem obſervatiſſimo ſui, Mathuſalæ obtingat vivacitas; vix cuiquam Calebi, in extrema etiam ſenecta perbellè habentis, incolumitas.

802. *Honora igitur Medicum propter neceſsitatem, quia eum creavit Altiſsimus* (Sir. 38 1.) ut eſſet *Vitæ advocatus*, *Mortis antagoniſta*, *Morborum colluctator*, *Sanitatis cuſtos*. Sepoſito jocoſo illo, quod in eos jactant, eſſe *alienâ Morte viventes*: quia (inquiunt) *Malè habet Medicus nemine habente malè.* Quid autem ille? Duo agit, ſi, quod agendum eſt, agit: Valetudinis bonum conſervat, *diætâ*; Morbique malum oppugnat, *pharmacis*.

803. *Diæta ſumma lex eſt*, Continere ſe intra naturæ limites in iis, quæ vitæ conſervandæ causâ ordinavit Naturæ parens; ratione videlicet *Cibi & potûs*, *Somni & vigiliæ*, *Repletionis & exinanitionis*, *Corporiſque & animi commotionum*: nihil horum citra naturæ ſtimulos admittendo, nihil ultra ſaturitatis terminos protendendo, nihil aliô quàm debito ordine ac modo adhibendo. (Serva Diætæ leges, piſce ſanior eris: ſin, crudelem Medici manum ne accuſaveris, quam ipſe feceris. Tum enim verum erit illud, *Medicè vivere eſt miſerè vivere*: ſi Medicum non ut Diæteten, ſed ut Pharmaceuten, experiri neceſſe habebis.)

804. Verus Medicus religioſiùs ægros tractat, quàm Circumforaneis more fit. Qui cùm non per cadavera Anatomica, non per Pathologiæ rudimenta, non per Semiotices exercitamenta, praxin aggrediantur, ſed limine inſalutato in ipſum Medicinæ palatium truces irrumpant, etiam in ipſos Homines, vivæ Dei ſimulachra, ut Architecti in lapides & luta, ſæviunt. Non ſic, inquam, legitimus Dei & Naturæ miniſter: ſed vocatus ad ægrum, anquirit primodùm, quod genus morbi ſit, quam corporis occupet ſedem? ex quibus ſurgat radicibus? Non tamen ægri de his informationem, (quia plerique horum, quum naturæ inexperti ſint, informare neſciunt) reſpectando, ſed ſtatum Facultatum animalis, vitalis, naturalis, explorando: quarum illam, quomodo ſe habeat, cognoſcit per locomotivæ aut ſenſuum læſionem; iſtam per pulſificam à corde defluentem vim; hanc per humoris præfandi conſpectum.

805. His peractis, prudenter de morbo exiſtimat, utrùm peremtorius ſit, an potiùs naturæ conducibilis, vel ambigui ſtatus? Quâ prænotione formatâ,

tâ, cum morte luctari frustrà non præsumit, salutem promovere non intermittit, spem incertam incerti eventûs metu limitat (*Hippocrates desperatis vetat adhibere medicinam*, Cic. Quanquam enim, dum æger spirat, sperat, juvariq; vult: artificis tamen est, ne se & artem prostituat, videre.)

806. Curationis initium (ut ægrum primô mox aggressu tædio levet, inque bonam erigat spem) à dolore mitigando facit, anódynis adhibitis. Tum residuas naturæ vireculas roborat, ut se ad expellendum hostem accingant. Demum propinat illa, quæ hostem eundem loco, ubi sedem fixit, evellant, pellique posse faciant: sive pellenda illa diætetica sint, sive pharmaceutica, sive chirurgica.

807. Nam ubi res mitioribus mediis expediri potest, (alteratâ nimirū paululùm diætâ, ad morbum non nutriendum, sed consumendum; vel adhibitis focillationibus, fricationibus, suffitionibus) asperioribus abstinet.

808. Ubi verò malum tenaciùs hæret, quàm ut levioribus illis cedat, ibi acriores adhibet medicinas; tum alterantes, tum evacuantes, tum denuò confortantes.

809. Alterandi vim habent calida, frigida, humida, sicca: quæ ut variè temperata, peccantem materiam jam attenuandi, jam incrassandi, relaxandi aut adstringendi, emolliendique vel indurandi, vim habeant, ita ea temperat variè, ut ex re ac usu fore judicat.

810. Ac prout saburram morbidam corpus gravantem hærescere animadvertit, in Ventre imo aut summo, vel medio, vel per extimas corporis regiones: ita ex imo Ventre eam pellendi adhibet nauseam moventia, & per alvum superiorem rejicientia; aut per alvum inferiorem dejicientia; vel per Vesicam denique, redditione Urinæ. Summum Ventrem, cerebrum, purgat per defluxum aut sternutationem excitantia, Medium, pectus, per Antidota & Amuleta, venenum & fascinum propellentia. E circuitu corporis per Sudorem elicientia.

811. At rursum quia *mala est Medicina, ubi aliquid natura perit*, cavet diligenter, ne partes, quas noxiis liberat, Violentiæ attactu debilitentur; aut certè, si id in totum evitari nequeat, ut mox rursum focillentur. Cui usui medicinas certis membris appropriatas (à quibus & denominationem Græcam accipiunt) habent; Pectori *Thoracicas*, cordi *Cordiacas*, ventriculo *Stomachicas*, jecori *Hepaticas*, lieni *Spleneticas*, renibus *Nephreticas*, articulis *Arthriticas*.

812. Quamvis autem verè Poëta, *Non est in Medico, semper relevetur ut æger. Interdum doctâ plus valet arte malum*; & indè medicinis alii succumbant, alii Medicorum manu exeant pertinaciter morbidi aut penitùs prostrati, vel ad recidivam illîsi: quia tamen *Medicus, si omnia fecit, ut sanaret, partes suas peregit* (ut Philosophus inquit) gratia illi semper debetur, maximè si optato successu peregit.

813. Quô respectu non malè Plinius, *Felices Medicos, quorum successus Sol videt, errores operit tellus*, dixit. Illi tamen, ut processûs sui rationem in quocunque Areopago reddere queant, compositiones medicamentorum suorum (quas ingredientium bases constituerint, quibusque adjuvantibus vel corrigentibus temperârint) asservari jubent.

814. Nempè non ipsi medicinas miscent, sed suis à manu, *Pharmacopœis*, miscendas juxta præscriptum tradunt. Qui simplicia, tempore quodque suo collecta, usibusque futuris debitè præparata, & per Repositoriorum loculamenta, capsellas, vasculaque disposita, ac suis inscriptionibus notata (modò ne aliud in pyxide, aliud in titulo) depromunt, artificiosèque componunt.

815. Quòd si de simplicibus istis Medicinis, undè illas desumant, quæris: adeò eis totus Naturæ sinus patet, ut quicquid Mineralium Terræ viscera partu-

parturiunt, quicquid Vegetabilium in auras progerminat, quicquid Animalia ipsa intra se continent, aut extra se spargunt, totum id, (ne quidem à Veneni tabe abstinendo: quum & hæc loco suo bona sint, contraria sua pellendi, aut similia eliciendi, virtute prædita) messem suam faciunt. Præcipuam tamen medicamentorum partem quia Stirpes dant, *Herbarium* quoque Pharmacopœum esse addecet.

816. Ad horum comitatum venientes *Spagirici*, præcipuè quidem è Mineralium visceribus (sed & undecunque tamen) efficacissimas petunt, ignisque vi emoliuntur, Medicinas: tum stillatitias, *Spiritus* & *Olea:* tum sublimatas, in *Florum* quodammodo formam concretas; tum denique calcinatas (in calcis aut cineris speciem redactas,) *Sales* varii generis.

817. Quia verò Ars hæc ista nova, veteribus (Græcis & Romanis) ignota, ignotas quoque antiquis res produxit, quarum variare nomenclaturam turbare esset, abstinebimus eà. Satis tibi fuerit Medicinas elici (à Spagiricis & Pharmacopœis) quà fluidas, *Decocta & Succos*; quà molles, *Balsama*, *Magmata*, *Tincturas*; quà siccas. *Pulveres & Crocos, Magisteriaque* & *Crystallos:* adhibendas intrinsecus vel extrinsecus.

818. Intrò assumenda parant, vel fluxos *Julebos*, & spissiores aliquantò *Syrupos & Linctus*; vel mollicula *Electuaria*, *Conservas*, *Mithridatica, & Conditanea*; vel in solidum redactas *Confecturas, Pilulas*, *Pastillos, Trochiscos* orbiculatos, *Morsulas* conquadratas, & si quid præterea.

819. Forinsecus superimponunt *Malagmata*, seu *Cataplasmata:* sive solidiora, ut *Cerata*; sive liquidiora, ut *Unguenta*, &c.

820. *Chirurgi* Medicis ad manus sunt, armati aliquando *ferrô*, ubi immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur; aliquando igne, ubi ustulanda sunt mala ulcera, ne serpant latiùs, &c.

821. Ad eorundem provinciam spectant Membrorum luxationes, Membranarum rupturæ, Ossium fracturæ, Cutisque aut carnis plagæ &c. ad omnia suis locis reponendum, coadunandum, concorporandum, consolidandumque, quicquid à continuo discesserat.

LXXXVII. Judiciorum Exsequutionumq; Processus.

822. Publicæ salutis interest, ubiubi homines sunt, non deesse, qui juri dicundo præsint, *Viri oculati, & auriti actionum humanarum corycæi*, in legum violatores *authoritate gladioque armati: eoque æquitatis & innocentiæ asylum, portusque tutus.*

823. Lites etenim non intervenire, variè complicata vitæ negotia, & ubiq; se intermiscens humana fragilitas, haud permittunt: sed quas complanandi via triplex frequentatur. *Conventio privata*, benevola; *Forum publicum*, controversiosum; *publicissimaque & abscissa Exsequutio.*

824. Conventione privatâ lites rarò terminantur, nisi interveniente amicâ quorundam amicorum, vel amici cujusdam, operâ: cui si controversiam ex æquo & bono decidendi potestas utrinque committitur, & in authoritatem ejus utrinque compromittitur, *Honorarii Judicis.* & *Pacificatoris*, accipit nomen, quæstionemque mediâ plerumque viâ, dirimit; juxta illud. *Æqualitas haud parit bellum.* (Nemini quidem facere injuriam videtur, qui jus suum persequitur: quia tamen sæpè sub juris prætextu & dolus & vis exercentur, ut optimæ etiam causæ patroni formulâ excidant, & sic summum jus in summam vertatur injuriam; nec tam lites sistantur publicis judiciis, quam acerbentur odia: consultiùs videtur, quoties cunque fuerit integrum, placidè transigi liticulas quascunque)

825. Tutissima hæc pacis via, si, cui displicet

displicet (non debet autem facilè cordato cuiquam, litis & belli dubios eventus respectanti) itur ad judices publicos, ut in foro fori controversia pro potestate terminetur, quum forensi die consessus habetur juridicus: aliàs enim, diebus nefastis, tria illa verba, *DO, DICO, ADDICO,* silentur.

826. Reum in jus protrahendi duplex est via: rapiendo scilicet ubiubi obvium, & manu prehensum, certisq; verborum formulis, ne defugere queat, obstrictum Judici sistendo; aut illi à Judice dicam scribendo & per Accensum, vel alium publicum servum, in jus arcessendo.

827. Citatus ad Prætoris tribunal, aut Scabinorum subsellia, reus, aut prætextus quos comminisci potest (ut forum declinandi legalē habere videatur exceptionem) fingit; aut se bonæ causæ fiduciâ sistit: ipséne an per alium, juris sui vicarium, non interesse putatur.

828. In percipiendis accusationū & excusationū momentis, judicem acutis auribus & emunctæ naris esse, omniaq; accuratâ pensare trutinâ, necesse est. Atq; ubi rerum adesse videbit testimonia, nihil esse opus, credet, verbis. Ubi verbis & testibus agi necesse erit, pluris faciet oculatum testem unum, quàm auritos decem. Ubi verò testium vacillare animadvertit fidem (si non sint per se locupletes satis, omnique exceptione majores) jurejurando eos ad vera fatendum adiget. Tametsi & *jurandum-jus* sæpè, eheu! perfidiæ fiat emplastrum: etiam quando sub exsecratione juratur.

829. Fit autem, ut adhibitâ etiam observatione omni, causa decidi nequeat: quoties nimirum non satis cognita, nec satis probata etiam; aut quoties leges tacent, vel casui non quadrant. Atque tum partes, vadimonio acceptò, dimitti solent, ut melioribus instructi præsidiis ad constitutum veniant.

830. Thebis fuerunt ad altare Deorum *duæ imagines sedentes, faciebus sibi obversæ, absque manibus, & privata oculis.* Hæ *Judices bonos* repræsentabant, qui tanquam in Dei conspectu semper se gerere debent. Sessio significat quietem, & mentis constantiam: Manus desunt, ad capienda munera: Visu privantur, ne privatis affectibus abducti, auribus solis peragant judicium. Providendum enim summè, ne Forum sit fraudum palæstra, ideoque perplexationes, strophæ, cavillationes, & sycophantiæ, nullæ ferendæ. Vitanda verò multò magis *prosopolepsia:* ne Leges, humanæ societatis coagulum, fiant aranearum tela, in qua muscæ hæreant, crabrones eam perrumpant. A tramite igitur recti Judex ne latum quidem unguem recedat: nec *det veniam Corvis, vexet Censura columbos.* Innocens sit impunis: prævaricator impunè ne ferat; sequatur eum *pœna peccati sæva satelles.*

831. Quia tamen Lyncei etiam oculi hallucinari possunt, etiam sapienti obrepere imprudenti error, non sibi uni fidit *meritorum Examinator:* sed sententiam concessores rogat, & in rebus majoris pensi in suffragia ire jubet. Quod autem unanimi omnium consensu, unoque ore, (aut certe pluribus album vel atrum calculum adjicientibus) decerni videt, id ipsum, non aliud, pronuntiat, nec judicata irrita reddit.

832. Quinimò (quia leges sine exsequutione Campana sine pistillo sunt) decreta quantocyùs exsequutione dari mandat: nisi si alicujus interventu ampliatio exoretur; aut judicio damnatorio (tristi literâ) notatus judicium restaurativum (ubi causæ totius revisio fiat) petat; vel provocet ad Tribunal superius, &c. Appellare enim (h. e. in novas litis molestias, novosque sumptus sese conjicere) cuilibet integrum est: sed ita, ut litigiosi tricones malo suo tam versuti sint, tumultuationibusque suis non aliis tantùm molestias, sed & sibimet noxas, cumulent.

833. Ultrà progrediundo, quod in

Arboribus sunt stolones, quos amputari Arboris salus est; & quod in Corpore vivo humores putridi, valetudinis turbatores, quos sudoribus, purgationibus, phlebotomiâ, ferro & igne persequi, & è corpore exterminari, vitæ interest: hoc idem sunt in Republica homines humani juris violatores, quos pœnis consectari, & è medio tolli, ad Reipublicæ salutem facit; quatenus nec isti noceant ampliùs, nec alii tentare audeant idem, exemplis deterriti. Eô nimirum fine tot ignominiosarum pœnarum, & ad terrorem comparatorum suppliciorum, adinventa sunt genera.

834. Hinc est, quòd maleficis, tanquam publicis pestibus, non magis quàm lupis parcatur, quò securitas Ovibus esse possit. Tametsi enim *Vir bonus* sit *lacrymabilis*, ibi tamen loci, unde publicæ saluti invigilandum est, constitutus, crudelem exerceret clementiam parcendo malis, ut noceatur bonis. Pereunt ergò, quos perire publica salus requirit, homines jam ante suomet flagitio perditi.

835. Prostitutæ pudicitiæ ac fidei homines, prostituuntur ipsi quoque, & objiciuntur publicis spectaculis: ut in exemplum sint, undè alii cautiùs discant piscari, alienâque frui insaniâ.

836. At hominum mactatores mactari per homines, sanguinemque elui sanguine, justissimæ Divinæ justitiæ placuit; nec per humanam rationem lex justior ulla est, quàm necis artifices arte perire suâ. Et quidem tantò atrociùs, quantò atrociora quis, & sceleratiora, ausus parricidia.

837. Alienæ famæ insidiatores, detractores malitiosi, Obstrigillatores, criminosorumque libellorum fabelli, talione coërcentur: hoc est, necantur civiliter, infames ipsi quoque facti, & (quod aiunt) capite diminuti, patriâ ejecti, ultra Garamantes relegati.

LXXXVIII. Oblectationum genera.

838. Si rectè canit Poëta (canit autem rectissimè) *Quod caret alternâ requie, durabile non est*: non semper Nautas exercebit Neptunus, nec semper sudabit Arator, nec Musæ alumnos suos seriis semper occupabunt studiis: relaxandus omninò interdum est animus, miscendaque gaudia curis, quò non rumpatur tensus nimiùm arcus. Cujusmodi laborum pausæ, curarumque laxamenta, in tria abeunt genera: *Spectaculorum* oblectamina, *Motionum* vegetationes; *Certaminumque* ludicrorum voluptates.

839. Oculos vulgi satis gratè pascunt *Gesticulatores* illi, qui gestuum pernicitate oculis errorem offundunt, imperitisque sensum eripiunt, ut præstigias prodigia esse credant, ipsaque talium admiratione animum titillent. Tum & delectamento plebi est *Neurospasta*, seu (ut Apuleii verbo utar) *Funirépus* cui ire per extentũ funem, imò saltitare, ars est, ut *more avium sese ejaculetur in auras*. Tandemque *Petaurista*, qui flexu corporis varias repræsentant figuras; aut *Pantomimi*, gesticulatione alienas personas & facta exprimentes ad vivum, sive facie propriâ, sive ore alienô, prodeuntes.

840. Sed eruditos oculos belliùs tangunt ludi scenales; quos publicis in Theatris ingeniosa Juvenum caterva (ad antiquitatis memorabiliora, aut aliud quid insigne, graphicè effingendum) edunt: cum spectatorum applausu (vehementer enim oblectat) si scitè; cum exsibilatione autem, si quid inconcinniter (quia offendit) admittunt.

841. Simile huic *Drama*, seu *Fabula*, publicos mores agitat, & exagitat: cujus partes primariæ sunt *Protasis*, negotium quoddam proponens; tum *Epitasis*, ubi motus & turbæ fiunt; dehinc *Catastasis*, fabulam ad scopum deducens, re aliquâ ignotâ detectâ; *Catastrophe* denique, inopinato aliquo eventu (læto aut tristi) fabulam claudens. Ubi *persona* quæque, seu loquens seu *muta* inducitur, decorum suum

servat

servat aptè, concentuque Musico, & venusto saltantium choro, exornantur omnia.

842. Motu quærunt virium redintegrationem, qui *Cursura*, *Saltatûs*, *Jactatûs*, *Colluctationis*, *Pugillationis*, *Equitationis*, *Vehiculationis*, *Pilave*, & similibus exercitiis, sese dedunt.

843. *Cursûs* exercitia hiemalia sunt, per glaciem impetu facto ita ferri, ut pedibus immotis brevissimo spatio longissima conficiantur spatia: æstate verò ad metam contendere cursu, præsertim in *Stadiodromo*, ob propositum certum agilitate vincendi brabeum; aut saltem ob celeritatis laudem, ubi acclamari fuit solitum, *Occupet extremum scabies!*

844. *Saltationes* & tripudia non unius sunt generis. Sed Lascivientium illam *Choream*, ubi viri fœminis juncti ad numeros pedes molliaque membra, movent, & saltatorios orbes vertunt, *esse circulum, cujus centrum tenet Diabolus, circumferentiam verò infernalis ardor*, Hieronymus dixit, sacrum illud nomen.

845. *Jactatus* lapidum discorum, aliarúmve molium, ad virium experimenta facit: sive projiciantur prorsum ac directim; sive librentur ac vibrentur sursumversus; sive collineentur & mittantur ad scopum.

846. Nec aliò destinantur palæstricæ *Colluctationes*. (à nudis peragi solitæ, in Gymnasiis,) nisi ut corporum certatione, quantum quis viribus polleat, ex robustiore nisu aut renisu pateat. Quamquam & ibi ars interdumque fortuna, regnat: ut imbellior vincat valentiorem. Etiam hîc *Fors domina campi*; etiam hîc *ars deluditur arte*.

847. Ad Gladiaturam plus astûs ac celeritatis, quàm roboris, requiritur: sive cæstibus depugnent Pugiles, sive gladiis Gladiatores: ubi *arenâ cedere*, lusum perdere est. Confert tamen eò, ut usu armorum durati firmitatem naneiscantur: (undè illa, *Valere athleticè*, seu *pancraticè*: 'Αθλητὴς enim. & παγκρατιαστὴς, idem Græcis quod Latinis *Pugil*.) Varia horum apud Romanos genera: *Samnites*, *Provocatores*, *Mirmillones*, seu *Secutores*; *Retiarii* item, & *Laqueatores*, quia adversarium reti aut laqueo captum prosternebant. Truculentissima edebant spectacula *Bestiarii*, à bestiis dilaniandi, nisi vicissent: ridiculissimum *Andabata*, pugnorum pugnam pugnaturi velatâ utrinque facie in arenam prodeuntes, cæcisque & surdis ictibus sese invicem impetentes.

848. *Ludi equestres*, Equestris ordinis hominibus usitati, fuerunt varii. Nam & celeritate Equorum cursu certabatur in *Hippodromo*, seu *Campo Martio*; & prælia exercebant imaginaria, *Ludis hasticis*; & equos Currui præjunctos regendi artem ostentabant, *Certamine* Curuli, &c.

849. *Sphæromachia*, seu *Pilaris lusio* jucunda inprimis, & corporis vegetationi suaviter conducens, est: sive pila fuerit ex aluta inflata ventô, *Follis*, aut *Folliculus*; sive farta pilis vel plumâ, *Pugillaris* aut *Paganica*. Quam *Trigonalem* dixerunt à trium ludentium in trigonem dispositorum, numero: & *Harpastum* (q. dicas *raptitiam pilam*) quam advolantem, aut supervolantem, multi rapere & capere, aliisque præripere & præcipere, cupiunt.

850. Puerorum lusus, qui agitatione constant, varii sunt, nunquam prohibendi, (*sunt pueri pueri, pueri puerilia tractant*) semper prudentiâ regendi, ut valetudo & ingenium vegetetur, mores non vitientur, aut iniquinêtur.

851. *Decertatio ingeniosa*, cos Mentis, variè fit. Sunt, quos *Par impar ludere* (assumtis manu clausâ nucibus, quas alter, si pari an impari numero sint, divinaverit, accipiat; sin, totidem numeret) oblectat: sunt, quos de protensorum & subitò promicantium digitorum numero pariter se concitare juvat; sunt, quibus facetiarum lepóre, sermonum involucris, versutiloquis argutiis, contortisque sophismatibus, Minervam provocare volupe est; sunt denique, quibus Latrunculorum ludus

dus (quô *Ludimus effigiem belli simulataque veris prælia*) ita est in deliciis, ut satiari nequeant. At *Charta lusoria, Tali, Alea,* &c. ganeonum potiùs exercitamenta sunt.

852. Cæterùm ut lusus sit lusus, qui delectet, non qui cruciet; collusores quære ætatis & conditionis tuæ (pares enim cum paribus facilè congregantur, æquale gaudet æquali,) quicum de pignore quopiam certes, ut lusio fiat, cum animi suspensione, & ab expectato eventu titillatione: omnia tamen ista modestè atque candidè, ne ludus exeat in ludibrium, aut rixas. Postremum præceptum est, ut ne te oneres hilaritate: quia verò verius est illud, *Etiam risui miscetur dolor, & extrema gaudii luctus occupat* (Prov. 14. 13.) Nec ad ludicra nati sumus, sed ad severitatem potiùs, studiaque graviora, ut *Marcus Tullius* inquit.

LXXXIX. Conviviorum ratio.

853. Inter conciliandæ ac fovendæ amicitiæ vias *Convivia* ponunt: ubi congregati vicini genialiter & convivunt, & convivantur; sive propiores soli, ad privatam concœnatiunculam (aut, quod infimæ plebi magis frequentare allubescit, ad compotatiunculam) sese invitantes; sive solemnius, invitatis pluribus, & ad exquisitiores dapes, uti fit diebus natalibus, nuptialibus, funeralibus, &c. sive tandem solemnitate & magnificentiâ publicâ, ubi die inaugurationis Magistratuum *adjicialis cœna,* aut die triumphi victoriale Epulum, seu *cœna popularis* (toti populo) datur, &c.

854. Quod ut in laude est opportunè adhibitum, (*Omnia tempus habent,*) ita nimis crebra, opipara, sumptuosaque Convivia, nihil nisi *opulentiæ ostentatio, temporis prodigentia, gulæ irritamenta, morborum conciliatio, mortis maturatio,* sunt: res proindè noxia magis quàm utilis.

855. Cui etenim bono *Sybaritica mensa*? aut *dubia cœna*? ubi quis Deorum se interesse epulis, & *Jovis cerebro Nectarisque flore,* pasci credens, primùm quidem à se exeat, tum in insaniam incurrat, demum se præcipitet. Pompaticus siquidem ille prodigorum furor, multos à negotiis honestis abstractos ventri vacare cogit; ipsisque lautitiarum blandimentis sapientes etiam dementat, ut palato morem gerendo, quô primùm, quô secundò, quô tertiùm, cibô gravandus sit stomachus, & cujus potiùs Vini fumô nebulæ offundendæ cerebro, deliberent, hæsitent, tandē tamen exquisitissimis, sed nocivis, sese infarciendo, succumbant. Ita enim honestū *Convivii* nomen in rem turpem, *Comessationem,* plerumq; definit: & voluptas in dolorem, Vigor in cladem, exit. Verùm abusu omissô, quem non tollere ajunt usum, Convivii processum speculari pergamus.

856. Dominus convivii, quos invitatione dignatus est, illis adventantibus (modò non *post festum*) obviam quoque prodire, salutationeque datâ & acceptâ eos introducere: & præmissâ, inter alia ceremonialia, manuum ablutione, ordine per sedes collocare, non intermittit.

857. Adest scindendi obsonii magister, caputque cœnæ, fercula primatis, callidè dispertiens, portionem cuique offert suam; quicquid autem in honore mensarum est hospitum principibus. Sed antiquis mos fuit à *propomate,* antecursoriâ scilicet potione dulci (sive promulsidis, sive vini murrhini) auspicari cœnas.

858. Apud nos tametsi res cibi ordiatur cœnam, *mollia tamen præcedunt, solidiora sequuntur:* quia hic contraria est ab opere edificatorio ratio, ubi fundamentum ponitur durum, ut superpositam molem sustineat diu; at cibi ingeruntur, non ut jaceant, sed ut diffluant, præcedentiaque secuturis cedant.

859. Moram elegantia nihil inelegans ad mensam admittere admittit. *Ad mensam tanquam ad aram,* ajebant antiqui: placide igitur, sedatè compositè;

citè, frugaliter: omnia! inciviliter, & præter decorum, nihil.

860. Exemptâ fame epulis, protitâque siti, adaperitur Abacus, auro & argento refulgens: & proferuntur ex apothecis poculenta, quæ servi ad cyathos crateribus & phialis infundunt, Pocillatorique ministrant, ille verò epulantibus.

861. Tum se provocare incipiunt poculis, benèque jam illi Amico magno precantes *bibunt amystide*: h. e. propinant sibi (sive in orbem, sive transversim) grandissimos calices, quos trahunt haustim, exporrectâ fronte indulgentes genio.

862. Coronidem convivio addunt *Tragemata, Mensa secunda*, quasi lassæ voluptatis irritamenta nova: placentarum puta omne genus, & scitamenta mellita, cum fructibus variis, sive recentibus, sive conditaneis, in melle (seu Saccaro) aceto, muriâ, sale, servatis, quos Græci *salgama* vocant. Atqui si Conviviorum spectamus finem, nihil antiquius, nihil dulcius æstimandum erat fidis amicorum colloquiis: hæc verè *Attica bellaria* censenda sunt.

863. Laudabilis Convivii exitus est, si convivæ sobrios se, & sui compotes, (hilares licet) sentiant, Convivatorique pro tractatione commoda gratiis actis, & dictô sibi invicem amicô *Vale*, placidè ad sua quisque se referunt. At non desunt, qui bibendi factô initiô semel, tanquam *Lotum gustâssent*, ad se & suos redire obliti, totas pergræcantur noctes.

XC. Funerandi solemnitates.

864. *Mors, quia est Nomen indeclinabile, Vitæque terminus, quem nemo effugit* (ipsa quippè Vita nihil nisi ad Mortem iter est, iter autem nullum sine exitu;) & *Naturæ debitum*, quod non exsolvere tandem nemo potest; *Comœdiæque aut Trogœdia hic actæ ultima catastrophe* (Vita enim scena est, in qua personam suam hominum quisque agit,) & *Discessio è vita hospitio*, (Commorandi enim nobis diversorium, non habitandi locus, hìc datur,) & necessaria *post peractos labores Quies*, (Labores enim enervant, tandem & frangunt;) & *Divitum pavor*, *Pauperum desiderium*, *Miserorum terribile bonum* (liberat enim ab omni terribili, sed terribiliter;) verbo, *ultima linea rerum*: continet etiam ultima justa, quæ sibi solvere possunt & debent mortales, deductionem in locum silentii. Quod quâ diversitate peragant, videndum quoque est.

865. Fuèrunt Gentes, quibus cadavera suorum avibus & feris devoranda objicere, operæ compendium visum. Et fuêre, qui demortuis suis honestiora sepulchra quàm in propriis Visceribus, dari non posse rati, corpora eorundem feralibus epulis sibimet absumenda existimârunt. Fuêre iterum, qui eadem corpora à putredine præservanda crederent, unguentis pollincirent, incorruptaque certis locis asservarent; aut suspenderent ad Solem, ab Arboribus, induranda æstibus. Sed fuerunt rursum, qui, ut putrescerent celeriùs, dissolverenturque faciliùs, suos in aquis sepeliebant. Honestiùs autem longè majorum Gentium populis creditum est nobiliori elemento, Igni, analysin eam committere. Exstructo itaque rogo cremabant impositum cadaver, conspersosque liquore odorato cineres immittebant urnis, infodiebantque terræ, &c.

866. Nostrate more *Terra terræ redditur*: monstrante nobis isthìc loci Deo ipso miseriarum asylum, jactationum portum, quietis domum, inturbatumque dormitorium, *Sepulchrum*. Non demortuos nostros veluti morticinum pecus in foveam deturbando, sed justè comploratos, mundè ablutos (aut etiam à pollinctoribus pollinctos.) purè indutos, capulo inclusos, sandapilæ impositos, pompâ exsequiali honestâ comitatos, ad locum quietis suæ, ubi resurrectionem exspectare habebunt, deducimus, ibique eos tumbæ, intercinendo

cinendo laudes Dei, & mortalitatis nostræ solatia, mandamus.

867 Et quia *dignum laude Virum Musa vetat mori*, ut post funera quoque vivat Virtus, si gnavus non defuerit Virtuti encomiastes, providetur: Erectis nimirum propter tumulum gloriosis titulorum, elogiorum, cipporum, statuarum, similiumque epitaphiorum, monumentis; recitatisque solemniter Viri publicè benè meriti præconiis, ac celebrationibus. Rectè utique hæc, ut sic viva parentent mortuis. Sed abusus est, quòd hæc adulatorio perversi seculi more sæpè dignis negentur, contingant indignis: ut sæpè Monumenta ejusmodi nihil nisi otiosi Viatoris spectacula, ipsorumq; Mortuorum fastus, dici mereantur, ut, quorum exhalavit vita, non exhalavisse constet vanitatem.

XCI. Regnum, & Regio.

868. Quæ ratio Familias multas in Rempublicam coire fecit, eadem Respublicas plures in regimen unum coalescere coëgit: nempè quia in Unitate Virtus, in pluralitate distractio. Quod natura ipsa in animatorum ostendit agminibus: & in regimine humano docuerunt exempla. In Apibus enim rex unus: in Gregibus dux unus: in Armentis rector unus. Nec hominibus utile regentes multi: Rex unicus esto. *Multitudo imperantium perdidit Cariam.*

869. Regno fundando requiruntur, *Primò*, Terræ tractus spatiosus, diffusæ multitudini hospitia præbens commoda. *Deindè*, Multitudinis in Ordinem aliquem reductio. *Tandem* opus est Legibus certis, quibus inter se colligati omnes, tranquillè vivant omnes.

870. Terras & populos sub regimen unum reduci, reductosque contineri, promptum est, si per interiora nullâ re impediti undique sibi pateant, extrinsecus verò ab aliis undique seclusi, ab invasionum metu securi sint. Quod genus Regionum circummunitiones vel naturales sunt, *Montes, Stagna, Flumina*, *Maria*, *cultu item vacantes regiones*, *desertaque solitudines*: vel excitatæ humanâ operâ, ut *Sylvarum concades*, & positæ angustis locis *Arces*, *Propugnacula*, *Aggeres*, aut *Muri*; Quales illi Chinensium, inter Mundi miracula numerandi, 14. orgyias alti, 7. crassi, in quadringentarum Leucarum longitudinem, Tartariæ magnæ confiniis circumducti.

871. Interiores Regni partes (ut plurimum) sunt, *Ducatus*, *Comitatus*, *Dynastiæ*: sive hæreditario jure dominis suis possessæ, sive personis certis arbitrio Regis, juxta tamen dignitatum & meritorum gradus, concessæ. Rectè illud, ubi obtinet, nec malè hoc, ubi usus accepit: modo inconfusi sint administrationum limites, nec ab aureæ libertatis participatione excludatur quisquam.

XCII. Gubernatio Regni.

872. *Regnum* itaque est *consociatarum*, *provinciarum Corpus*: cujus *caput*, est *Rex*; *humeri*, *Proceres*; *manus dextera*, operans, *Opifices*; *sinistra*, res librans & continens, *Judices*; *oculi & aures*, *Consiliarii*; *pectus*, *Milites*; *venter*, membris alimenta præparans, *Plebs*; *pedes*, *Legati*, *Mercatores*, *Cursores*, *Auriga*, & *Nauta*; *cor*, *Ecclesiasta*; *cerebrum*, *Philosophi*, variarumque rerum Inventores & Custodes; *nasus*, *Historici*; *lingua*, *Oratores*; *spiritus verò trinus hæc omnia permeans*, est *Libertas publica*: nempè Vinculorum immunitas, & Oppressionum securitas, delicatissimum mortalium bonum. (Quæ tamen si nimia, servitute periculosior est, quia ad perniciem via: Deteriores quippè omnes sumus licentiâ; Cui licet, quod libet, libet plerumque, quod non licet.) Rex igitur subditis opus habet, ut Caput membris: Subditi Rege, ut membra Capite.

873. Alicubi Regnorum unicus est omnium libertate gaudentium *Ordo*, *Nobilitatis*: præterquam quòd ex his ad munia & dignitate Viri prudentiâ eminen-

minentiores eligantur. Alibi *Megistanes* nascuntur, dignitatesque & administrationes familiis certis Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Equitum alligantur, &c.

874. Sive autem hæreditariè, sive Regis beneficiò, provinciis præsunt, qui præsunt, non Centauricè aut Cyclopicè, sed humanè, res gerant, non vi sed legibus. *Boni pastoris est tondere pecus, non deglubere*: nec *binis simul forficibus tonderi expedit. Lupum tenet auribus, perque spinas & ignem incedit.* qui duro sub obsequio detinet invitos. *Amari præstat quàm metui*: quia *malus diuturnitatis custos Metus.* Ut experti qui tyrannicum illud, *Oderint, dum metuant*, symbolum sibi fecerant.

875. Rex itidem vel nascitur Populis, vel eligitur. Sive tamen hoc, sive illud, quid sit REX, quæris? *Dei mundum regentis simulachrum vivum*; *Tranquillitatis publicæ basis ima*; *omnium in Regno per circumferentiam se moventium centrum*; *Publicæ salutis custos publicus*; *Populorum denique auriga, quô deviante illi præcipites ruunt; rectum tramitem tenente, stant incolumes.*

876. Regius in eo inprimis elucet splendor, quòd ut Sol in sublimi sua sede se continens, ad lustrandum tamen omnes subjecti Orbis sui partes veluti radios Virtute armatos suâ emittit, Administratores & legatos, &c. Qui tamen Regius *splendor*, quid est nisi *alienæ salutis cura*? quid nisi *scopus, quem sollicitationum telis infiniti quotidie petunt & fodicant*? quid nisi *portus, in quem omnia onera deponuntur*? Verbo, quid nisi *Nobilis servitus*? Undè & de *Corona Regia* non abs re dictum: esse *fulgidum ærumnarum auctoramentum*; *sub cujus splendore quantum inquietudinum lateat, si quis præscierit, humi jacentem non tolleret.*

877. At non desunt *ministri à Consiliis à secretis, à thesauris, à cubiculo, à libellis à corporis custodia, seu à latere!* Non desunt: sed an ideô ibi *nihil deest*? *bonorũ ibi mare*? Primùm quidem ipsam *Aulicam vitam esse* aiunt, (quibus acetum est in pectore) *splendidam miseriam*; sed & sæpè est *sordida miseria*. *Aulici* vero ipsi *quid? Sorices palatii, fortunæ pila, invidiæ colluctatores perpetui, &c.* Quid autem Regi & Regno indè? *res* quidem *sacra est consultor*, quia *in Consiliorum multitudine salus*: (Prov. 11. 14.) sed qualium? Sapienter crede dixisse illum, qui dixit, *Mundum Deus per mediocria regit ingenia*: quia subtilia rebus novandis quàm gerendis; calida vero & Phaëthontea perdendis quam conservandis, aptiora sunt, à quibus tamen Reges ipsi obsidentur nonnunquam.

878. *Eunucho*, Viro non Viro, committitur alicubi fœmineæ pudicitiæ custodia! quàm illepidè! *Morionibus* aulicæ stultitiæ (hilaritatis, dicere volui,) directorium, quàm ineptè! *Morio* enim quid est, nisi *Aulici delirii quotidianum spectaculum & perpetuus testu, familiarisque* (ubi seriis admonitionibus non datur accessus) *exprobrator*? Uter autem stultior? qui *mulget Hircum*, an qui *supponit Cribrum*? *Ejusdem furfuris* spurcum sodalitium sunt *Gnathones* parasitastri, futiles *nugones*, nugivendi *blaterones*, ridicula capita; versipellesque *sycophantæ*, & *aruscatores* favorem ex mendaciis, aliorumque delationibus, captantes.

879. Quemadmodum Sol cœlestis, licet interdum humilior appareat (ortui vel occasui propior, vel perigéus) aut radios suos obtegi nube, ne molesti sint, permittat; meridianus tamen, & apogéus, claràque die, fulgentissimè luget & urit: ita Rex aliquando majestatem seponit, familiariter cum suis agens, aliquando rursum assumit & auget, quoties Regiis actionibus ab ipsa Regia majestate concilianda est authoritas.

880. In magnis rerum difficultatibus non despondet Princeps animum, nec permittit vela ventis, (periculosum id, quamdiu clavum torquere licet; ne Negotii navis temerè acta in syrtes decurrat, aut in scopulos impingat, fluctibusque opprimatur:) sed convocat de communi salute in commune

mune deliberaturos Regni Cives, ut, cuicui boni consilii aliquid incidat, promat. (Sæpè enim, *sub quo non speres gurgite, piscis* erit; *sæpè etiam est Olitor satis opportuna loquutus.*) Modo id maturè fiat: quia *re peractâ consilium est inutile.* Modò prudenter: quia *vis consilii expers mole ruit suâ.* Modò placidè, *ne preces armata videantur:* quia *Voluntas cogi non potest*; ut alibi, ita nec in consiliis dandis vel accipiendis.

881. Majorum gentium Reges exardent interdum cupiditate dominandi minoribus: atque, si succedit, ut summa rerum ad se redeat, *Reges regum, Imperatores imperantium, absolutique Dominatores, & Mundi Monarchæ,* dici gaudent. Sed Monarchia vera illius est, qui solus Cœlo & terræ, Angelis & hominibus, omnibusque Creaturis, cum imperio præest.

XCIII. De Regnorum tumultu, Bellisque.

882. Regni finis est, *continere populos in Pace. Pax enim optima rerum, quas homini novisse datum est, Pax una triumphis innumeris potior. Bellum* contrà *res,* ut verbum ipsum sonat, *belluina, pessimum quod humanæ societati contingeri potest; utpote latrocinium publicum, macellum hominum, Ilias malorum.* Averti tamen pestis hæc, procurari salus illa, nisi armis, nequit: sive propter malos vicinos, nos & nostra invadentes: sive propter hominum venatores *Nimrodos,* jus in armis quærentes & contendentes, de potestate cum Vicinis (jam autem *mobile mutatur semper cum Principe vulgus;*) sive propter domesticas, quandoque *in nervum erumpentes,* turbas.

883. Quæ illæ? Ad tria redeunt capita. Aliquando ipsi qui populo præsunt, populum turbant, & rebellionum faces ministrant, crudeli dominatu. Aliquando instabile, & novarum rerum avidum, vulgus, optimi etiam Davidis pertæsi ad quosvis Absolones deficiunt; necessariò armis compescendi, & in viam obsequii reducendi. Aliquando non adversùs majestatem quidem conspirant, inter se tamen factiones fovent, Civium potentiores, quæ tandem exitio sunt populo, quum homines furiosi navim, quâ ipsimet cum aliis vehuntur, perforant. Hæ sunt causæ intestinorum Bellorum, quibus *propria cædimus vineta, in propria sævimus viscera.*

884. At qualescunque sunt Bellorum causæ, quia tamen *tutior est certa Pax quàm sperata victoria,* semperq; periculosum *agnos abjicere canibus, & versari in acie novacula:* atq; se *inter malleum & incudem* ingerere: *præferenda* semper *sago est toga, omniaque priùs experiunda consilio quàm armis:* quia *Bellum facillimè sumitur, ægerrimè desinit*; nec in ejusdem potestate Belli initium & finis est. Nisi fortè prorsus lubrica sit Pax, hominesque malæ fidei ac perjuri, apertè *aliquid monstri alant,* exitiumque nobis machinentur: tum verò præferendum esse Bellum honestum turpi Paci, & esse *satius subire periculum semel, quàm timere semper,* statuunt.

885. Sed & tum pro *bono Pacis* obtinendo tentandum est, quicquid potest: *neque in periculoso negotio dormitandum,* præsertim, siquis viribus se hosti imparem videt, ut consilio antevertat, opera danda; turbatisque in rebus, quantus quis sit gubernator, ostendendum, ut inter quoscunque fluctus & scopulos jactata Navis à naufragio præservetur tamen.

886. Romanis in more fuit ad protervum hostem, pacis conditiones respuentem, mittere feciales: quorum princeps, *Pater patratus* dictus, infixâ hastâ, bellum clarigabat. At non priùs, quàm domi consiliis disposita fuissent omnia: *quia damno accepto claudere domum januam, & post vulnera sumere clypeum, machinasque confecto bello quærere, serum* esset.

887. *Ingentia Bella delectu magis militum quàm innumeris copiis confici,* innumeris constat exemplis: ut imbellem Exercitum, quantumvis numerosum, non aliter

aliter quàm ruiturum mole suâ pondus, destinatumque occisioni gregem, intueri queas. Milite ergò verè milite opus: animosis puta *Martis pullis*, quibus sit ad hostem non pavendum *Leoninum cor*, ad plagas non curandum *Ursinum caput*, ad ictus inferendum *Aprugni dentes*, vel *Taurina cornua*, aut *Equina Ungula*; ad persequendum verò hostem *Cervini pedes*, &c.

888. Pleniùs edissere, *Quid est Miles?* Si titulum respicis, est *pretio conductus Patriæ defensor, hostilis truculentiæ oppugnator, armatus inermium propugnator*: si rem *præmio conductus hominum mactator, auctoratus spoliorum venator, impunis regionum vastator, ipso Martiali vultu truculentium* rusticorum terriculamentum. *Timidus* verò *miles quid? Lepus galeatus, corpus sine pectore*: cujus spes in pedibus magis quàm in manu sita.

889. Qualescunque tamen sunt, qui nomen dant militiæ, concenturiandi sunt, & in Exercitûs formam redigendi: per *Decurias* puta, seu *Contubernia*; & *Cohortes* seu *Turmas*, sub vexillis; tum in *Legiones* & *Phalangas*; præficiendique singulis commilitiis Duces sui, & his rursum alii, ad ipsum usque *Imperatorem*: ut, moto uno, moveantur omnia.

890. Ubi melioris ordinis causâ cuivis Ducum Optionem sibi adsciscere integrum est, usuque receptum.

891. *Duplicis armaturæ miles*, cui equo vel pedibus pugnare indifferens; itemque miles *supernumerarius*, voluntariè castra sequutus, accensentur juxta necessitatis leges, seu Equitibus seu Peditibus. Tirones verò strepitui bellico nondum adsueti, non relinquendi soli, sed admiscendi jam olim subsignanis; ut *à Bove majori discat arare minor*.

892. Comparatis ad eum modum copiis, movendum est in hostem. Ubi *rei castrensis curator* operam dat, ut locum frumentando, pabulando, aquandoque idoneum eligat: ibi Castra locantur, & ad sustinendum hostilem impetum, si fortè attentetur, molibus aggestis, vel fossis, circumsepiuntur.

893. Ne tamen irruens ex inopinato hostis damni aliquid, aut terroris, inferat, constituuntur excubitores, nocturni, diurni, qui dispositâ statione advigilent, &, ne quid inauspicatum veniat, observent.

894. Sed &, quid hostis eminus agat, ut ne ignoretur, dimittuntur prospeculatum callidi aliqui Exploratores clam; aut integræ armatorum catervæ palam, ad aliquos ex procursante rursum prorsum hostili agmine, abripiendum, è quibus examinatis hostiles patescant machinationes.

895. Appropinquante sibi utroque Exercitu, ut jam aperto Marte congrediendum sit, instruuntur ante omnia Copiæ, & disponuntur legionatim (*difficile enim est ordinare aciem inchoatâ pugnâ*) ad præliandum; jam *cuneo*, jam *forficibus*, jam *serrâ* jam *globo*, jam *rhombo*, aut quam locus & occasio fert aciei figuram: Communiter tamen Peditatui ut corpori Equitatus additur bipartitus alarum instar. Tum insonant terroris irritamenta, Tympana & Tubæ, Ducumque obequitantium ad gnaviter pugnandum acerrimæ exstimulationes.

896. Levioris armaturæ miles *primus jactat hastas*, in ipso *pugnæ punctistitio*; mox à *lusoriis armis venitur ad decretoria*, fervetque dimicatio *Marte* aliquantisper *ancipite*, jam hac, jam illâ parte progrediente aut regrediente.

897. Primùm namque missilibus tormentis sese impetunt à longè, *Fundibularii* lapidibus, *Jaculatores* jaculis, *Pilani* pilis, *Sagittarii* sagittis, *Fistulatores* glandibus plumbeis, &c.

898. Dum se accessu prohiberi nec hi, nec illi patiuntur, præliandum est pede collato: hastarum & sarissarum, lancearumque & bipennium, adversus invicem vibratu.

899 Aut depugnatur dum gladiis versis, acinacibus & frameis, pugionibusque, quibus se transfodiunt vel obtruncant

truncant; aut malleis rostratis prosternunt, strage miserabili, cadentiumque proculcatu & protritu, ac ejulatu, horribili.

900. Tandem ultimis reservati subsidiis producuntur Veterani; aut ex insidiis hostem à latere vel à tergo aggrediuntur (Dolus an virtus, quis in hoste requirat?) in postprincipiis stantes Succenturiati: à quorum superventu demum plenè hostiles disturbantur, dissipantur, contrucidantur, aut in fugam aguntur, copiæ.

901. Dum enim *iniquô Marte se pugnare*, & à fronte, à tergo, à latere, teneri vident, fieri vix potest, quin *terrori perculsi panico hastam abjiciant*, & fugâ salutem quærendo *terga vertant:* aut si effugii spem sibi præclusam animadvertunt, supplices facti *dant manus, porriguntque herbam.*

902. Nocte pugnam dirimente, ut ne cum hoste cæco, tenebris, lucta sit, signum datur receptui, rediturque cum victoria & spoliis, qualibus potest, in Castra: Victoribus pleniorem victoriam postridiè persequuturis, si hosti redire, ultimamque experiri aleam, animus non defuerit.

903. Si redire non sustinet, congressumque detrectat, quæritur in latebris suis, quibus se commisit, Urbe, Arce, Castris; ibique obsidione cingitur, circumvallatur, impugnatur, donec & subigatur, *prædaque ex ore Lupi eripiatur*

904 At operosa res est Urbium oppugnatio, multas & varias requirens machinationes: quarum simplicissima est *Murorum conscensio*, seu clam per *stratagema*; seu palam per furiosum *impetum, &c.*

905. Violentior aggressio est per arietationem portarum & murorum, eoque disjectas munitiones, & diruta tormentorum ope mœnia, atque sic patefactum vi, quâ nunquam antè patuit, viam.

906. Impetardæ inventio recens est, quâ Anno 1598. Jaurinum in Hungaria Turcis ereptum fuit, per unô momentô factam noctu Portæ diruptionem, in peratamque militis nostri infusionem. Cuniculorum usus (ad suffodiendum ac subruendum mœnia) frequens nunc est Urbes oppugnantibus.

907. Nec minùs infrequens Obsessis *remis velisque obniti*, & nihil non tentare, quominus hosti suo præda fiant. Hinc excitant propugnaculorum suorum propugnacula, sepimentorumq; sepimenta, quotquot possunt; extrinsecus ad prohibendum accessum; intrinsecus verò per pomœria & plateas nova aggesta vel fossas, ut perruptis etiam munitionibus, hostis novos inveniat obices, exitiumque sibi.

908. Audent & erumpere aliquando, hostem propulsandi, castrisque excindendi desiderio: sed eos plerumque repelli contingit, arctioreq; obsidione ita premi, ut absumto commeatu, desperatisque suppetiis, submittere se victori necesse habeant: cujus rei gratiâ Belli feriæ instituuntur, dum de conditionibus deditionē subeundi conveniat.

909 Tametsi enim verum sit illud, *Conditiones accipere victos, non ferre*; pactitiam tamen deditionē subeuntibus non invideri solent honestæ conditiones: at armis obtenta Urbs prædæ fit ac direptioni, quin & vastatur, evertitur, exciditur, exstinguitur penitùs.

910. Post victoriam facilem, militeque integro obtentam, reducitur Exercitus spoliis auctus cum jubilis & ovatione: sed Bellum difficile, diuturnum cruentisque præliis terminatum, & reportatam victoriam gloriosam, gloriosus quoque consequi solet Triumphus; ubi Victor aureo curru vectus, Lauroque coronatus, & hostium Duces in triumpho ducens, cum totius Populi acclamationibus lætis Urbem ingreditur.

911. Atque hîc Militum acerrimi, quos palmaria eô bellô gesta spectabiles fecerunt, donantur *Nobilitate*, splendido illo Virtutis trophæo, facinorumq;

rumque heroicorum ad posteritatem monumento. (*Qui tamen per majorum merita fulgent, alienâ fulgent luce; qui per virtutes proprias, suâ.* Sed horum nonnulli ineptiam produnt, dum ab *Ursis, Gryphibus, Vulturibus, Draconibus, &c.* mutuatis insignibus similem ferociam præ se ferunt, &c.)

912. Si bello, nondum bellis aut periculis, finis est, deduci in hiberna solet miles ad respirandum; (*Jucundi enim acti labores:*) si salvæ undique res videntur, dissolvuntur militibus promerita stipendia, dearmatisque missio datur; Emeritis rude & annonâ donatis, &c.

913. Navalis pugna magis formidolosa est, quia quoties ad classicum certamen venitur, toties cum Cœlo & ventis, cum abysso & undis, cum ferro & igne, capitaliter luctandum est: nec pereundum, si pereundum, singulis, sed universis. Dum enim Classiarii propugnacula sua sibi, Naves, fulmineis machinis impetunt, quatefaciunt, pertundunt, ponto mersant, quis hîc evadendi locus? sicut & dum armis superata, uncisque & harpagonibus attracta Navis captivatur, omnes captivantur.

914. Navium ibi & munium discrimina & appellationes disces, si quando erit, ut te istuc deferri contingat. Quod quidem detestabile omen avertat Deus!

915. Faxit potiùs idem ille Pacis Deus, ut BELLUM & ARMA obsoleta fiant nomina! Pereat, inquam, ô pereat, *Bellum*, ingens illa *Bellua, cornuta, dentata, rostrata, ungulata, totaque furialis & exitiosa.* Cui nihil est tam sublime, tam decorum, tam sacrum aut sanctum, quod illa non cornibus suis dejiciat, dentibus conterat, rostro polluat & configat, unguibusque dilaniet atque conculcet. Quemadmodum tot olim & nuper florentissimarum Urbium, Rerumque publicarum, & Regnorum cadavera, veriùs busta, eheu! ostendunt,

XCIV. Hominum cum DEO commercium.

916. Ingenii humani in Res & Homines effluxum, variosque impetus, hucusque contemplatus; veni jam, &, quomodo se imaginis ectypæ radii suum in archetypum reflectant, specta.

917. Constricta enim sensu Numinis humana *Mens*, animadvertit se *particulam esse Divinæ auræ*, ejusque, qui *Rerum Author* est, *imaginem*, novas quoque res parturientem, nec desideriorum aut moliminum finem nisi in æternitate invenientem. Undè se mundi tantùm esse hospitem, æternitatis hæredem; hîc nihil nisi viatorem, ibi demum civem, credit: duceque illuc sibi esse opus autumat. Quem quia non alium esse posse nisi unum Illum, à quo, per quem, & in quem sunt omnia, suspicatur, illius favorem sibi necessarium rata, *neque Cogitatione ullâ Majestate ejus indignâ, neque factis Sanctitate ejus contrariis, nec denique diffidentiâ de æternâ Bonitate ejus*, offendendum Illum esse firmiter statuit.

918. *Trinus* ergò veluti *spiritus* est, quó tota Religionis vita permeatur: nempè *Venerabilis de Divino Numine sensus*; *Serium ei placendi Studium*; *Præsumtaque de bonitate illius persuasio, unica illa in omnibus mundi inferorumque procellis anchora sacra, unicus salutis portus.* Desperatio quippè contumelia est in Bonitatem Dei animæque interitus: quâ quisquis corripitur, amittit clavem Cœli, & ad Omnipotentis thronum scalam, Orationem. Absit igitur à nobis *Irreligiositas*, brutalis ille mentis humanæ stupor, cordisque ærugo! Absit *Superstitio, inepta Religionis imitatrix*, veræque *Religionis spuma.*

919. O quàm stulti sunt *Athei*, qui in corde suo dicunt, *Non est Deus!* (Psal. 14. 1.) cum tamen ipse communis sensus, si hunc retinent, totusq; Creaturarum chorus (ordine suo admirabili & perpetuô Artificis sui re-

ctricem manum ostendens) eos convincat. Nec saniores sunt *Epicuri de grege porci*, pascere non animam pietatis polline, sed ventrem voluptatum furfure, sueti (nam *quid Cani & balneo?*) Et qui *Sadducæorum laborantes* morbo, vitam post hanc vitam exspectant nullam, seipsos facientes bruta, homines quum sint, verè bruta.

920. Quia verò Sol ille æternus, æterna vitæ & lucis fons, videri non potest nisi aut per semetipsum, aut in Speculo, cui radios suos, ad reflectendum in nos, immisit, quæ Revelationum ejus faces sunt: fit, ut nulla non Religio Revelationum aliquod lumen (sive scripto sive traditum à majoribus, sive oretenus) jactet. Undè provenit, ut silentio rursum in eo consentiant omnes *Fidem, Vitam, Spem*, ut ne fallant, *revelatione Divinâ* esse fundanda & normanda.

921. *Novissimè*, quanquam Deum esse spiritum, & spiritui convenire spiritualia, fateantur omnes; quia tamen nos corporei sumus, sensuum ministerio ad spiritualium cognitionem promovendi, indè est, quod Velis & umbris gaudet omnis Religio, Ritusque externos quosdam admittunt omnes.

922. Religio nihilominus Religioni non dissimilis solùm est, sed & è diametro distat. Cujus rei culpa in homines ipsos referenda venit: quòd Revelationes Divinas aut nesciunt, aut pravè interpretantur, aut comminiscuntur ipsimet audaculi: quibus dum aliorum simplicitas fidem adhibet, imposturarum ludibriis sese involvit.

923. Hanc Religionis in Paradiso primùm plantatam Arborem, in quatuor hucusque principales excrevisse ramos, sed singulos in minora rursum sparsos germina, observabis: *Gentilismum, Judaismum, Christianismum, Mahomedismum.* Quarum quæque ad suum se refert Auspicem, sua jactat Revelationum Oracula, suisque se ostentat & decorat Rituum Cerimoniis. Triste hoc, & animabus majorem in modum periculosum, viarum Cœli divortium, adesto, ut speculemur quoque!

XCV. Gentilismi Tenebræ.

924. E tenebris evocare Lucem, Dei; Lucem obnubilare tenebris, Satanæ opus est, jam indè ab initio & hucusque. Deus enim Creator creato à se Homini æternæ salutis & felicitatis viam ostendit clarissimè: sed à qua eum mendaciorum pater mendacii offundens tenebras abduxit nequissimè.

925. Ita prolapsi homines primi, à Deo tamen ad pœnitentiam & fidem revocati, admissam culpam agnovêre, attractam corporis & animæ nuditatem erubuêre, promissioneque venturi Seminis, caput Serpentis contrituri, amissam misericordiæ spem recuperavêre.

926. Quam fidem & spem in eorum cordibus ut roboraret Deus, cæsæ mox sunt hostiæ, ex earumque exuviis confecta nuditati tegendæ indumenta: quæ prima fuit *Victimarum* & occasio, & scopus, & sensus.

927. Sed atat, stupor humanus ritum arripuit sine re! Sacrificia peragenda, sine fide in futurum illum Vindicem, & libertatis nostræ Assertorem. Quod Religionem in *nucis cassæ* similitudinem, *cortices sine nucleo continentem*, placereque Deo, & placare Deum, superficietenus peracti operis merito quærentem, transformavit. Cujus erroneæ & exitiosæ opinionis primum authorem, testem, exemplum, allegat Scriptura *Cainum.*

928. Vt autem *error fœcundus est*, prima illa deviatio mox in aliam homines præcipitavit hallucinationem; attentatam scilicet invisibilis Numinis præsentiæ visibilium rerum palpabilibus signis effigiationem. Vndè tot & tam sui dissimilia excogitata *simulacra Dei*; qui cùm infinitus sit, citra majestatis suæ imminutionem assimilari finitæ rei nulli potest. Ideoque res hæc *irreverentem Numinis reverentiam*, monstrosamq; *Idololatriæ* multiformitatem, induxit.

929. Emer-

929. Emersit tandem *impia* illa *pietas*, quâ Mundus, ut plus haberet, quod coleret, *plura finxit Numina, qualibet Terra Natio proprium peculiaremque Deum*. At verò si plures Soles Mundus non fert, nec ullum in tota rerum Natura Animal plus quàm uno capite reperire est: quomodo rerum Vniversitas plures feret æternos Soles? quomodo unum Vniversum à pluribus regetur, sine discordia, capitibus? *Ab uno pendere multa, etiam infinita, unitas est: à pluribus etiam pauciora, distractio*.

930. Vna reperta Gens, sibi visa cæteris sapientior, Græcorum, quæ domi etiam pro se πολυθείαν (Deorum multitudinem) in infinitum extendere, innumeros Deos & Deas comminisci illis omnia, quæ humanitùs fiunt (ex hypothesi, ὅτι Θεοῦ γένος ἐσμέν, *quòd Dei progenies sumus*) attribuere ausa: divisa puta in rerum administratione munia; Connubia item & sobolis procreationem; dissidia item, rixas, odia, bella, &c. majore impietate an insaniâ, haud facilè dixerim.

931. Romani hos æmulati, ut ne quidquam Numinis negligere viderentur, cujuscunque nominis Deum aut Deam ubicunque Gentium coli animadverterant, omnes ad se transportatos cultu dignati sunt: dividentes eos *in majorum & minorum Gentium Deos superos & inferos, &c.*

932. Quin & novorum *accessione Numinum catalogos augere Deorum* pietatis esse putârunt: relatis in Divos demortuis hominibus, quos sublimior aliqua virtus, & in patriam merita, ultra communem extulissent sortem. At ô cæcitas! credere quidquam esse Deum, quod heri fuit non Deus!

933. Excusationis velum prætendebant his deliriis prudentiores: *Deum quidem æternum, Patrem omnium, non esse nisi unum; progeniem verò illius, & ab illo dimanantes Virtutes, ad eumque redeuntes Divinas animas, innumero esse numero, variisque venire appellationibus*. Sed color quæritur, quò turpitudo honesti specie veletur.

934. Jactabant & *Oracula* sua isti Ethnicorum errorum assertores: sive quæ à Dæmonibus Idola obsidentibus accipiebant; sive quæ comminiscebantur ipsimet, simulatis occultis cum aliquo Deorum aut Dearum colloquiis; sive quæ Sibyllinis comprehensa libris asservari dicebantur.

935. *Fana* Deastris suis exstruebant quidam splendida, inaugurabantque splendidis, variè superstitiosis, ritibus. Alii negabant Numinis majestatem includi oportere muris ac tectis: eoque aras erigi, & cultum peragi, malebant sub dio, in excelsis locorum, & opaco sylvarum, &c.

936. Et quia victimam pro delendis Mundi peccatis ignorabãt, modos viasq; admissas culpas expiandi ipsimet inventum ibant: tum aspersionibus aquæ lustralis, tum satisfactionibus sanguinis proprii, flagellatione vel cæsionibus aut punctionibus è corpore fusi. Immanissimus, *Molochi* sub nomine coli suetus cacodæmon, atrocissimas à parentibus exigebat victimas, infantum viventium, horrendumque ejulantium, ustulationem.

937. Vtque *similes haberent labra lactucas* feriatos dies transigebant effusâ licentiâ. Vt nominatim fuerunt *Dionysia*, ubi jus luxuriæ publicæ erat; & *Floralia*, ludis inverecundis transmitti solita; & *Compitalitia* festa, tripudiis campestribus dicata; & similes abominationum illecebræ.

938. Tam periculosè à vero Numinis cultu aberrantium, multiplex chaos superest hinc indè per Orbem, homines quibus vel lapis, vel lignum, vel metallum, *Deus suus est & omnia*: & qui *serviunt ignoto* DEO, dum *adorant, & nesciunt quid*. Aut etiam qui prudentes scientes humani nominis hostem adorant, Satanam, ut Indorum pars; qui stultissimæ sapientiæ nobis dant specimen, dicentes: *Quia lævis istis numinibus mille nocendi sunt artes, facimus iis*,

non qui nobis commodent, sed qui non incommodent; hem deliramentum!

XCVI. Judaismi Aurora.

939. Cùm integræ Gentes malo auspició Factorem suum deserere, & quasi certatim figmenta cordium, aut etiam manuum suorum, sequi occiperent, placuit Deo ter Optimo Maximo huic impietatis diluvio aggerem opponere. Evocatur igitur de medio delirantis turbæ Viro simplici, cui *Abram* nomen erat, (mutatum postea in *Abraham*) renovavit primi fœderis (de *Fide in se Charitate erga se*, & expectandæ à se misericordiæ *Spe*) capita, dicens. (I) *Ego sum DEUS fortis Omnipotens.* (II.) *Ambula coram me, & esto perfectus.* (III.) *Ego ero clypeus tuus, & merces tua magna valdè* (Gen. 17.1. & 15. 1) Additô promissionibus his, è *posteritate sua proditurum illud conterendo Draconis capiti destinatum semen*, MESSIAM, *in quo denuò benedicendæ essent omnes familiæ Terræ* (Gen 12.4. & 18.18. & 22.18) Vt ergò sibi adhæreret cum omni posteritate sua, quam interim *Circumcisionis* sigillo ab aliis Gentibus discriminari voluit.

940. Posteaque illi, multiplicatæ validum in populum, sanctam suam *Legem* dedit, per magnum Prophetam *Mosen*; divisam sapientissimè in *Moralia Ceremonalia, Forensiaque præcepta.*

941. *Moralia* fuerunt interni & æterni cultûs norma, comprehensa verbis decem, promulgataque tremendâ majestatis voce de monte Sinai, & inscripta post ipsius Dei digitô Tabulis duabus lapideis, missaque ad illos per Mosen. Priori Tabulæ inscripta erant Officia pietatis erga Deum. *I de cavendo alieno Numine: II. de fugiendis Idolis: III. de Nomine suo sacrosanctè habendo: IV. de Sabbati die reverenter obeundo.* Alterâ Tabulâ describebatur debita proximis observantia; nempè, *V. de parentibus & benefactoribus in honore habendis: VI. de nullius Hominis violanda Vita: VII. nec temeranda Pudicitia: VIII. aut subtrahendis bonis externis IX nec lædenda Fama: X. cavendo denique pravæ etiam Appetitionis inordinato motu.*

942. Quia verò *Velamentis gaudet Religio* (ad ineffabilia mysteria sensibus quoquomodo præsentandum) obvelare ibi quoque Deo libuit, Ecclesiæ tunc infanti, futura Redemptionis mysteria variis *Ceremoniarum umbris*. De quibus quicquid Divinitùs ordinatum legimus *Legis Ceremonialis* nomine venit. Quale fuit *ad unicum Deum*, interque Deum & homines *unicum Mediatorem*, & pro mundi peccatis *unicum sacrificium*, *& unicum* omnes illuminantem *Spiritum Sanctum*, adumbrandum, ordinatio *de unico* tantùm, tanto licet in populo, *Sanctuario*; & unico in illo *Altari*; & unico *Sacerdote summo*; & unico jugiter ardente Igni, &c.

943. Ut tamen DEUM illum verum, Deum Israëlis, esse unum & trinum discerent, jussit erectum inter eos *Tabernaculum* suum (posteaque *Templum*) tripartitò dividi: ut Atrium exterius essent pro toto populo, interius pro Sacerdotibus & Levitis, intimum pro solo Sacerdote summo; Congregariq; eum in locum ter de anno populum totum, ad celebranda beneficia Dei; (I.) Vt *Creatoris & Conservatoris omnium, festo Scenopœiæ*, ubi conservationis suæ in deserto per annos quadraginta recolebant memoriam; (II.) Vt *Redemptoris sui, festo Paschatos*, ubi liberationis suæ ex Ægypto, & vindicationis ab Angelo percussore per sanguinem Agni, recordationem obibant; (III.) Vt *Sanctificatoris sui, festo Pentecostes*; ubi cœlitùs sibi datæ Legis commemoratio fuit, &c. &c. &c.

944. Mandavit quoque sibi offerri *Victimas*; tum *Laudis*, pro benificiis collatis; tum *Deprecationum* pro impetranda (à Deo sibi per Messiam propitiando) delictorum gratia; tum denique *spontaneas oblationes*, pro contestando æterno erga Deum suum obsequio, & continuandæ erga se æternæ illius misericordiæ fiduciâ.

945. Pars

945. Pars quoque *Ceremonialis Legis* fuit, Ordinatio de proventuum primitiis Deo, & decimis Sacerdotum Collegio ad continuandum sacrum Dei cultum, offerendis. De abstinendo item à Cibis immundis; & Sanguine in cibum vel potum non adhibendo: Illud eò, ut totos nos sanctos & mundos esse debere commonitorio esset; hoc, ut sanguine Agni purgari Animas memores, rem usui sacro destinatam ad usus vulgares transferendo profanare caverent: sic ceremoniam hanc interpretante Deo ipso (Levit. 17. v. 11.

946. *Legis Forensis* mandata ad populi duræ cervicis refrenationem pertinebant: eòque fine quomodo administranda essent Judicia publica, & quàm severè animadvertendum in prævaricatores, quàmque duriter puniendi malignè peccantes, & à violentia rursum defendendi innocentes, præscribere particularissimâ visum est Deo iniquitatum osori. Inprimis ultimâ pœnâ affici voluit, proisusque è medio tolli. *Dei desertores, & Numinis Divini blasphematores, & nomine Dei seductoria Verba loqui ausos, sibique Prophetæ personam imponentes*, &c.

947. Ita legibus & pœnis circumvallati, incurrebant tamen in crimina: ideoque per submissos identidem spiritu prophetico afflatos Viros admonebantur: & quoties istos quoque despectui haberent, rediteque per pœnitentiam ad Deum detrectarent, castigabantur. Donec & toties blanditiis revocanti, minis instanti pœnas intentanti, aut etiam plagas infligenti Deo contumaciter rebelles, Terrâ patriâ ejecti, Templo & Sacerdotio exuti, & quisquiliarum instar per mundi Regna (tristi iræ Dei, judicia sua à Domo sua inchoantis, spectaculo) disjecti sunt: retinentes nihilominus avitæ Religionis umbram.

948. Abierant jam ante bis mille annos tres in sectas, *Pharisaicam, Sadducaam*, & *Essenam:* nunc in duas potissimùm divisi sunt. Europæi nostri superamenta sunt de tribu Juda & Benjamin, in captivitatem abducti, post ereptam illis ultimò terram Palæstinam, per Romanos. Asiatici decem Tribuum post destructum Israëlis Regnum in Assyriam & Orientales Terras dispersarum sunt progenies: quibus cum nostris Vatinianum & implacabile intercedit odium.

949. Nostri etenim Pharisaico traditionum fermento infecti, commenta Rabbinica (nugacissimo Talmudi libro contenta) tanquam pretiosos super Scripturas Divinas commentarios in deliciis habent: quam alteri isti, solis Prophetarum libris contenti, extremè abominantur. (Quanquam quid & istis lampas hæc Dei? quid enim *Caco cum speculo*?) *Medullam tamen Scripturarum*, promissum *Messiam*, magnam illam Patrum spem, hi & illi retinent, illiusque Adventum eòusque differri attoniti stupent, atque ut veniendo veniat tandem. & se sic dispersos recolligat, certis anni diebus Deo Abrahami, Deo Isaaci, Deo Jacobi, multis cum jejuniis & planctibus supplicant.

XCVII. Christianismi Lux.

950. *Christianorum* nomen iis tribuitur, qui magnam illam Mundi exspectationem, *CHRISTUM* (*Unctum* Dei vox hæc significat Græcis, æquè ut sua illa *MESSIÆ* Hebræis) cujus sanguine Paradisi culpa eluenda, iniquitas abolenda, justitia æterna reducenda, & amissa Cœli hereditas reparanda fuit, (Dan. 9. 24.) jam venisse, nec alium illum quàm *JESUM Nazarenum*, ob solum humilem hic statum à Judæis levi habitum, esse, corde credunt & ore profitentur. Nullâ temeritate huc abducti, sed præmissis de Mundi Reparatore vaticiniis Divinis, veritate ipsâ in Christo comprobatis, persuasi.

951. Summa est: quòd in ipso prænuntiati temporis puncto apparuit, ablatò à Iuda sceptro; & quidem lo-

eo, quem ipsi natalem prædeterminaverant Oracula Divina Bethleemi; atque de Domo & familia David; & nascendi modo supra naturæ sortem, pura ex virgine; & quòd verbo & opere potens fuit, signa edens, quæ mortalis posset nemo; vitamque vivens per omnia incontaminatam, sanctè sanctam; & quòd morti addictus innocens, maligno eorum livore, quos veritate offenderat, pertulit eam sic, quomodo vaticiniis Prophetarum prædictum, Victimarumque ritibus præfiguratum fuit, tolerantissimè; Orans insuper pro Crucifigentibus se, & sic tentationes omnes, mortem quoque ipsam, morte suâ vincens, novus cœlestis Adam; protestatus priùs, *se animam suam tradere pro Ovibus suis, hoc mandatô acceptô à Patre suo* (Ioh. 10. 18) *in redemptionem pro multis* (Matth. 20 28.) & *sanctificare seipsum pro hominibus, ut per id sanctificarentur ipsi* (Ioh. 17. 19.)

952. Roborat fidem, quòd sicut dixerat *Animam suam neminem à se tollere, seipsum eam & ponendi & rursum sumendi potestatem habere* (Ioh. 10. 18.) ita evenit. Nam & posuit eam verè, emittens spiritum non ut alii moribundi *debelitate fracti* (Iob. 14. 10.) *sed cum rugitu vocis magnæ* (Matth. 27. 50. Marc. 15. 37. Luc. 23. 46.) Et reassumsit eam, die tertiâ resurgens à mortuis, suosque redivivus toties revisens; quadragesimâ tandem die ascendens visibiliter, ipsis aspectantibus, in Cœlos, dimittens indè super electos priùs, ad Gentes Legatos suos, Apostolos, quemadmodum pollicitus erat, Virtutem ex alto, Spiritum sanctum, quâ induti, & linguarum dono mirabiliter instructi, irent annuntiatum populis, Sapientiam illam Dei, per quam Mundus fuit factus, descendisse, carneque humanâ tectam nobis conversatam fuisse. Sed Redemptionis opere peracto rediisse ad Deum, & reversuram ultimo die ad mortuos omnes resuscitandum, & sic plenè tandem opera diaboli obolendũ mortem quoque ipsam; & inchoaturum novam cum suis Vitam æternam. Cujus *participem fore, quisquis à peccatis resipiscens crediderit, & in nomen Patris, Filii, Spiritusque sancti baptizatus fuerit.*

953. Adde, quòd hæc Evangelii tam simplex, per homines tam simplices, nullâque humanâ potentiâ, vel authoritate, aut sapientiâ, armatos, prædicatio ita pervicit: ut, licet omnibus viribus resisteret Mundus, mactarenturque ut Oves, non tantùm Apostoli omnes, extra Johannem, sed & Martyrũ myriades tercentenis annis; *Religio* tamen ipsa *Christiana, millies accisa, incisa, concisa, excisa, supervivit.* Quid, supervivit? superat etiam & vincit. Succubuit enim tandem Mundus, videns homines, qui bonis & vitâ spoliari maluerunt quàm Christo, totos Divino æstuantes amore, pro salute proximi quotidiè venales, malorum bonorumque Mundi obstinatos contemptores, unius Cœli & futuræ vitæ fervidos anhelatores, ideòque mortem in lucro deputantes, inter fidiculas & tormenta, laqueosque, ignes, triumphantes, & se vicisse clamantes. Hæc, inquam, ut vidit Mundus, obstupuit, mactandoque Christi testes lassatus, manus adeò dedit, ut hunc usque in diem plures accedant Gentes, hæreditariò illam fidelium patri promissam accepturæ benedictionem.

954. Credere igitur, *Jesum esse novum Adam, ad reparandum res perditas* cœlitùs *missum, hominem verè Divinum, imò Deum-Hominem, Gigantem geminæ substantiæ, Divinitatis & Humanitatis horizontem, Dei & Hominum sequestrum, datumque generi humano à Deo magistrum,* facit Christianos. Qui Fidei, Vitæ, Speique suæ normam habent præ Iudæis perfectiorem: (Scripturam scil. Divinarum Canonem novis amanuensium Christi, Evangelistarum & Apostolorum, scriptis auctum.) Extra quam lucem omnes Philosophiæ Ethnicæ; Legisq; Iudaicæ, alæ & scalæ breviores sunt, quàm ut ad mysteriorum Evangeliô retectorum sublimitatem, solatiorumq; suavi-

suavitatem, pertingere possint. (Evangelium enim *mel est*, *imò mellis medulla*, legi comparatum: tametsi *mel hoc non sine felle dari*, h. e. Evangelii dulcedini Crucis acerbitatem aspergi, Crucifixo placeat; quo non cibus tantùm, sed & medicina, Animæ fiat.)

955. O terque quaterque igitur felices *Christianos! si tanti nominis implendo mensuram regnare in se legem Christi, vitam Christi, Christum ipsum, paterentur!* quæ sola & una æterna cum Christo adeundi regna via est. Vt nempè *Credamus*, quæcunque Ille de sinu Patris prolata revelavit: & *Faciamus*, quæcunque Ille fecit & docuit, (ad exemplum illius nos exinaniendo, & Voluntatem propriam totam, ad tantùm Dei voluntatem faciendum & patiendum, resignando:) & *Speremus*, quæcunquæ Ille sperare, verbo iterum & exemplo, docuit; Postliminium mortis, Vitamque nullo fine terminandam

956. Hæc ecce sunt, quæ Christianismus, regia verè Cœli via, secum fert! quæ vel pueris è Catechetica doctrina, Christianorum mysteriorum tirocinio, esse non ignota possunt. Quid enim *Apostolicum Symbolum* nisi *Fidem format?* quid *Decalogus* nisi *Vitam* & Charitatis opera, *normat?* Quid *Oratio Dominica* nisi *Spem provocat?* (Nempè quod Paternum cor dare vellenovit Filius Dei, hoc à Deo Patre petendo requiri suadet, implendæ petitionis fiduciam variè excitans.) Quid denique *Sacramenta* nisi *Fidem, Spem*, & diffusam per Spiritum S. in cordibus nostris *Charitatem obsignant?* operante omnia illa in nobis per Ministerii media eodem Spiritu Dei Sancto, hæreditatis nostræ arrhabone, ut municipatus noster in Cœlis sit. Hæc autem omnes Christiani, charum Deo nomen, habent, etiamsi habere se, & abundè habere, non omnes intelligant.

957. Nam Cœlestis noster legis interpres umbras Mosaicas veritate commutans, & viam legis salebrosam (ut Sancta illa & directa Sionis via fieret, per quem incedendo ne stulti quidem errare possent, Ies. 35. 8.) explanans, *legem Moralem* totam in unicum *Dilectionis mandatum* collegit: & *Ceremonialem* totam *Baptismate & Eucharistiâ* consummavit: *& forensem* totam ad *Claves Regni Cœlestis*, seu *Disciplinam Ecclesiasticam*, in severis admonitionibus, correptionibus, Excommunicationeque tandem (aut rursum Absolutione) consistentem, reduxit. Sed homines, felicitatis suæ hic incuriosi, relapsi sunt à Christo ad sese: hoc est, prolapsi à simplicitate in multiplicitatem sensuum, rituum, & dehinc pugnarum.

958. O quàm benè futurum nobis erat, si fide simplici hunc æternæ Veritatis doctorem sequi, suave humilitatis & obedientiæ jugum ad (quod nos invitabat Matth. 11. v 29. 30.) tollere, levissimum dilectionis mutuæ onus portare, spontaneæque Crucis participatione veteris in nobis Adami reliquias, Affectus carnales, mortificare, animum induxissemus! At nos accendendo cœlesti Soli nostro ratiocinationis propriæ faculas; & de obscuris scripturæ locis nos suspendendo tanquam de cruce (quum clarissimorum satis sit;) & inflando nos adversus invicem sensibus propriis; & nihil tolerando alii in aliis, ne adiaphora quidem (propter quæ scindi Ecclesias Apostoli vetuerant) quas non excitamus tragœdias? *Turpe quidem dictu, sed si modo vera fatemur*; nihil inter Christianos æque regnat, ac ea, quæ cum *capite legis Christi, Charitate*, pugnant, Christumque inter Gentes blasphemari faciunt, odia, rixæ, bella, & sese invicem evertendi studia: dehinc autem, veluti ruptis omnibus repagulis, omnis prophanitas: ut *Christianismum in Christianismo penitus desideremus*. Visne dissensiones istas videre? Ulcus quidem *tangi non vult*: at premendum etiam est, ut tabum & sanies exeat, Quod faciet suo tempore Deus: nos

Nos nihil nisi tangemus jam, pallio etiam Charitatis strumas tegendo nostras.

959. Diem hebdomadæ primum, quem *Dominicum* vocant (quia in eo resurrexit Dominus) feriantur omnes: cæteris festivitatibus divisis in *statas* seu *stativas*, iisdem recurrentes Mensium diebus, ob idque *Festa immobilia* dictas; & in *conceptivas*, diem Mensis mutantes, & ob id *festa mobilia* vocatas. Admittunt item *ferias imperatas*, publicis interdum supplicationibus & jejuniis indictas.

960. Quoties feriatus illucescit dies, fervidiores Christiani se & suos domi priùs sacris præparant exercitiis, dumque campanarum pulsu Cœtus convocatur, Ædisque sacræ panduntur per Ædituum januæ, adeunt ipsi quoque, suos secum ducentes. Ecce autem ibi Cantorum chorus Psalmos, hymnos, & cantica spiritualia, decantat! accinente simul populo, & assonante organorum Musicorum, sicubi habentur, concentu.

961. Concionem ad populum habiturus *Praco Divinus*, procedit è loco suo, conscendit ambonem sacrum, & præmissâ gratiæ Spiritus S. invocatione, ex Oraculis Divinis partem quandam prælegit, & mox aliis Scripturis dilucidat: *articulum* aliquem *Fidei* indè stabiliens, aut *locum* aliquem *communem*, *Charitatis vel Spei*, *Adhortationis*, *vel dehortationis*, *Consolationis* vel *comminationis*, &c. eliciens, exemplis confirmans, similitudinibus illustrans, &c.

962. Concione finitâ, precibusque ac litaniâ peractis, dimittit Ecclesiastes Concionem, faustâ Divinæ Benedictionis denuntiatione. Fit tamen sæpè, ut pœnitentes veniant absolvendi, & administranda Sacramenta: excommunicandi autem & à sacris excludendi, qui obduruerunt & obbrutuerunt ad malum.

963. Primùm Christo inserendi, & Ecclesiæ accorporandi, tinguntur *sacro Baptismate*, infantes etiam ipsi: sub conditione tamen Fidei, ad quam eos institutum iri, pii ac fideles ad actum hunc exorati testes in se recipiunt; quos baptizatus postmodum *Susceptorum* suorum nomine, Parentes autem eorum *Compatrum* & *Commatrum* suorum titulo, dignantur.

964. Non tamen desunt hos tales qui rebaptizant, *Catabaptistæ* indè vocati: prætendentes, susceptum ab insciis sacramenti mysterium efficaciâ destitui. Quare illi suos non nisi adultos, ore suo fidem & obedientiam professos, & sic per semetipsos, scientes ac volentes, Christo devotos, ad Baptismum admittunt. *Abyssini in Africa* Baptismo *Circumcisionem* (in honorem, ut aiunt, Christi, qui & circumcisus & baptizatus fuit) adjiciunt: Baptisma autem quotannis iterant. *Cophthitæ & Suriani in Asia* Baptismo aquæ superaddunt *Baptismum ignis*, inustô fronte charactere Crucis; aut immissis olei candentis guttis tribus. Addunt alii *Exorcismum*, ad depellendum ab homine baptizato impuros spiritus: & *Chrisma*, seu unctionem oleo sacro, ad unctionem Spiritus S. designandam. Tandem, alii baptizandos immergunt flumini; alii aquâ solùm conspergunt; alii neutrum esse necessarium, Baptismum sufficere internum (Fidei plenæ) argutantur, *Sociniani*: cùm tamen Christus credentes baptizari h. e. Baptismi tesserâ hac notari, & ad militandum in castris Christi constanter hoc ipsô sacramentô obligari) mandârit.

965. Inprimis autem *pomum ἔριδος* (contentionis) facta est Christianis, proh! sacrosancta Christi Cœna, quâ ille in Agni Paschalis locum (& quidem eâ ipsâ nocte, quâ se in victimam pro nobis offerebat) sancitâ, suos *fideles suâ pro nobis in mortem datâ Carne cibari, & suo in peccatorum remissionem effuso Sanguine potionari, jussit*. Recolant enim omnes licet Sacrificii hujus celebrationem, mysteriumque hoc fide constare fateantur: nihilominus tamen

men de præsentiæ Carnis & Sanguinis Christi in Eucharistia modo, omnes propemodum sine modo rixantur; sententiarum non minùs quàm rituum variam discrepantiam odiosissimè sibi exprobrantes.

966. *Ecclesiasticos si spectas Ordines*, Apostolorum tempore *Pastores* Ecclesias pascebant; *Doctores* doctrinæ puritati invigilabant: *Seniores*, seu *Presbyteri*, Disciplinæ exercitio attendebant; *Diaconi* Eleemosynas colligebant, dispensabant, erogabant. [*Apostoli* enim, Christi ad Gentes legati; & *Evangelista*, ad nuptias Agni invitatores, æternique Sponsi paranymphi; & *Prophetæ*, arcanæ Dei voluntatis interpretes, futurorumque nuntii, extraordinariæ erant, & temporarariæ, vocationes.] Sed temporis successu, variisque occasionibus gradus fuerunt multiplicati: ut tandem Ecclesiæ Græcæ ac Latinæ prodiret visendo Ordinum gradatim sese attollentium apparatu *Hierarchia*.

967. Ibi namque sacris initiantur primùm *Ostiarii*, mox *Exorcistæ*, dein *Lectores*, tum *Acoluti*, pòst *Diaconi*, demum *Presbyteri* sive *Sacerdotes*: quibus Missam faciendi, Confessiones audiendi, Aquâ lustrali conspergendi, Moribundos ungendi, Neogamos copulandi, &c confertur potestas.

968. Super Presbyteros (quorum qui uno Sacello, seu ædiculæ sacræ, præficitur, *Sacellanus*; qui Parœciæ uni, *Parochus*) constituitur ad eos regendum, visitandum, in ordine continendum, *Episcopus*; super Episcopos verò plures, *Archiepiscopus*; quibus iterum anteeunt *Patriarchæ*; super omnes autem est *Papa*, seu *Pontifex* Romanus, cum *Cardinalium* suorum Collegio.

969. *Monachi*, paupertatem spontaneam, & castitatem, obedientiamque, juxta Regulam certam professi, *Monasteriorum claustra* inhabitant: quibus intra sua vota continendis præponuntur *Antistites*, *Abbates*, *Propositi*, *Priores*; Virginibus autem similiter devotis, & seculo exemptis (quas *Monachas*, & *Sanctimoniales*, tandem & *Moniales*, vocant) *Antistitæ* suæ, vulgò *Abbatissæ*, præsunt. *Eremitas*, qui scandala Mundi declinantes deserta inhabitant, religiosis accenseas, licet.

970. Scandalosa invehentibus in Ecclesiam discidia, sibique colligentibus factionem, *Schismaticis* nomen est; desciscentibus ab Ecclesia penitùs, & communioni renuntiantibus, *Apostatis*. Sed qui Scripturis abutentes, Dei verbis non Dei sensum, sed errores, propinant, *Hæretici* sunt: at ipse pravi dogmatis author, & obstinatus ac deploratæ arrogantiæ decreti sui assertor, eòque Veritatis ac Ecclesiæ oppugnator, *Hæresiarcha*.

971. Quod genus scandalis quoties occurrendum est, cogitur primorum Ecclesiæ panegyris & solemnis congregatio, prout morbus serpit; intra septa unius Provinciæ, aut Nationis, aut etiam ex omnibus Christianis Regnis, quod *Oecumenicum* vocant *Concilium*. Hic congregati Catholici orthodoxi piique viri, *Controversias* quomodocunque motas secundùm Scripturarum & fidei analogiam determinant; Schismata componunt, & dissidentes reconciliant; in refractarios gladium Disciplinæ stringentes, blasphemos autem excommunicationis fulmine ferientes. Si quid tamen, supraquam humano ingenio determinari possit, obvenit, indecisum suspendunt: atque, si quid emendare nesciunt, DEO vindici committunt.

XCVIII. Mahumedismi nova caligo.

972. *Mahumedanos* à *Mahumede* denominamus, quicunque istum Orientis herpetem & cancrum, *pro tertio magno Mundi Propheta* (quo titulo ab ipsis & Moses & Christus honoratur) habent & colunt. Is enim ex insidiis Regna mundi petens, ut proniorem in obsequia haberet superstitione dementatam plebem, finxit Gabrielem Angelum subindè sibi loqui, & arca-

na quædam revelare. Quarum Revelationum exitus tandem fuit *Religio nova, ex Judaica & Christiana miscella, quasi utrâque facilior* : nec scilicet tam ceremoniis onerans, ut illa ; nec tam sublimibus & scrupulosis quæstionibus discrucians, ut hæc.

973. A Mose mutuatus est leviores quasdam Ceremonias ; à Christo doctrinæ Moralis partem ; alia de suo addidit. Ut quòd feriam hebdomadæ sextam (quam Gentiles attribuerant Veneri) suis esse feriaticam voluit : rationem prætexens, quòd eâ die creatus esset Homo. Precari item suos, & ablui de die quinquies, jussit : jejunare nonnunquam, idque toto die, ad stellam usque, sed ita, ut noctem sequentem ad comessandum haberent liberam. Vino & Suillâ ex toto suis interdixit : polygamiam verò omnibus indulsit. Voluptates præterea corporeas post obitum promittẽs in paradiso, &c.

974. Hanc monstrosæ Religionis nubem Arabicus continet liber *Alcoran*, divisus in *Azoaras*, seu Capita, 114. cui dati mystagogi Talismanleri ac Dervisii, non tam interpretando, lucem, quàm silendo authoritatem conciliant, (capitale enim apud ipsos est de Religione disputare :) quibus verè *Eleusinis sacris* supremâ authoritate *Muffti* præeminet, *Muslimorum* omnium (ita enim seipsos appellant, i. *electos*) *Pontifex*.

975. Contendunt illi quoque inter se, de primis Alcorani interpretibus : quem alii solum *Ali* esse volunt authenticum ; alii huic tres alios pari dignitate addunt socios, *Aomar*, *Osmar*, *Ebubecar*. Atque hæc est atrocissimi & inexpiabilis inter Turcas & Persas odii, perpetuorumque bellorum causa. Vah non intelligunt mortales malè Religionem armis flammisque, mediis videlicet Religioni ex diametro oppositis, defendi.

976. Rem verò lamentabilem ! *Deum unitatis radicem æternam, adeò nos non unire, ut nullibi magis, & noxiè magis, dissideamus, atque hic.* Non illius tamen culpâ, qui ut unus est, ita in se Unum esse vult omnia : sed nostrâ, qui ab unitate recessimus ad multiformitatem. Cui incommodo nequicquam mederi quærunt *Libertini*, Religionum indifferentiam Conscientiis permittentes. Hoc enim consilium non ex Deo est, qui se Deum Zelotem appellat, & à nobis pro veritate & cultu suo zelum requirit : quia, qui non zelat, non amat.

XCIX. Providentiæ Divinæ omnia parmeantis contemplatio.

977. Ut manum imponamus extremam : *Estnè jam volupe videre ea, quæ videri non possunt ?* oculis puta brutis, & corde stulto (Ps. 94 6.) *Quæ illa?* Invisibilis Ille rerum auctor, qui æternitatem inhabitans indè omnia intuetur, Angelorumque invisibili ministerio administrat omnia, maxima minima.

978. Nam tametsi omnium Opitulator opis indigus non sit, complacitum tamen illi fuit constituere sibi Dispensationum consilii sui administros præveloces, mole corporeâ haud præpeditos, qui mandata obirent amandati ; & ocyssimè se referrent mandatis functi, ad circumstandum gloriæ Thronum.

979. Quorum pars, concepto in majestatem superiorem odio, obedientiæqve remisso nuncio, proturbati sunt à solio gloriæ, & detrusi ad tenebras Averni : perseverantes autem constabiliti in bono, ut à lapsu immunes jam sint in æternum.

980. Distingui eos inter se nominibus, liquet equidem è Scripturis, sed quæ in nostram venire notitiam noluit Deus, præterquam *Gabrielis, Raphaelis, Urielis*, & si quod præterea. Atrorum geniorum caput *Beelzebubum* (Muscarum dominum) dici legimus ; Latinâ voce *Luciferum* cognominare adsuevimus.

981. Bo-

981. Bonis inter officia datur, assistere hominibus piis, ad calamitates ab illis averruncandum, & ab insultibus Orci eos tutandum, tandemque ad animas eorum Cœlo inferendum. Apparere eos interdum, rursumque disparere, constat: neque credendum id fieri oculos perstringendo, sed apparentiâ verâ.

982. Præstigiæ malis conveniunt geniis: quibus à diverso apparendi modo diversa imposuit gentilis superstitio (collusiones illorum sæpiùs experta) nomina. Ut nempè apparentes in alicujus demortui persona, *Larvæ* dicantur: proterrentes homines aliàs, *Spectra*: infantibus infesti, eosque in fœminea forma opprimentes ac exsugentes, *Lamiæ*: per noctem intempestam tumultuantes, *Lemures*: veteratoriè alicui in domo famulantes, *Lares* & *Penates*: in Vitro asservati, & cum illo empti, curiosulisque arcana quædam interdum dictitantes, *Spiritus familiares*. Ludibundi sunt omnes, & deceptorii: quorum tamen malâ voluntate, pravisque moliminibus, ad salutarem piorum probationem, promeritamque impiorum divexationem, bonus sapiensque Deus benè sapienterque uti novit, & utitur.

983. Delirant ergò, qui cum *Epicuro* otiosum faciunt Deum, quia rerum tumultu non fatigandum censent: quem tamen rebus intervenire, tam crebra prodigia & vaticinia, insigniores rerum mutationes præsagientia, & eventis toties comprobata (ut ab Omniscio nos præmoneri, dubitare nisi mentis expers non possit) arguunt.

984. Nec impar *Stoicorum* insania, qui ex naturalium causarum concursu *Fatum* fabricant, cujus catenis ipsum quoque rerum omnium Rectorem ac Mororem innectunt. Res quippè non tali necessitatis nexu procedere, hoc potenter arguit, quòd non eadem semper effecta ab iisdem veniunt causis: cujus rei documento sunt tot fallaces *Astrologiæ judiciariæ* (quæ similibus Cœli & Stellarum posituris similes assignare consuevit aëris tempestates, aut natorum sortes) prædictiones.

985. Ridendi quoque sunt Machiavellistæ, subtiles atheistæ, qui Mundum humanis regi consiliis (intelligunt autem astutias) sibi persuadent, quàm ineptè! Persæpè enim *optimè cogitata pessimè cadunt*: quia *Homo proponit, Deus disponit*; imò disturbat consilia humana consiliis suis adversa. Sæpè rursum *inconsultam Atheniensium temeritatem* (quod olim parœmiæ loco fuit) *exitus sequitur bonus*: quia *humanæ fatuitati* (ut nunc in proverbio est) *Divina patrocinatur providentia*. Istos verò *Janos bifrontes, à fronte simul & occipitio oculatos* (qui sibi, quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura putantur, non ignorare; calliditateq; suâ omnibus, Deo etiam ipsi, illudere posse videntur) eâ tandem mactat infelicitate, ut fastuosis suis excidentes ausis, aliis risui, sibi desperationi, relinquantur.

986. Tu ergò firmiter statues, certò esse *Oculum omnia videntem*, & *Aurem omnia audientem*, & *Manum omnia operantem*. Mens hominis providet homini, Mens Universi Universo: sed hæc perfectiùs, illa quia principio & fine videt, prævidet, pervidet, omnia: imperfectiùs illa, quia incipit & desinit; atque etiam dum intenditur maximè, paucis videndis, prævidendis, pervidendis, sufficit: quia uni loco & tempori inclusa, non nisi rerum particulam ante se habet; ipsa quoque simul nonnisi Universi particella (hem quantilla!) exsistens. *At Circulus ille æternus, cujus centrum est ubique, & circumferentia nusquam, intra se inclusa tenet omnia, elabi aut effugere sibi nihil patitur.*

987. *Fortis & Fortunæ nomina*, nomina sunt, quibus rei nihil subest, nisi *fortuitos Casus* intelligas. Sed neque hi aliter quàm nostri respectu dicuntur: Oculo omnia videntis, imò omnia intendentis, & metas rerum prædis prædisponentis, nihil est fortuitum.

988. An ergò *rebus insunt Omnia?*

Cave,

Cave, aliter statuas, Omnis effectus habet ante se causam: omnis eventus aliqua prægredientia signa. *Captandis igitur Omnibus dabimus operam?* Cave istuc abripiaris. Si quid futuri te præscire tuâ interesse videbit, qui videt omnia, & videbit te humili fiduciâ pendere à bonitate sua, non committet, quin aut tibi detegat, aut te inscio mala tua à te avertat. Tu tua fata invitô illô anticipare cur præsumas?

989. Lætare potiùs, curæ esse te Illi, cujus Oculus irretortus & inconnivus est ad omnia, tametsi ad multa conniveat: & cujus Manus potest omnia, tametsi non faciat, quæ nos vellemus, omnia: & cujus providentiæ afflictiones etiam instrumentum sunt, bonis in bonum. Vndè illud, *Deo charissimi flagellis proximi:* sed & rursum, *Pro Deo afflictissimi, Deo proximi.*

990. Vtut autem verum fuerit, quod paulò antè memoravi, *Providentiam Divinam insipientibus patrocinari:* insipientes tamen per simplicitatem intellige. *Subdolè ac temerè cum Deo & rebus agere, paratam à tergo habet pœnam:* lento licet gradu ad vindictam sui Divina procedit ira, tarditatem tamen supplicii gravitate pensat. Contrà, seriò agere, quicquid per nos boni agi potest, quocunque eventu fiat, lætam dat conscientiam: securis nobis, sub tam bono omnium Directore nullum malum sine aliquo bono esse posse: si non hîc mala nostra terminentur, saltem in futuro illo seculo.

991. *Extrema* cuique nostrûm *linea Mors est*: quam quisquis fugitat, umbram suam fugitat, quæ nec effugi potest, nec habet, cur fugiatur. Quid enim est *Mors? Externo quidem aspectu terriculamentum tetrum: propiùs verò inspecta, Morborum est ultimum remedium, calamitatum finis peractæ navigationis portus: Post vitæ fatigationes somnus, à quo tamen expergefactio certa est: Transitus denique angustus ad angusta bonis; malis autem mortis nunquam moritura vestibulum.* Sed & Mundo ipsi aderit *decretorius ille dies*, quô conflagrabit, moxque è cineribus suis revivisceet, *vivacissimus iste Phœnix.* Vbi nobis in vitam reductis, tremendo illo Iudicio, merces reddetur, unicuique secundùm opera sua: quomodo enim quis hîc sementem fecit, ita ibi metet.

992. O ter quaterque beatos, quibus tum *supera ta tellus sidera donabit!* Quid enim tum erit nisi *Triumphus triumphorū, & Convivium conviviorum*, sine fine? Cùm in Mundi theatro coronabuntur, qui hîc dimicârunt strenuè: hîc Iudices, ibi judicabuntur; hîc judicati, ibi Iudices erunt: quibus quod hîc erat tormentum, ibi erit ornamentum, stupendâ rerum inversione.

993. Væ autem, & iterum væ, infelicibus illis, qui hîc abominanda patrârunt! quia gloriæ suæ vindex malos malè perdet, partem illis cum illo assignans, cui servierunt hîc, rerum Perditore, in stagno ardente igne atq; sulfure: ubi vermis eorum non morietur, & ignis non exstinguetur.

994. Sic erit *extremum Fabulæ mundanæ!* benè quidem peractæ *plausus æternus*; malè autem, *sibilus & explosio, fletusque & stridor dentium*, æviterna: ubi mali bibent improbitatis feces, boni autem colligent pietatatis fructus. Atque hîc etiam *ultima* sit *linea* lustraminis rerum nostri: jam *manum de tabula!*

995. Sed utinam, quemadmodum Deo cuncta creata curæ sunt, ita ille nobis omnibus curæ sit! *Utinam quemadmodum de sublimi descendimus, ita revertamur eòdem!* Ita demum peractâ mortalitate mori non trepidaremus: liberandi sic è *Corporis carcere, stultorumque cavea, Satanæ caupona, tenebrarum tabernaculo, turpitudinum voragine, Mundo.* Insultaremusque mortui, dicentes: O Mors, tu quidem morieris in me, at ego reviviscam in te!

C. Colophon.

996. Attigimú ne *Operis calcem*? an *nusse peractâ spicilegium* aliquod superest?

est? Quæ hactenus tradidisti, ut *digitos meos* (confidenter dicam, *ambitione relegatâ*) *teneo.*

997. Præfiscini! *Magnus sum, si est, ut dicis.* Sed audi! *In portu* quidem *navigamus*, ne tamen nobis nimiùm placendo *in portu etiam impingamus*, cavendum. Ego sanè, ut omnia videres alia in aliis; cogitationesque istæ posteriores sapientiores essent prioribus; fluerentque tibi, fontibus apertis, rivi, annisus sum: & certò futurum spero, ut animæ tuæ hortulos rore Sapientiæ irrigari sentias, quoquò te in lumine hoc verteris. Si nihilominùs votum per omnia non assequimur, solatio erit, *nemini unquam fuisse fraudi magna in sylva non omnes cæpisse feras. Et opere in magno fas esse obrepere somnum.*

998. Tu modò jam, si tibi salivam sensisti moveri, ne de his *gustâsse ut Canis de Nilo* videaris. *Plus ultrà contende*: *inque Authorum Palatia*, quò jam tibi aditus patet, *ingredere*. Ni facis, eris, ut qui *à Janua aberrat*: aut ut qui *ad loca inaccessa viam sibi labore magno munivit, paratam ingressus non est. Callem ergò Sapientiæ ne desere, huc usque progressus: ab ipsâ ne messe discedas? telam exorsus à pertexenda desistas? Rivulis ad fontes deductus, hos destituas? Dulcius ex ipso fonte bibuntur aqua.*

999. Ad extremum, Vellicet tibi aures illa Dei vox, ut, *si sapis, extrema prospicias!* (Deut. 32.29.) Ultramundanaque illa, quæ veram lucem, suavitatem, æternitatemque habent, ita tibi proponas, ut quæcunque antecedunt, istuc disponas: nec vita tua tota aliud sit, quàm ad illam verè vitalem vitam via! *Sic vive, ut pòst vivas! Vive Deo, qui est author vitæ tuæ! Vive Conscientiæ, quæ est vita vitæ tuæ! Vive Famæ, quæ est vita post vitam tuam.* Quæ solicitudinum triga uno sacrosanctæ Pietatis studio continetur: cujus tu, ad supernæ palmæ cursurus honores, *memineris meminisse.* Atque sic æternùm salve, æternùmque Vale.

1000. *Æternitatis autem Præsidi, UNI & TRINO, qui fuit, qui est, qui erit.* Ἄλφα *omnium &* Ὠμέγα, *primo & novissimo, laus sit, & benedictio, & gloria, & regnum, in omnes sempiternas æternitates! Amen, Amen, Amen! Hallelujah!*

FINIS.



[illegible]

290. Ad extremum, Volo [illegible] tibi [illegible] ([illegible] 14. 17) [illegible] interea [illegible] veram [illegible] inclina- [illegible] recte [illegible] ita tibi [illegible] quæ antecedunt. [illegible] vita [illegible] aliud [illegible] vitam [illegible] Patri [illegible] Domini [illegible] extremum [illegible]

[illegible]

Leges [illegible]

I Lactantii [illegible] omnia [illegible] Verum [illegible]

[illegible]

F I N I S.



GRAMMATICA JANUALIS.

CAP. I.

Introitus in Grammaticam.

Quid est Grammatica ? *Ars recte loquendi.*

(*Quanquam* & scribendi. *Dicitur enim à γράμμα, hoc est scriptio, litera : estque* recta scriptio *omnino Grammatica pars. Prius tamen est Loqui, quam Scribere.*)

2. Quid est loqui ? *Sono articulato mentis cogitata proferre.*

3. Quid hoc, sonus atticulatus ? *Attende. Sicut Corpus nostrum ex artubus, seu membris, constat : & Manus habet digitos, digitus vero articulos : ita Sermo in partes dividitur, majores & minores.*

4. Ostende id. *Ostendo. Omuis prolixior Sermo resolvitur in* Segmenta, *seu (ut nunc loquimur)* Capita ; *Caput in* Periodos ; *Periodus in* Sententias; *Sententia in* Phrases ; *Phrasis in* Voces ; *Vox in* Syllabas ; *Syllaba in* Literas.

(*Ex.gr. Psalterium Davidis in Psalmos* 150. *Psalmus* I. *in periodos* (*seu versiculos*) *sex. Periodus prima habet sententias tres : prima Sententia Phrases sex.* (1. Beatus-Vir. 2. Vir-qui. 3. qui abiit. 4. non abiit. 5. in consilio. 6. consilium-impiorum. *Phrasis prima habet voces duas: Vox prior syllabas tres.* Be-a-tus. *Syllaba prima literas duas*, Be. *Sic in septem partes resolvitur omnis Liber, omnisque Oratio.*)

5. Quot sunt Grammaticæ partes ? *Vulgo faciunt quatuor.*

I. Orthographiam	quæ doceat recte	*Scribere.*
II. Prosodiam		*Pronuntiare.*
III. Etymologiam		*Partes Orationis dignoscere.*
IV. Syntaxin		*Construere.*

6. *Sed cùm quatuor ista* (recte scribi, pronunciari, dignosci, construi) *conveniant omnibus jam recensitis partibus Orationis : commodissimè*

discetur,

discetur, quicquid in singulis discendum est, simul & semel. Eruntque Grammaticæ partes septem:

I. De LITERA.
II. De SYLLABA.
III. De VOCE.
IV. De PHRASI.
V. De SENTENTIA.
VI. De PERIODO.
VII. De ORATIONE.

7. Quid in singulis discendum? *Tria.*
I. *Quid sit, & quotuplex.*
II. *Quomodo rectè formetur in sepso:*
III. *Quomodo rectè efferatur, seu ore seu calamo.*

(*Primum illud erit* Etymologiæ *loco, docens partium Orationis dignotionem: Secundum* Syntaxis, *docens cujuscunque partis Structuram seu Formaturam: Tertium* Prosodia *&* Orthographia, *docens pronuntiationem & scriptionem legitimam.*)

8. Quotuplex erit unaquæque Orationis pars? *Triplex: Simplex, Composita, & Contracta.* [*Videbis id ubique.*]

9. Quomodo formabitur? *Regulariter vel irregulariter*, (analoge *vel* anomale.) *Quod dabit* Regulas & Exceptiones.

10. Quomodo efferentur foras? *Lingua & calamo. De quo generalis erit regula*, Qualis pronuntiatio, talis scriptio, & vicissim.

Cap. II. De LITERA.

1. QUID est Litera? *Oris humani sonus minimus & individuus: ut*, A. B. C, *&c.*

2. Quotuplex? *Triplex, Vocalis, Semivocalis, & Muta.* [N. *Semivocales & Mutæ unâ voce Consonæ vocantur.*]

3. Quid est Vocalis? *Litera per se clarè sonans.*

4. Quotuplex est? *Vocales* simplices *quinque sunt*, A. E. I. O. U. *Totidem* compositæ, *Bivocales dictæ* (*Græcè* Diphthongi) Æ. AU. EI. EU. OE. *Totidem* contractæ, â. ê. î. ô. û.

(N. B. 1. Ypsilon *non est sexta Latin. Vocalis, sed est Græcorum υ, ut patet in* Tυ, *tu; μυς, mus; δυο, duo; κυβ@, cubus, &c.*

2. *Contractarum vocalium exempla sunt in* amârit, flêrit, dî, côgo, currûm: *pro* amaverit, fleverit, dii, coago, curruum.)

5. Quid est Semivocalis? *Quæ per se* (*i. e. sine Vocali*) *parum sonat; ut hæ sex*, F. L. M. N. R. S.

6. Quid est Muta? *Quæ per se nihil sonat; ut hæ octo*, B. C. D. G. K. P. Q. T.

7. Quid est Consona Composita? X. *&* Z. *dicuntur duplices, & biconsonæ. Valet enim* X *duas consonas*, CS, *vel* GS, Z *autem* DS, *aut* TS.

(Nihil

(*Nihilque sunt nisi compendia scribendi. Nempe à* Rego *derivatur* Regs, *scribimus tamen* Rex; *sed in Genitivo iterum* Regis. *Similiter à* Neco, Nex, necis; *&* *pro* Dsidsania, *Zizania.*

N. B. 2. Jod *&* Vau *quidam annumerant Biconsonis falso. Non enim esse duplices, nec unquam fieri, clare ostendit Vossius, lib. 1. cap. 22.*)

8. Hactenus Literarum dignotio: sequitur Formatura, quam attende.

(*Equidem ore Literas formare pueri jam sciunt usu; intelligere tamen, qua divina in nobis arte formatio illa peragatur, pulchrum est.* Tu proinde, industriose Præceptor, discipulis hoc præmonstrare ne pigrator. Artis loquendi incunabula hic sunt. *Præsertim si qui discipulorum fuerint blæsi, vel trauli, vel aliàs male pronunciantes, vitiis dediscendi hic locus & occasio est.*)

9. Vocales fluunt ore libero, sono nusquam allidente: majore tantum vel minore oris apertura.

(*Nam si ore maxime patulo sonum exhalas, & lingua subsidente, erit* A: *si minus patulo, & lingua paulum assurgente,* E: *si lingua in canaliculi formam semiplicata,* I: *si ore rotundato,* O: *si coarctato, labiisque exsertis,* U.)

10. H. CH. G. K. *seu* Q. *exhalantur guttere densius aut lenius: hinc dictæ* Gutturales.

11. L. R. Jod. *fiunt linguâ in medio palato vibratâ: hinc dicuntur* Palatinæ *&* Linguales.

12. D. T. S. C. X. Z. *eliduntur dentibus: hinc literæ* Dentales *dictæ.*

13. B. P. F. Vau, *elabuntur è compressis* (*lenius aut fortius*) *labiis: inde* Labiales *nuncupatæ.*

14. M. *&* N. *efflantur per nares* (M. *tamen labiis clausis,* N. *apertis*) *eoque appellantur* Narinæ.

15. De Prosodia & Orthographia literarum quid habes?

Communem hanc Regulam.

Omnis litera sit in seipsa indivulsa, cum aliis autem inconfusa.

(*Ergò non pronuntiabis* aaa, *sed* a, *neque scribes* ci *aut* A, *sed* a; *ut quicquid est unum, cohæreat: servit enim evidentiæ.*

2. *Neque confundes pronuntiando* B *&* P, F *&* V, G *&* J, *aut scribendo* I *&* J, *u & v, & a.*)

16. Da speciales regulas de Prosodia Literarum: *Tres sunt.* 1. Vocales Latinis clare sonant, unaquæque non nisi sono uno.

(Y *tamen Græcum non ut* I *Latinum, sed ut semi-* u *proferendum est: quod & figura ostendit. Nihil enim aliud est* Y, *quam* u, *cum subscripto* i.)

17. Da secundam regulam. 2. Bivocalis uti scribitur, ita pronuncietur: *nempe ut sonus utriusque Vocalis audiatur, licet prioris raptim.*

(*Malè ergò vulgò pronuntiantur* Æ. *&* OE *ut simplex* E. *Enuncietur Vocalis ut Vocalis, non ut Diphthongus: & Diphthongus ut Diphthongus, non ut Vocalis.*)

18. Da tertiam. 3. Consona nulla habuit apud antiquos duplicem & diversum, sed constanter unum & simplicem sonum.

(*Corruptio ergo est, quod progressu temporis quadam aliter, nempe* C, G, S, T, V.)

19. Quomodo pronuntiamus C? *Ante* E *&* I *per sibilum, ut* Cicero; *alibi nude, ut* K, Catus, cor, culpa, crimen, clamo.

(*Antiqui autem non aliter* Dicis *&* Dices, *quam* Dico, dicas, dicunt. *Unde Varro literas* K *&* Q *sublatas voluit, tanquam inutiles. Verùm consuetudo illa pronuntiandi revocari hodie vix potest: quis enim* Ami-ce-ci-cis, *sic pronuntiari*, Ami-ke-ki-kis *ferat*?)

20. G, similiter ante E & I molliter profertur, *tanquam Iod*, (Age, Egi,) *alibi semper ut Græcorum γ*, Gaudium, Gloria, Gratia, *&c.*

(*Iterum antiqui* Age, agis, *non aliter quam* Ago, agunt *proferebant. Quod imitari hodie nimis durum foret.*)

21. S, quomodo sonat? *Inter duas vocales leni sibilo, ut* Usu; *alibi acuto, ut* Sus, sospes.

(*Male ante* C, P, T, *ut Græcum* χ, Scopus, spes, sto.)

22. T, *sequente* I, *cum alia vocali, pronunciatur nunc ut* Tz *ferè*: Tertia, Toties, Totius, Titio: *sed antiqui eodem modo* T *proferebant in* Artium, *quo in* Artes.

(*Retinemus tamen etiamnum nativum sonum* T. *In vocum initio*, Tiara, 2. *post* S, Ostium. 3. *in Græcis dictionibus*, Politia. 4. *in Infinitivo Poëtico* ier, Mit-tier. 5. *In Genitivo* Vitium *à* Vitis: *ad differentiam Nominativi* Vitium, *navus.*)

23. Vau, *molliter sonat omnibus linguis, ut Germanorum* We; *est quippe una eademque litera.*

(*Malè ergo acuto flatu, ut* F, *proferunt Germani.*)

24. De Orthographia literarum quid dicis? *Literam unam una figura pingi naturale est: sed studium elegantiæ induxit Majusculas, à Minusculis diversas*; a, b, c, d, e, *&c.* A, B, C, D, E, *&c.*

(*Majusculas etiam vocant* Fractas (*seu* Fracturas) *quia sunt angulosæ: &* Quadratas *&* Capitales, *ac* Versales: *quia Capitum & Periodorum initiis adhibentur: sed aliter quoque à Typographis appellantur.*

25. *Majusculi & Minusculi characteres sunt, vel* antiqui, *lineis perpendicularibus facti*, A B C D; a b c d, *&c. vel* cursivi, *lineis obliquè vergentibus, ut A B C D, a b c d*, &c.

(*Studiosi utrosque discant.*)

26. F, K, Y, Z, Q, S, U, *non ubique scribantur, ubi sonant, quod sonant.*

(Nam

(*Nam* 1. F *tantum in Latinis scribitur, in Græcis* Ph, *ut* Philosophia.)

2. K, Y, Z *tantum in peregrinis usurpantur. Imò* K *neque ibi, sed* C. Κάκαβος Cacabus, κρύπτη Crypta, *&c.*

3. Q *nusquam nisi ubi* U *sequitur, alibi* C; Quando, queror, quis, equus, cancer, cur, *&c.*

4. *Minusculum* ſ *longum scribitur in Vocis initio & medio, in fine* s *breve: ut* ſuſurrus, *non susurruſ.*

5. u *vocalem scribe pede duplici*, Vau *consonam* v, *V*, *ventre rotundo, aut infra acuminato*: Uva, Vultus, *&c.*

Orthographiæ appendix, Calligraphia.

27. Quid est Calligraphia? *Elegans literarum pictura, singulare eruditionis ornamentum.*

28. Qua in re consistit? Primo, *ut literarum ductus paralleli sint, sibique æqualiter distantes.*

(*Nempe in antiquis perpendiculares*, IIIIII. (m n i) *in cursivis æqualiter obliqui*, *llllll*, (*i n m.*)

29. Secundò, *ut literarum cornua sursum (in l t h b d,) & pedunculi deorsum (in g j p p q y) moderate procurrant.*

(*In tantum scilicet, ut rectè videri queant: nec tamen incurrant literas alterius versus, eoque oculos legentium turbent.*)

30. Tertio, *ut ipsa corpuscula Literarum æqualia sint, æqualiterque lineæ suæ insistant.*

(*Non ergò alia erit major, alia minor, alia elevatior, alia depressior, nec ex toto, nec ex parte.*

Cap. III. De SYLLABA.

1. Syllaba quid est? *Sonus articulatus, una oris apertura prolatus: ut* A, ab, abs, daps, *&c.*

2. Quotuplex est? *Primum* simplex, *ex vocali aut bivocali, vel ex addita consona unâ*: *ut* O, au, ab. *Tum* composita, *ex additis consonis pluribus, usque ad quinque*, Abs, daps, scobs, scrobs. *Tandem* contracta, *ex duabus syllabis facta*: *ut* Mi *pro* mihi.

Formatura.

3. *Omnis syllaba (apud Latinos) habet Vocalem aut bivocalem*: *ut* Rus, fraus.

(*Excipe unicum* St.)

Prosodia Syllabarum.

4. Quomodo proferuntur Syllabæ? *Aliæ celerius, ut prior in* Cito, *& posterior in* Cedo; *aliæ tardius, & cum mora, ut prior in* Cedo, *& posterior*

posterior in Cito : *aliæ ambiguæ, ut media in* Tenebræ, *Possum enim pro-pronuntiare* Ténebræ *vel* Tenébræ.

(*Illas vocant* Breves, *& correptas: istas* Longas, *& productas: has* Ancipites. *signatque cùm opus est, breves sic,* ă; *longas sic,* ā: *ancipites sic,* â.)

5. Unde cognoscitur syllabæ quantitas? I. *Ex Regulis*, II. *Exemplis*. III. *Analogia*.

6. Quot sunt hic Regulæ? *Quatuor*.

I. Vocalis *ante Vocalem brevis est, ut* De-us.

II. Bivocalis *ubique longa est, ut* Præ, aut, heu!

(Exc. *Ante Vocalem anceps est; ut* præ-ire.)

III. Positio *post Vocalem duarum consonarum, aut unius-duplicis, longa est, ut* Post, ex.

(*Muta cum liquida* (l *vel* r) *faciunt ancipitem; ut* Patres, tenebræ, duplus.)

IV. *Omnis crasis longa est, ut* Nil *pro* nihil.

7. Quomodo quantitas cognoscitur exemplo? *Dum allegatur authoritas alicujus probati Poetæ, qui syllabam hanc vel illam produxit, aut corripuit.*

8. Quomodo analogia? *Quia pariter declinatorum est par quantitas, ut* Librorum, *media longa, quia* Dominorum, Magistrorum, *&c.*

Orthographia Syllabarum.

9. *Syllaba una, sicut una oris apertura pronuntiatur, ita uno continuo tractu scribatur, sine divulsione:* Pars, *non* p ars, *vel* pa rs.

Cap. IV. De VOCE in genere.

1. VOX quid est? *Sonus articulatus, aliquid significans.*

2. Ergo sonus nihil significans non est Vox?

Non est: ut Bosr, Buhal, Kro:, Sopant, *&c. neque Latinæ voces sunt, neque Germanicæ: quia illorum auribus nihil significant.*

3. Quomodo dividuntur voces? *Trifariam. Secundum* I. Articulationem. II. Significationem. III. Flexionem.

I. 4. Quomodo secundum articulationem? *primò in Unisyllabas, Bysyllabas, & Plurisyllabas: ut* Fac; Fa-cit; Fa-ci-unt, Fa-ci-e-bant, *&c.*

(*Græcè dicuntur* Mono-di-poly-syllabæ.)

5. Secundò, *in primitivas, derivatas, & dubias; ut* Facio, fact-itius, *&* Facies.

(*Dubitatur enim, utrum* Facies *veniat à* Facio, *sicut* Species *à* Specio, *vel aliunde.*)

6. Tertiò, *in Simplices, compositas, & contractas: ut* Ago, Circumago, Cô go.

II. 7. Quomodo Voces dividuntur secundùm significationem? *In classes decem, sicut & Res, quæ Vocabulis exprimi debent. Nam;*

8. *Res*

8. *Res primò sunt, & nominantur, ut* Homo. *Atque tales Voces dicuntur* NOMINA.

(*Vulgò* Substantiva Nomina.)

9. *Tum sunt tales vel tales, & adnominantur; ut* Bonus, dives, pulcher, *&c. dicuntur* ADNOMINA.

(*Vulgò* Adjectiva Nomina.)

10. *Si autem rem nominare nolo, sed ostendo tantùm, aut innuo,* Hic, ille, iste, *&c. tales voculæ appellantur* PRONOMINA.

11. *Tum si rem esse, aut aliquid* agere, *vel* agere, *vel* pati, *dicendum est; dico:* Est, vivit, moritur, *&c. Et talia nuncupantur* VERBA.

12. *Et quia res* sic vel sic *est, agit, patitur, dico,* benè, malè, sæpè, diù, *&c. Cujusmodi voculæ dicuntur* ADVERBIA.

13. *Sed interdum exprimitur agens cum sua actione, vel patiens cum sua passione, ut* Vivens, mortuus, *&c. fitque* PARTICIPIUM.

14. *Voculas verò per quas exprimimus rerum circumstantias, ut* Ante, post, cum, *&c. vocant* PRÆPOSITIONES.

15. *Particula copulans rem rei, vel actionem actioni, dicitur,* CONJUNCTIO.

16. *Et si quando unicâ voce prodimus animi affectum, ut* Hem! heus! *vocatur* INTERJECTIO.

17. *Aut si adjectione syllabica vocem acuimus, ut* Ec-quis? quidnam, *dicitur* ADJECTIO.

18. Da exemplum, ubi omnia hæc decem Vocum genera concurrant. *Do.* En ipsemet DEUS æternus, exsistens à se & per se CONDIDIT sapienter, hunc MUNDUM.

19. Suntne hîc omnes? *Sunt. Nam* 1. Nomina *sunt, Deus, Mundus.* 2. Adnomen, *Æternus.* 3. Pronomina, *Se, ipse, hunc.* 4. Verbum, *Condidit.* 5. Adverbium, *Sapienter.* 6. Participium, *exsistens.* 7. Præpositiones, *à, per.* 8. Conjunctio *Et.* 9. Interjectio, *en.* 10. Adjectio, *met.*

20. *Nota hic tria,* I. Nomina & Verba esse voces primarias, *quia solæ etiam sensum absolvere* possunt, ut hic, DEUS CONDIDIT MUNDUM,) reliquas secundarias, *quia tantum sensum explicent.*

21. II. Nomina, Adnomina, Verba, *esse plurima, & quasi infinita, in qualibet lingua: reliquarum Vocum esse certum numerum.*

(*Nam Pronomina sunt (Latinis) tantum* 20. *Adverbia primitiva vix* 30. *Præpositiones* 46. *Conjunctiones nondum* 30. *Adjectiones primariæ* 14.)

22. III. Voces quasdam posse referri ad classes diversas, *pro diverso significatu, ut* CUM.

(*Si enim dicis,* cum venero, *adverbium (temporis) est:* cum fratre, *Præpositio:* cum hoc, tum illud loquemur, *Conjunctio. Et sic alia nonnulla.*)

23. IV. Quomodo Voces dividuntur secundum flexionem? *Quædam*

dam sunt in fine flexiles, ut Hom-o-inis-ini, &c. Disc-it-at-unt, &c. Aliæ inflexiles, ut Quando, ubi, hic, post, et, &c.

24. Quænam sunt flexiles? *Nomen, Adnomen, Pronomen, Verbum, Participium.*

25. Quomodo flectuntur? *Communiter, per Numerum, Genus, & Personas.*

26. Quid est Numerus? *Modus loquendi de re una, vel pluribus, ut* vir loquitur, viri loquuntur, (*Est itaque singularis vel pluralis.*)

27. Quid est Genus? *Quo discriminamus sexum, ut* vir locutus est, fœmina locuta est, saxum est mutum. *Est itaque triplex;* Masculinum, Fœmininum, Neutrum.

28. Et Persona quotuplex? *Triplex:* Prima, *quæ loquitur*, (ego Paulus adsum.) Secunda, *ad quam loquimur*, (tu Petre adesto.) Tertia, *de qua loquimur*, (Thomas abest.)

Hæc de Vocum in genere differentia: Structura sequitur.

29. Quotuplex est vocum in genere structura? *Pro numero articulationis triplex:* I. Plurisyllabarum, II. Derivatarum, III. Compositarum.

30. Quid est Structura Polysyllabarum? *Compositio & divisio syllabarum, cum opus est, recta. Cujus quatuor sunt Regulæ.*

31. Da primam, I. *Quot sunt in una voce Vocales, aut Bivocales, tot Syllabæ: ut* O-ra, o-ra tor, o-ra-to-ri-um.

32. Da secundam, II. *Consona una inter duas Vocales posita, ad posteriorem spectat,* O-ra, *non* Or a.

33. III. *Vna geminata dat priorem se priori, posteriorem posteriori; ut* Er-ro, (*non* err-o, *aut* e-rro.)

34. IV. *Consonæ duæ tresve diversæ inter duas vocales positæ, referunt se ad vocalem illam, cum qua mollius sonant. Vt* Ig-nis, Pis-cis, As-per, As-trum.

(*Potius quam* I-gnis, Pi-scis, A-sper, A-strum? *quod vulgatus vult Canon*, ut Consonæ, quæ Vocem inchoare possunt, in medio divellantur. *Dicunt enim, quia voces exstant,* Bdellium, Gnavus, Mnemon, Scio, Spero, Strena, &c. *ergo dicendum* He-bdomas, i-gnis, o-mnis, fa-scis, a-sper, a-strum, &c. *Verum nobilissimi Grammatici, Scaliger & Bangius, Canonem hunc refutarunt; quia* quemadmodum loquimur, ita scribere debemus, *inquit Scaliger. Inepta vero est, & plane ridicula, pronuntiatio,* E-rasmus, a-ptus, &c. *Vocabulaque, quarum initiales sunt,* sm-pt-bd-mn, &c. *pleraque peregrina, &c. Cedamus quæso his rationibus, habiturique sunt pueri faciliorem syllabizandi rationem.*)

35. Quid observandum est in Vocis derivatæ structura? *Hoc, ut literas cardinales distinguas ab accessoriis terminationibus, ut,* Doc-eo-ilis-tor-trina, &c.

(*Iterum*

(*Iterum contra vulgatam falsam regulam:* Quomodo dividuntur (*inquiunt*) syllabæ vocis primitivæ, ita & derivatæ. *Nempe quia* do-ceo, te-go, *etiam* tegmen, do-ctri-na. *Addunt, non quasi ulla sit vox, quæ à* -gm *vel* -ctr *incipiat: sed quia in radice* te-go *&* do-ceo, Te *&* Do *Syllabam constituunt. Enimvero seductoria est hac regula: quippe quam si sequimur, ineptissime Voces quædam construi necesse erit, ut* Ca-ntor, Ca-ntrix: *quia* Ca-no. *Sed erroris fons est, quod personam primam* (Cano) *credunt esse radicem, quæ non est: quippe ubi vox jam determinatur ad significandam personam certam. Præstat hoc agi, articulationis sensus pateat: quia dici vix potest, quantum lucis veniat sperandum ex vera Vocum dearticulatione. Qualibet enim verbalis adjectio ad conglobandum intellectum rerum aliquid confert: ut in voce,* Imper-scru-ta-bi-li-tas, *quæ tribus è Vocibus componitur, duabusque adjectionibus extenditur. Thema est* Scrut-ari, *Verbum activum: cui præjungitur præpositio* Per, *perfectionis nota: & altera præpositio* in, *negationis nota. Subjungitur adjectio* bilis, *passiva potentiæ nota: &* -tas, *essentiæ abstractæ nota. Quæ scire distinguere in Grammatica, est lucem inferre Logicæ, intellectuque Verborum parare sibi intellectum rerum.*)

36. Quid in Voce composita dividenda observandum? *Vt cuique parti maneat quod suum est. Ex. gr.* Magn-animus, abs-cedo, ab-scindo, &c. (*non vero* mag-nanimus, ab scedo, abs-cindo, &c.)

Prosodia Vocum.

37. Pronuntiatio Vocum recta in quo consistit? *in Accentu.*

38. Accentus quid est? *Syllabarum in Voce elevatio aut depressio, ut* Dóminus, sevérus (*non* Domínus, séverus.)

39. Quotuplex est Accentus? *Triplex.* 1. Acutus, *syllabam attollens & protrahens, ut* púrus. 2. Gravis, *syllabam deprimens & corripiens, ut* purè. 3. Circumflexus, *attollens & deprimens, ut* côgo.

40. Suntne omnes isti Accentus in usu? *Sunt Græcis: Latinis fere tantum* acutus *usurpatur, & in vocis productione spectatur.*

41. Quomodo rectè usurpatur? *Hoc docent sequentes Regulæ quatuor.*

I. Omnis vox *accentum habet, eumque nonnisi unicum, etiamsi polysyllaba.* [*Non scribendo, sed pronuntiando.*]

II. Omnis vox monosyllaba *accentatur, ut* vir.

III. Dissyllaba *habent accentum in priore, ut* próbus, púrus.

IV. Polysyllabæ *vocis syllaba penultima si longa est, retinet accentum: si brevis seu anceps, rejicit in antepenultimam, ut* impúrus, improbus, tenebræ, compatres.

42. Nullamne habent hæ regulæ exceptionem? *Habent duas.*

43. Quæ est prima? *Nomina prorsus Græca proferuntur accentu prorsus Græco, ut* Prosodia, Politia, Diatypôsis. *&c.*

(*Quæ Latino accentu efferrentur.* Prosódia, Polítia, Diatýposis. *Est enim penultima longa ω.*)

44. Da secundam exceptionem. *Latina quædam (dissyllaba & polysyllaba) transferunt Accentum in ultimam. Nempe:*

1. *Interrogativa. An* egó? *Quid tu* Dominé?

2. *Habentia annexam particulam encliticam,* que, ve, ne, ce, met, tenus: *ut*

ut Nobis, vobiſque, (*non* vóbiſque.) *Sic* Illéve, itáne, hujúsce, nobísmet, capulótenus, (*non* cápulotenus :) [*quæ ſic fit pen- aut antepen-ultima ſyllaba.*]

3. *Compoſita cum* fis, fit, *Acutum retinent in ultima*, *ut* calefit, (*non* cálefit, *aut* caléfit.

Orthographia Vocum.

45. Voces quomodo recte ſcribuntur? *De eo ſunt novem monenda.*

46. Mone igitur ordine. I. *Vox qualibet ſcribatur ſimul tota, cum aliis inconfuſè.*

(*Idque evidentia cauſa: quid enim fieret, ſi ſic ſcriberes?* Deuscreavitmundum; *vel* De uscrea vitmun dum.)

47. II. *Quum extremitas Verſûs non capit vocem integram, reſervatur ejus pars verſui ſequenti, ſed appoſito unionis ſigno* - *vel* = *ut ubique hîc vides.*

(N. *Signum illud vocatur* Hyphen. *i. e.* Subunio. *Sed vide ut cùm dividis vocem, ne diſtrahas ſyllabam: ſicuti monitum hîc ſupra, ſect.* 31, 32, 33, 34, 35. 36.

48. III. *Vox habens Vocales duas, diphthongum non facientes, notatur ſigno diviſionis; ſic*, Aër, Poëta, (*ut ne pronuntietur* Ær, Pœta.)

49. IV. *Omnis craſis ſignetur Accentu circumflexo, ut* currûm, occîdo, *&c.*

50. V. *Omnis Vox, ſenſum ambiguum parere apta, accentu ſignetur: ſed in libellis tantum pro prima pueritia, hoc & illud obſervetur.*

(*Apud doctos potius in pronuntiatione, quam ſcriptione, accentus obſervantur, quos Joſ. Scaliger, epiſt.* 297. *&* 357. *omnes à Latinis abdicat, utpote quod contra antiquitatem pugnat. Forte tamen in* à, è, ô, *ut & ante conjunctionem* què *meretur excuſari.*)

51. VI. *Vox derivata ſequitur orthographiam primitivæ.* (*Scribes ergo* gratia, *per* T; *quia venit à* gratus: audacia, *per* C, *quia ab* audace.)

52. VII. *Quorundam Vocabulorum Orthographia vacillat, quia de origine inter doctos non convenit.*

(*Hinc alii ſcribunt* otium, convitium, arceſſo, fœmina, felix, ſtylus, *&c.* *alii*; ocium, convicium. *&c.*)

53. VIII. *In Compoſitis non exterendum eſt quidquam eſſentiale: ut* S *in verbis, quæ ab* S *incipiunt.*

(*Scribendum g.* Ex-ſpecto, (*non* ex-pecto,) ex-ſcreo, (*non* ex-creo, *&c.*) *idque propter differentiam. Aliud enim eſt* ex-ſpolio, *aliud* expolio, *&c.*)

IX. *Nomen è duobus compoſitum recipit in medio lineolam* (hyphen) *ſic;* Romano-Græcus, Pannonio-Germanus, *&c.*

Cap. V. De NOMINE.

1. QUid eſt Nomen? *Eſt vox rem denotans.*

2. Quotuplex eſt? *Duplex, proprium & commune.*

(*Commune, vulgo* appellativum.)

3. Quid

3. Quid est Nomen proprium? *Quod rem unam proprie significat, ut* Cicero, Roma, Tyberis, Italia.

4. Quid est Commune? *Quod significat res multas, ut* Homo, Civitas, Flumen, Regio.

(N. *Romani dabant Nomina propria viris aut singula, ut* Romulus; *aut bina, ut* Numa Pompilius; *aut terna, ut* Marcus Tullius Cicero. *Et tum primum vocabant* Prænomen, *secundum* Nomen, *tertium* Cognomen: *si accedebat quartum (ab aliquo eventu superadditum; ut,* Publius Cornelius Scipio, *à debellata Africa dictus* Africanus) *Agnomen fuit.*)

Formatura Nominis, I. per Genus.

5. Quid in speciali Nominum formatura observandum est? *Tria: Genus, Casus, & Declinatio.*

6. Genus nominis unde cognoscitur? *E significatione, Terminatione, Autoritate.*

7. Quomodo è significatione? *Per hanc Regulam:* Nomina masculorum sunt generis masculini; fœmellarum fœminini, aliarum rerum (quibus per naturam non inest sexus) neutri.

(N. B. *Hoc sic per naturam esse debuit, ut in Anglica lingua observatur. Latini cum aliis patiuntur confusionem, quibus Nomina rerum sexu carentium, masculinè vel fœminè efferuntur; ut* hic lapis, hæc aqua, *&c. Unde circa Genera nominum tot tricæ, tot regulæ, tot exceptiones. Contrahemus omnia in septem Regulas.*)

8. I. Nomina virorum, & virilium officiorum, sunt *gen. masc.* Mulierum & muliebrium functionum, *gen. fœm.* ut *hic Adam, pater, scriba,* &c. *hæc Eva, mater, nutrix,* &c.

9. II. Nomina functionum, quæ viris & mulieribus pariter conveniunt, sunt generis utriusque, seu communis. Plerumque sub terminatione bina (hic *Magist-er,* hæc *Magist-ra. N. B.* vocant nomen mobile) sæpe sub una, *ut* hic *civis, &* hæc *civis* (*vocant* nomen immobile.)

(*Exempla sunt mobilium:* Arbit-er, arbit-ra Afer, Af-ra, marit-us, marit-a, &c. *vel paulo aliter, ut* Poët-a, Poët-ria, cithar-ista (œdus) istria, leno, lena, rex, regina, socer, socrus, heros, herois & heroina. Draco, Dracæna, Laco, Lacæna, Thrax, Thra-assa, -essa, cissa, &c. *ac imprimis pleraque verbalia in* tor *&* trix; *ut* victor, victrix, ultor, ultrix, *&c. Sed exempla immobilium sunt;* adolescens, Æthiops, affinis, antistes, (antistita,) artifex, auceps, augur, auspex, autor, cliens, (clienta,) comes, conjux, contubernalis, conviva, custos, dux, eques, hæres, hospes, hostis, index, infans, interpres, juvenis, judex, martyr, miles, municeps, nemo, obses, opifex, pansa, parens, patruelis, pedes, præses, princeps, sacerdos, scæva (ola,) testis, vates, vindex, &c. *Reduci etiam huc possunt adnomina plura, loco nominum sic usurpata; ut,* æqualis, consors, nobilis, illustris; *item à* pes *&* par, sonipes, nudipes, compar, senex, *&c.*

10. III. Animalium nomina non semper exprimunt sexum, diversa terminatione: plerumque genere uno designant sexum utrumque. *Dicimus enim* lup-us & lup acerv-us & cerv-a, columb-us & columb-a: *at non*

non dicimus, lep-us & lep-a, corv-us corv-a, aquil-us, aquil-a; *set tantum* hic lepus, hic corvus, hæc aquila.

(*Nempe* lepus mas, lepus fœmina; aquila mas, aquila fœmina. &c. *Talia vocantur* generis promiscui. *Græcè* epicœni, *licet hoc ad physicam potius quam Grammaticam spectet.*)

11. IV. Nomina propria montium, fluviorum ventorum, mensiumque, masculina sunt, (*Latinis*) *ut* hic Sinai, Jordan, Aquilo, Aprilis, *&c.*

(*Ratio est; quia communia illa*, mons, fluvius, ventus, mensis, *sunt generis masculini. Quadam tamen montium & fluviorum nomina terminationem potius sequuntur, ut* hæc Æthna: (*mons Siciliæ*) hæc Allia. *&* hoc Nar, (*flumina Italiæ*)

12. V. Nomina regionum, insularum, urbium, arborumque, sunt generis fœminini; Hæc *Ægyptus, Rhodus, Babylon, cerasus*, &c.

(Paucissima terminationem potius sequuntur: hoc *Belgium*, *Lugdunum*, *suber*, *oleaster.*)

13. VI. Nomina metallorum & fructuum pleraque, omnes autem literæ & voces materialiter positæ, sunt generis neutri: ut, *Hoc plumbum, cerasum: Magnum* A: Cæ-sar *dyssyllabum, scire tuum, triste vale.*

14. VII. Nomen diminutum retinet genus primitivi sui: ut *Carb-o, carb-unculus. Car-o, car-uncula.*

(*Sic apud Latinos, Italos, Sclavos: Græcis diminutiva pleraque. Germanis omnia, sunt generis neutri. Sed & Latina quædam genus mutant; ut* Ran-a, ran-unculus, tereb-ra, tereb-ellum. Con-vent-us, convent-iculum.)

15. Quomodo Nominis genus ex terminatione cognoscitur? *De eo tam multæ sunt regulæ & exceptiones, ut facilius sit usu ista disci; & didicisti jam in* Lexico Vestibulari. *Sed unico id obtutui sistit hæc tabella.*

Tabula de generibus nominum, ex Terminatione dignoscendis, regularum specialium vicem supplens.

Masculi-

MASCVLINA sunt, quæ terminantur in o. il. ol. ul.
α. β.
an. in. on. er. or. os. us.
γ. δ. ε. ζ. η.
(secundæ & quartæ declinationis.)

α. Excipiuntur *fœminina* verbalia in *io*, & his affinia, item in *do* & *go* terminata, quæ plures duabus habent syllabas; *ut*, lectio, regio, arundo, rubigo; *item* caro, grando, argo, echo. Sed & *neutrum* pondo, indeclinabile.

β. Exc. *fœmin.* strigil. Item *neut.* nil, sil.

γ. Exc. *fœmin.* ædon, halcyon, icon, sindon. *Neutra* (Latine in um terminata) barbiton, colon, distichon, epitheton, idolon, lytron, plectron,

Sym { bolon, posion. } &c.

δ. Excipe *fœmin.* diameter, perimeter. *Neut.* cadaver, cicer, iter, piper, papaver, siler, suber, verber, tuber, uber, zinziber, lacer, spinter, siser, laver.

ε. Excipe *fœminin.* arbor. *Neutra*; æquor, cor, marmor.

ζ. Excipe *fœmin.* arbos, arctos, cos, dos. Item *Neutra*, os ossis, os oris, chaos, epos, melos.

η. Excipe *fœmin.* (2dæ declinationis) domus. quartæ, humus, vannus, alvus, colus. Gr. abyssus, arctus, dialectus, diphthongus, eremus, antidotus, (composita ab ὁδὸς,) exodus, methodus, periodus, synodus. Nomina gemmarum: amethystus, crystallus, crysolitus, hiacinthus, sapphirus. Sic & quartæ decl. acus, manus, porticus, tribus. Item *Neutra*, pelagus, virus.

FOEMININA sunt, quæ terminantur in a. e. [1] as.
θ. ι.
[3] es. is. aus. s. [præcedente consona] ys. x.
κ. λ. μ.
ν.

θ. Exc. *Masc.* Cometa, planeta, Adria, (verbalia quoque personas viriles significantia.)

ι. Excipe *Masc.* as assis, vas vadis, & genit. in antis facientia, ut adamas, elephas, gigas. *Neutra* item; vas vasis, fas, nefas, artocreas, erysipelas.

κ. Excipe *Mascul.* Acinaces, cespes, fomes, gurges, lebes, limes, magnes, palmes, paries, pes, poples, stipes, termes, trames, tapes, &c. (item nomina 1. declin.) absinthites, helenites, (5. declin.) meridies. *Neutra* quoque; æs, cacoëthes.

λ. Excipe *Mascul.* Amnis, anguis, æqualis, aqualis, assis, axis, callis, caulis, canalis, cassis (is,) collis, cossis, crinis, cinis, cucumis, ensis, fascis, finis, follis, fustis, funis, glis, ignis, jugalis, lapis, majalis, mensis, molaris, mugilis, mortalis, natalis, orbis, panis, penis, piscis, perduellis, perduellis, pellis, postis, pulvis, rivalis, sanguis, semissis, semis, sentis, sodalis, torris, vectis, vermis, vomis, unguis, unicornis.

μ. Excipe *Masc.* fons, mons, pons, seps, dens, tridens, nefrens, gryps, chalybs, cylcops, hydrops.

ν. Exc. *Masc.* corax, dropax, colax, apex, culex, caudex, codex, cortex, cimex, frutex, latex, grex, silex, murex, obex, pollex, pulex, podex, pumex, ramex, sorex, vertex, calix, fornix, spadix, varix, phœnix, esox, volvox, bombyx, calyx, coccyx, dioryx, eryx, tradux.

NEVTRA sunt, quæ terminantur in a. e. [3] (indec.) u. C t. al el. um.
ξ.
en. ar. ur. us. [3]
ο. π. ρ.

ξ. Excipitur *masculinum*, sal, (quod tamen aliquando est *neutrum.*)

ο. Excipiuntur *masculina*, attagen, ren, splen, lien, lychen, hymen, pecten.

π. Excipe *masculina*, fur, furfur, turtur, vultur.

ρ. Excipiuntur *fœminina*, quæ U in obliquis casibus retinent, *ut*, virtus, palus, tellus, &c. (Sed crus, jus, pus, rus, thus, sequuntur regulam.)

Excipe item *Masculinum*, lepus, & à πῦς composita, chytropus, polypus, trypus.

16. Quid habes de autoritate observandum? *Docet id hac regula:* Nomen ab autoribus diverso genere usurpatum, usurpari potest utrovis, ut *hic vel haec bos, canis, limax, torques, finis, &c.* quae nonnullis dicuntur generis dubii.

(*Quae tamen tutius hoc vel illo genere usurpes, annotatur in Lexico Vestibulari unico genere: ut* Adeps, amnis, funis, &c. *Et in subjecta tabella videbis.*)

Nomina generis dubii	usurpantur	prorsus indifferenter,	Adeps, bos, canis, dies, grossus, imbrex, illex, limax, rubus, serpens, sus, torques, specus, oscen.
		tutius genere masculino,	Ames, amnis, anguis, arrhabo, bubo, callis, clunis, cortex, finis, funis, grex, margo, nefrens, obex, natrix, palumbes, pampinus, pulvis, pumex, rudens, scrobs, sentis, tradux trudes, tudes, silex, vepres, varix.
		tutius genere foeminin.	Ales, alvus, atomus, balanus, calx, canalis, colus, corbis, cupido, dama, grus, histrix, linter, lynx, onyx, ribes, scobs, stirps, volucris, talio, talpa.

II. Per Casum.

17. Quid est Casus? *Specialis terminatio Nominis.*
(*Sic dictus, quia finis ejus sic vel sic cadit.*)

18. Quot sunt? *Sex: duo recti, & quatuor obliqui.*

19. Quinam sunt recti? *Qui naturaliter orationem inchoant, Nominativus & Vocativus.*

20. Inter obliquos quis est primus? *Genitivus, quia quam ille terminationem inchoat, hanc reliqui continuant; ut* Re-x-x-gis, gi-gem-ges, &c. Ne-x-x-cis-ci, &c. Suppelle-x-ctilis-ctili, &c.

21. Inter obliquos nullusne est similis rectis? *Est in nominibus neutris Accusativus; desinuntque pluraliter in* -a, *ut* Verb-um, um-um: a-a-a.

III. Per Declinationem.

22. Quid est Declinatio? *Est Nominis per sex Casus, & duos Numeros flexio.*

23. Quot sunt Declinationes? *Quinque apud Latinos, secundum quintuplicem Genitivi terminationem, in* -æ -i -is -ûs -ei. *Exempli gratia:*

Typus

Typus Declinationum omnium.

I.	II.	III.	IV.	V.
Nom. a -a,	r-us-um. -i, a.	c,l & e-es,a.	us-us-a.	es-es.
Voc. a -a.	r-e-um. -i, a.	c,l & e-es,a.	us-us-a.	es-es.
Ge. æ-arum.	i-orum.	is-um.	ûs-ûum.	ei-erum.
Dat. æ-is.	o-is.	i-ibus.	üi-ibus.	ei-ebus.
Ac. am-as.	um-os-a.	em-es-a.	um-us-a.	em-es.
Abl. â-is.	o-is.	e-ibus.	u-ibus.	e-bus.

Obſerv. de I. Decl.

24. Ad primam Declinationem quæ Nomina pertinent? *Omnia fœminina in* a, *quorum eſt infinitus numerus.* 2. *Multa maſculina (virorum & virilium officiorum) in* a *quoque deſinientium; ut* Scriba, lixa, advena, &c. 3. *Nonnulla Græca in* ta, *generis maſculini*, hic Cométa, planéta.

25. Eſtne Declinationis hujus aliqua anomalia (*ſeu* irregularitas?) *Nulla, præterquam quod (Nominum per* us-a *mobilium) fœminina decem Dativum & Ablativum pluralem per* -ábus *formant ſic:*

Provideat paterfamilias pabulum, 1. Aſinis & aſinabus. 2. Equis & -abus, 3. Mul-is & -abus: *laborum vero penſa*, 4. Ser-vis & -abus, *imo &* 5. Libert-is -abus, 6. Fili-is & -abus. 7. Nat-is & -ábus,) *ne garriant cum* 8. Soci-is & -abus. *At nos ut conſulamus*, 9. animabus, *ſerviamus* Deo, *non* Diis *aut* 10. Deabus. [N. B. *Reperiuntur tamen etiam fœminina per* -is.]

Obſerv. II. Decl.

26. Quæ Nomina ſpectant ad ſecundam Declinationem? 1. *Omnia in* -um *generis neutri.* 2. *Omnia in* -er *maſculina: exceptis paucis ad tertiam*, [agger, aggeris, &c. *quæ in Lexico notavimus.*] 3. *Pleraque in* -us *generis maſculini. Nam quæ in* -us *ad tertiam vel quartam ſpectant, ex appoſita (in Lexico) Genitivi nota pateſcunt.*

27. Quid de Caſibus habes? *Duo.*

1. *Voca-*

1. *Vocativus desinentium in* -us, *fit in* -e : *propria vero in* -ius, *abjiciunt* us : *sicut è communibus duo*, Filius, Genius. Deus *nihil. Dic ergò.* Domin-e, Secretari-e, Antoni, (Gregori, Georgi, &c.) *mi* fili, *audi. Adesto bone* geni! *juva sancte* Deus!

(N. *Prudentius quidem dixit*, O Dee cunctipotens; *sed non est imitandus.*)

2. *Genitivus Nominativo ubique parisyllabus est. Excipe* vir, vi-ri : *&* *quinque in* eri. Socer-i, Gener-i, puer-i, presbyter-i, adulter-i. *Contra in* -ius *&* -ium *desinentia, contrahunt quandoque Genitivum, ut fiat Nominativo brevior: ut* pecul-ium-ii-ī. *Sicut & Genitivum pluralem contrahunt Poetæ*: Deorum, Deûm, *&c.*

Observ. de III. Decl.

28. Quæ spectant huc? *Omnium terminationum Nomina, exceptis in* -um & -u.

29 Genitivus quomodo formatur? *Admodum variè: ideoque in Lexico singulis hujus Declinationis nominibus apponitur character suus.*

30. Quid habes de Accusativo? *Communiter exit in* em, (*generis masculini & fœminini.*) *Novem tamen faciunt per* -em *vel* -im : 2. *duodecim per* -im *tantùm*; 3. *Græca tria per* -em & -a.

(*Dic ergo* 1. Da clavem *vel* clavim, conscende turrem *vel* -im. *Ita hac* 7. Aqualis, Febris, Navis, Puppis, Restis, Sementis, strigilis.) 2. *Tene Faber* amussim, *Balneator* pelvim, *Arator* burim, *Restio* cannabim, *Bos* præsepim. *Habes* ravim *aut* tussim, *vel* sitim? *ne adhibe* sinapim, *neque* cucumim; *multo minus* securim, *aut aliam* vim. (N. B. *Imitantur hac propria fluviorum*; Tyberim, Ligirim, Albim) 3. *Aspice* æther-em, *vel* -a, Aër-em-a, Hector-em a.)

31. De Ablativo quid dicis? *Communiter desinit in* e, *at non semper. De quo sunt duæ regulæ*; I. *Quæ habent Accusativum in* -em & -im, *iis est Ablativus in* -e *vel* -i : *prætereaque aliis* 14. avis, anguis, amnis, cannabis, civis, classis, finis, fustis, ignis, ovis, postis, sodalis, unguis, vectis.

(*Dices igitur*; In febre seu febri, cave ab amn-e seu -i, & ab ign-e seu -i: *nec jam curabis* fust-e aut -i.)

II. *Quorum Accusativus desinit tantùm in* -im, *eorum Ablativus tantùm in* -i; *sicut &* 2. mensium *in* -er *&* -is : 3. *cum* canalis & strigilis : 4. *neutraque in* -e, -al, -ar *longum.*

(*Dic ergo*; *in* siti, *ne utare* sinapi, *neque in* tussi, &c. *ac præsertim in* Aprili, *& mensibus calidis: potes in* Decembri, *& cum navigas in* 3. canali, *aut* 4. mari. *Equum purga* strigili, *concita* calcari. N. B. *Excipiuntur tamen neutra in* -ar *breve*: júbare, néctare; *item* farre.)

32. De Nominativo plurali neutro quid? *Desinit in* -a, (corpora, capita, corda, &c.) *sed quæ Ablativum habuere in* -i, *faciunt Nominativum in* -ia.

(Dices

(*Dices proinde*; Luminar-ia *sunt in cœlo*, altaria *in templo*, conclavia *in domo*, cochlearia *in mensa*, præsepia *in stabulo*: Cubilia *requirunt* pulvinaria, &c.

33. De genitivo plurali quid? *Communiter exit in* -um: *sæpe tamen in* -ium, *aut utroque modo in* -ium, *&* -iorum, *&* -ûm. *De quo sunt quinque observationes diligenter attendendæ.*

34. Quæ est prima? *Monosyllaba faciunt Genitivum pluralem per*-ium: *ut* cor, cordium, &c.

(*Excipe tamen* 17. *per* -um, *&* 6. *per* -um & -ium. *Illa sunt*; Bos, crus, dux, flos, fur, grex, lex, mos, nux, pes, præs, rex, ren, splen, sus, strix, vox. *Hæc sunt*; Fraus, laus, jus, mus, crux, fex. *Dicere igitur licebit*, fabricator fraudium, *vel* -um, &c.)

35. Dic secundo observandum. *Dissyllaba in* -es *vel* -is, *parisyllabaque, Genitivum plus habent in* -ium, *ut*, av-is -is -ium, &c.

(*Excipe* 5. *per* -um, (canis, panis, juvenis, strigilis, vates,) *& alia* 5. *per* um & -ium: cædes, clades, sedes, apis, volucris. *Dices ergo*; *Agmen* canum, *non* canium: *examen* apum *vel* apium, &c.)

36. Da tertiam observationem. *Caro, linter, uter, venter, deunx, habent* -ium; Forn-ax *tamen* -acum & -acium.

37. Quid amplius? *Festorum nomina pluralia* (Bacchanalia & Saturnalia, &c.) *Genitivum regularem habent in* -ium, *irregularem in* -iorum, *sicut &* sponsalia, vectigalia.

(*Dic igitur*, *Tempore* Bacchanal-ium, *vel* -iorum) *omnia sunt plena* sponsalium (-iorum, &c.) *Quin &* conclaviorum, *dixit Vitruvius*.)

38. Da ultimam de Genitivo plurali observationem. *Poëtæ omnes Genitivos contrahere amant*; *ut* serpentûm, Macedûm, &c.) *pro* serpentium, Macedonum.)

39. Superest aliquid observationis de Declinatione tertia? *Hoc unum*; *Græca neutra in* -ma *faciunt Dativum & Ablativum plurales in* -matibus, *vel*-matis. (*Vt*, *in scribendis* poëmatibus *vel* poëmatis, *utere* commatibus *vel* -is.) Suibus *dic vel* subus: *pro* bovibus *autem* bobus *vel* bubus.

Observationes de Declin. IV.

40. Quæ spectant ad quartam Declinationem? *Primum multa in* -us, *quæ in Lexico adscriptum habent* -ûs.

(*Suntque omnia generis masculini, exceptis* 5. *arborum* (cornus, ficus, laurus, prunus, quercus,) *&* 9. *aliis generis fœminini*, acus, anus, domus, manus, nurus, socrus, porticus, tribus;) *dubiique* colus, penus, specus.)

Secundo, *spectant huc* 7. *neutra in* -u, cornu, gelu, genu, penu, specu, tonitru, veru. *Quæ numero singulari aptóta sunt* (*i. e. sine casu*) *sic*; corn-u -u -u -u -u -u: *plur.* ua -ua -ua -ua -uum -ibus -ua -ibus.

41. Casus annon hic variant ? *Octo Nomina formant Dativum & Ablativum in* -ubus, *quatuor in* -ubus & -ibus.

(*Dices ergo*; Arcubus, artubus, lacubus, acubus, ficubus, quercubus, tribubus, specubus; *non vero arcibus, artibus, &c.*) *Et* port-ibus *vel* -ubus, quest-ibus *vel* -ubus, gen-ibus *vel*-ubus, ver-ibus *vel* -ubus.)

42. *Poëtæ hic etiam Genitivum pluralem quandoque contrahunt: ut*, passûm pro passuum.

Observ. de V. Declinatione.

43. *Nomina Declinationis hujus pauca sunt, vix* 50. *omnia terminata in* -ies, *exceptis tribus*, fides, res, spes.

(*Neque terminata in* -ies *alio quam huc spectant: præter* abies, aries, paries, quies & inquies, *quæ sunt tertiæ*; & requies, *tertiæ & quintæ.*)

44. *Suntque omnia generis fœminini. Excepto* Dies, *quod in singulari dubium, in plurali masculin. &* Meridies, *quod generis masculini.*

Appendix Declinationum.

De recte declinandis Nominibus, I. Compositis, II. Anomalis, III. Peregrinis.

45. Composita quomodo declinantur ? *Tripliciter.* I. *Composita ex duobus rectis declinant utrumque, ut*, Ususfructus, usûsfructûs, usuifructui, &c. Rosmarinus, rorismarini, rorimarino, &c.

II. *Composita ex recto & obliquo, Nominativum solum declinant, ut*, Paterfamiliâs, patrisfamiliâs, patrifamiliâs, &c. Jurisperitus, Jurisperiti, Jurisperito, &c. *Et* Jureconsultus, Jureconsulti, Jureconsulto, &c.

III. *Composita è duobus corruptis, tanquam simplicia declinantur: ut*, Artif-ex, -icis -ici, &c. Terrigena -æ -am.

(N.B. *Hic tamen Poëtæ Genitivum pluralem contrahunt, dicentes pro* terrigenarum, terrigenûm.)

46. De Anomalis Nominibus quid dicis ?

Quædam à præscripto Declinationum typo (A) deficiunt, *alia* (B) redundant, *alia* (C) variant.

(A) Deficientia sunt

47. I. *Quæ pluraliter non declinantur: ut pleraque mineralium, stirpium, ætatum, virtutum & vitiorum nomina.*

(*Nec enim dicimus*, plumba, tritica, senectutes, temperantias, &c.)

48. II. *Quæ carent singulari numero; ut*, Magnates, proceres, nuptiæ, cunæ, literæ (*pro epistola*,) liberi (*pro filii & filiæ, &c.*) *Qualibus in Lexico additur* t. p. *hoc est*, tantùm plurale.

49. III. *Quæ non recipiunt omnes casus, sed tantùm quatuor, aut tres, aut duos, aut unicum.*

1. *Quæ-*

(I. *Quatuor: ut* Frugis -i -em -e; *(sine Nominativo & Vocativo.) Sic* Dapis, opis, precis, sordis, vicis; *Vocativo autem & Dativo deficiunt* vir -us -i -us-o: *&* vis, vis, vim, vi. II. *Tres: ut,* Plus, pluris, plus. Ado-r-ris-ri. Dic-a-am-as. Impet-is-e -ibus. III. *Duorum casuum sunt,* Fas, nefas, instar, volupe, necess-e (*vel* -um) *usurpata Nominativo & Accusativo tantùm. Nominativo & Ablativo tantùm.* Fors, forte: *Genitivo & Ablativo,* spontis, sponte. IV. *Uno tantùm casu usurpantur*; potis, *Nominativo*; dicis, *Genitivo*; infitias, *Accusativo plurali*; ingratiis, *Ablativo.)*

50. IV. *Sunt & quæ unâ terminatione omnes Casus absolvunt: ut* hoc pondo, unius pondo, uni pondo, tria pondo, trium pondo, *&c. Ità* gummi, sinapi, stimmi, (*id est,* stibium) cepe, gausape, præsepe.

(*Talia vocantur* ἄκλιτα, *hoc est,* Indeclinabilia; *&* ἄπτωτα; *hoc est* sine casu. *Suntque omnia generis neutri: sed quædam illorum recipiunt aliam terminationem, & genus, fiúntque declinabilia: ut,* Cepa, sinapis, præsépis, *g. f.* gausapum *&* stibium, *g. n.)*

(B) Redundantia vocantur:

51. Primò, *quæ propter diversam terminationem diversimodè declinantur: ut* Buccin-a *&* -um, (*in prima & secunda declin.*) Senect-a *&* -us, (*in prima & tertia,*) Munditi -a *&* -es (*in prima & quinta,*) Scorp -ius *&* -io, (*in secunda & tertia,*) *&c. Qualia Lexicon ostendit.*

52. Secundò, *quæ plurali numero genus mutant: ut* (1.) Tartar-us, *masculinè; pluraliter* -a, *neutrè. Sic* Avern-us *&* Infern-us. Carbas-us, *fœmininè,* -a *neutrò.* (2.) Loc-us, *g. m. plur.* -i *&* -a; *sic* Jocus, sibilus, eventus. (3.) Cœlum, *g. n. pluraliter* -i, *masc. Sic &* Clathr-um-i, cicer-es, siser -es. *Sed* frenum, capistrum, rastrum -i *&* -a. (4.) *Neutra pluraliter fœminina sunt,* delici-um-æ, epul-um-æ, baln-eum-eæ. (5.) *At* vesper-a-æ, *&* vesper-us-i, *&* vesp-er-eris, *integrè declinantur in prima, secunda, & tertia Declinatione.*

52. (C) Variantia sunt:

Quæ terminatione eâdem, genereque eodem, Casus tamen diversarum Declinationum inter se miscent: (Vocantur ἑτερόκλιτα, Irregulariter declinanda.)

1. Vas, vasis; *singulariter in tertia* vas-a-orum, *in secunda.*

(*Reperitur tamen apud antiquos & singulariter* vasum, *& pluraliter* vasibus.)

2. Cornus, ficus (*pro arbore & fructu*) laurus, pinus, quercus, colus, *promiscuè usurpant casus secundæ & quartæ.*

3. Juger-um-um-i (& -is) -o-um-ô & -e: *pluraliter,* a-a-ûm-is, *&* -ibus.

4. Dom-us-us-ûs-ui-um-ô (*non* -u). *Pluraliter* -us-us-uum-ibus-os (*&* -us) -ibus.

(*Hoc est,* Domus *declinatur in quarta: è secunda tantùm accipit Ablativum singularem, & adjungit Accusativum pluralem.*)

5. Penus, *declinatur in secunda, & tertia, & quarta.* Hic *vel* hæc

 pen-

pen-us-i, *vel* -ûs, *&* hoc pen-us-oris, *vel* hoc pen-um-i, *vel* pen-u-u--u-u. *Ita* specus.

(*Utrumque tamen usitatissimè in quarta, & quidem gen. masc.*)

De Peregrinis.

54. Nomina peregrina (Græca, Hebraica, &c.) quomodo Latinis declinantur? *in prima, vel secunda, vel tertia Declinatione.*

55. Quæ & quomodo in prima?

Græca in -as *&* -es *masculina, in* -e *fœminina, sic,* Æne-as-a-æ-æ-am (*vel* -an) -a, Anchis-es-e-æ-æ-em (*vel* -en) -e, Epitom-e-e-æ (*vel* -es) -æ-en-e, *in plurali regulariter.*

2. *Hebraica in* -as, Tobias, Messias, &c.

(N. B. 1. *Quidam etiam sic desinentia in* -am, *ut* Adam -æ, Abraham-æ, *&c. Alii Latinam terminationem addunt, & in secunda declinant,* Adam-us-i, Abraham-us-i, &c.

2. Pascha, Manna, Mammona, *in libris sacris non declinantur: apud Ecclesiasticos scriptores reperitur, hac* Pasch-a-æ, *& hoc* Pasch-a-tis.)

56. Quænam declinantur in secunda? & quomodo?

1. *Græca in* -os & -on, *versa in* -us & -um, *regulariter: ut* Isthm-us--e-i, &c. Enchiridi-um-i-o, &c.

(*Propria tamen in* -eus, *sic,* Orphe-us; *Vocat.* -eu, *Gen.* -ei, *Dat.* -eo (*vel* -ei,) *Plur. Acc.* Orph-eos *vel* -eas.)

2. Jesus, *Accusativo* Jesum, *reliquis* Jesu.

57. Quomodo peregrina flectis in tertia? *David, Nathan, Daniel, & similia, regulariter. Alia sic:*

1. *Masculina:* Her-os-os-ois-oi-oem (vel -oa;) Phalar-is-is-idis--idi-em (vel -in) -ide; Chrem -es -es (& -e, & -etis) -i (& -eti) -em (& -étem & -éta) -e (vel -ête.)

2. *Fœminina sic:* Lamp-as-as-a dis (vel -ados) -adi-adem, (vel-ada) -ade, *Plur. Accusat.* -ades (vel -adas;) Hæres-is-is-is (vel -eos) -im (vel -in) -i; *plurali Genitivo,* -ium vel -eôn. *Ita* praxis, *& omnia in* -is, *generis fœminini;* Ech-o-o-ûs-o-o-o. *Sic* Argo, &c. Hierich-o-o--untis-unti-untem (vel -unta) -unte.

3. *Neutra sic:* Mel-os-os-ûs-o-os-ô; *pluraliter* -e-e-ôn-esi-e-esi. *Ita* chaos, sinap-i-i-ios (&-is) -i-i-i.

4. Composita à πȣς *declinantur imitatione Græcorum in tertia, ut* trip-ùs-us-odis, &c. antipod-es-es-um-ibus-es vel -as.

5. Patronymica in -des (*filium aut nepotem significantia*) *declinantur in prima vel tertia indifferenter: ut,* Ænea-des-des-dæ (vel -dis) -dæ (vel -di) -dem-da (vel -de. *Sic Polonicum* Palatinides. *Item* Ecclesiastes, Psaltes, Manasses.

6. *Artium nomina Græca singulariter declinantur fœminine in prima,* (*sive*

five Latinè. Grammatic-a-a -æ -æ, &c. *five Græcè,* Grammatic-e -e-es-æ -en-e] *pluraliter in secunda neutrè*, Grammatic-a-a-orum-is-a-is.

(*Sic* Logica, Musica, &c. *Sed subintelligitur principale nomen: ibi* ars; *hic* præcepta, scripta.)

Orthographia Nominis.

58. Quid hic peculiariter observandum? *Nihil, nisi quòd Nomina propria, & inde deducta, inchoentur à majusculis*: Roma; Romanus, Romané.

(*Sed & alia voces emphatica, quas attendi volumus; ut hic sæpe vides.*)

Cap. VI. De ADNOMINE.

1. QUid est Adnomen? *Vox denotans aliquem rei modum.*

2. Qualem modum? *Aut* 1. *certitudinem, ut* verus, certus, dubius. 2. *tempus:* novus, vetus, &c. 3. *locum*: terrestris, marinus, &c. 4. *numerum*: unus, duo, tres, &c. 5. *partitionem*: quidam, pauci, omnes, &c. 6. *quantitatem*: magnus, parvus, longus, &c. 7. *qualitatem*: bonus, pulcher, &c. 8. *ordinem*: quotus? primus, secundus, &c. 9. *possessionem*: regius, herilis, paternus. 10. *comparationem*: par, æqualis, similis, &c.

3. Habetne alias differentias? *Etiam quoddam, Adnomen est* proprium, *uni tantum rei conveniens: ut*, Limpidus *fons*, Meracum *vinum*, Obryzum *aurum*, sudum *cælum*, limi *oculi, & si quid aliud*: *cætera* communia, *multis rebus tribuenda.*

Adnominum Formatura.

4. Quomodo flectuntur Adnomina? *Per* I. Motionem. II. Comparationem. III. Declinationem.

5. Quid est Motio? *Est Adnominis per tria genera inflexio, ut cuivis Nomini aptari possit.*

6. Quotuplex est? *triplex. Prima, per tres terminationes: ut* Bon-us *vir*, -a *fœmina*, -um *lignum.*

7. Quæ sic flectuntur? *Desinentia masculine in* -us & -er; *ut*, Albus-a -um, niger-ra-rum

8. Omniáne sic? *Quædam excipiuntur*: *ut* vetus, intercus, pauper, uber, puber, degener: *qualia in Lexico per* g. o. [*id est, generis omnis*] *signantur. Item* Ali-us-a-ud [*non* -um.]

9. Cedò secundam motionem? *Exeuntia in* is, *moventur per duas terminationes: masc. & fœmininè per* -is, *neutrè per* -e, *ut* tenu-is *calamus, vel charta*: -e *folium. Excipe* dis, *pro* dives, *generis omnis.*

10. *Aliter terminata* [*nempe in* -il -am -ar -or -ur -as -es -os -ns -ps -rs -x] *omnia sunt immobilia, sive unius terminationis, ut*: vigil, nequam, par,

par, memor, cicur, nostras, dives, compos, sapiens, inops, iners, velox. *Excipe* sat-ur-ura-urum.

11. Nihilne aliter ? *Decem hæc* : Acer, alacer, celer, celeber, campester, equester, pedester, saluber, silvester, volucer, *& trinâ efferuntur terminatione & binâ, pro arbitrio.*

(*Dicimus enim: Acer* vir, *acris* fœmina, *acre* animal. *Vel:* Acris vir, acris fœmina, &c.)

12. *Quædam alia, jam duabus efferuntur terminationibus, jam tribus; ut* Hilar-is-is-e, *vel* hilar-us-a-um. *Quod suis locis monent Lexica.*

13. Comparatio Adjectivorum quid est ? *Variatio ejus per gradus.*

14. Quot sunt gradus ? *Tres.* 1. *Positivus.* 2. *Comparativus.* 3. *Superlativus, ut* Pulch-er-rior-errimus.

15. Quomodo formatur Comparativus ? *Ad positivi casum in* i *desinentem, addito* -or, *pro genere masculino & fœminino; pro neutro autem* -us. *ut*, pulchri-or-us, tristi-or-us, felici-or-us.

(*Puta*, pulch-rior vir -or, fœmina -us animal.)

16. Superlativus quomodo ? *Tripliciter.*

1. *Desinentibus (positivo) in* -er, *apponitur* rimus. pauper-rimus.

2. *Aliis loco comparativi* or, *datur* -ssimus, docti (*or*) -ssimus, tristi (*or*) -ssimus, felici (*or*) -ssimus.

3. *Tribus in* -ilis *desinentibus, datur loco* -lis -illimus, Faci-lis-llimus, humi-lis-llimus, simi-lis-llimus.

(*Usurpant sanè sic etiam* Agillimus, Gracillimus, Docillimus: *sed sine autoritate Veterum. Apud Senecam exstat* Imbecillimus: *quod Celso est* imbecilissimus.)

17. Nullàne datur Comparatio anomala ? *Imò triplex* : I. Variantium. II. Deficientium. III. Abundantium.

18. Quæ sunt variantia ?

1. *Desinentia in* -us *purum (h. e. ubi vocalis vocalem præcedit) non comparantur, nisi adjectione* magis & maximè. Ut Idoneus, magis idoneus, maxime idoneus.

(*Dicitur tamen* Tenui-s-or-ssimus. Strenu-us-ior-issimus. *Item*, Pi-us-issimus: *&* -entior-entissimus.)

2. *Composita à* volo, dico, facio, *in* us, *comparant per* -entior, -entissimus. *Ut*, Benevolus, -entior, -entissimus.

(*Sic* Malèvolus, Benèdicus, Malèdicus; Benèficus *&* Malèficus, Magnificus, Mirificus. *Addunt composita à* loquor, *Grandiloquus, & Vaniloquus: sed sine authoritate veterum.*)

3. *Quædam prorsus irregulariter comparantur. Ut*, Bonus, melior, optimus. Malus, pejor, pessimus. Magnus, major, maximus. Parvus, minor, minimus. (*Lucretius habet* parvissimus.) Nequam -ior -issimus. Nuper-us -ior -rimus. Poster-ius -ior, postremus. Vet-us -erior -errimus.

19. Quæ

19. Quæ deficiunt comparatione, & quomodo?

1. *Quædam deficiunt Superlativo: ut* Cœc-us-ior. Com-is-ior, +. Juven-is, nior+. Sen-ex-ior+. Ser-us-ior+.

2. *Alia Comparativo: ut* Diverſ-us+issimus. *Sic* Falſus, fidus, inclytus, invitus, invictus, méritus, novus, perſuáſus, ſacer. *Item Anomalum* hoc mult-us-a-um. *Comparat.* + + plus. *Superlat.* Plurim-us -a-um.

3. *Alia denique Poſitivo: ut* + Cit-erior-imus. + Ult-erior-imus. +Inte-rior-imus. + Det-erior-errimus. + Ocy-or-ſſimus. + Pri-or -mus, + Prop-ior, proximus, + Anterior +

20. Redundantia in comparando recenſe.

1. *Quinque hæc Superlativo redundant.* Ext-erus -erior -remus, & -imus. Inſ-erus-erior-imus, & -imus, Sup-erus- erior-remus, & ſummus. Poſt-erus-erior-remus, & -umus. Matur-us-ior-iſſimus, & -rimus.

2. *Quædam ipſum Superlativum novo Comparativo aut Superlativo augent: ut* Proxi-mus-ior, extrem-us-iſsimus, minim-us-iſsimus, poſtrem-us-iſsimus. (*Sed hîc autoritas veterum aſpicienda, neque ſemper imitanda.*)

De Adnominum Declinatione.

21. Quomodo Adnomina declinantur? *Quæ ſunt terminationis trinæ, declinantur in prima & ſecunda.*

(Bonus *calamus, &* bonum *atramentum in ſecunda:* bona *charta, in prima.*)

12. Omniáne ſic? *Septem hæc.* Unus, ullus, uter, alter, alius, ſolus, totus, *Genitivum faciunt in* -ius, *Dativum in* i, *per omnia Genera, ut:* Unus *vir* -a -*fœmina* -um *animal.* Uni-us *Viri*-us *fœminæ* -us *animalis.* Un-i *Viro* -i *fœminæ* -i *animali.*

(*Sic & illorum compoſita,* Nullus, neuter, uterque, utervis, utercunque: Alterut-er-us, &c. *Terentius tamen habet* nulli *conſilii* (*pro* nullius.) *Narrare* alteræ (*pro* alteri.) *Et dicimus adhuc, Generis* neutri (*pro* neutrius,) *unde colligitur olim & iſta fuiſſe regularia.*)

23. Quomodo declinantur Adjectiva duarum terminationum? *In tertia: faciuntque Ablativum in* -i, *Genitivum pluralem in* -ium.

(N. B. *Apud Poetas tamen reperitur Ablativus per* -e *metri cauſa, ut Ovidius.* ſ*pecie* cœleſte *reſumpta. Et Seneca,* lethale *ferro,* (*pro cœleſti, lethali.*) *Quod ſemel imitatus Cicero dixit,* à nobile viro.

24. Quid Adjectiva unius terminationis? *Similiter in tertia, ſed Ablativum faciunt per* e & i.

(*Excipe* 1. Quatuor *tantum per* -i: Memori *mente,* pari *ratione,* vigili *oculo.* artifici *manu.* 2. *Alia* quinque *tantum per* -e: paupere, ſene, come, hoſpite, ſoſpite. *Utraque autem hæc excepta faciunt Genitivũ pluralem in* -um, *excipe* parium.)

25. *Comparativi omnes faciunt Ablativum per* e *vel* i, *Genitivum pluralem per* um.

(*Excipe* plur-ium, *quod Nominativum habet* plur-a *&* -ia.)

26. Omniáne Adnomina declinantur? *Omnia : excepto* Nequam, *& numerabilibus à* quatuor *ad* centum. *Vir* nequam, *viri* nequam, *viro* nequam, *viros* nequam, *&c.* Quot *homines*? quot *hominibus*? Quatuor *viri-virorum-viris*, *&c.*

27. Nihilne plus de Adnomine? *Nihil: nisi quòd cum nominascit*, [*hoc est, nominis loco usurpatur*] *assumit genus illius Substantivi, cujus vicem repræsentat.*

(*Ut* Ianuarius, Aprilis, September, (*generis masculini quia intelligitur mensis,*) Mortales (*scilicet homines,*) Annales *scil. libri,*) Bubile (*scil stabulum,*) Bipennis (*scil securis,*) Infernus(*scil. locus.*) Quadrupes *est generis neutri, quando subintelligitur animal: generis fœminini, quando bestia. Ovidius vero dixit,* Animosos quadrupedes *regere: quia intellexit Equos. Et Virg.* Saucius at quadrupes, *id est, Cervus.*)

Cap. VII. De PRONOMINE.

1. QUid est Pronomen? *Est vocula sine Nomine rem denotans, ut,* Ego *dico* tibi (*Matth.* 16. 18.) *hoc est,* Christus Petro.

2. Quando illis utimur? *Quando Nomen rei, de qua loquimur, aut nullum est, aut nobis ignotum, aut non succurrit.* 2. *Vel, quia rem presentem sic breviùs expedire possumus.* 3. *Vel, quia jam nominata est, Nomenque iterari foret tædiosum.*

3. Quotuplex est Pronomen? *Simplex, compositum, & contractum.*

4. Quæ sunt simplicia? *Hæc viginti, redacta in contextum.* Quid *hic*, *aut* Quis? Ego, Tu, Is, Ipse; *quisque amans* Sui. Hic *præsens est*, Iste *remotior*, Ille *remotissimus*. Cujum *pecus*? Suum *cuique pulchrum*, Meum *mihi*, Tuum *tibi*, Nostrum *nobis*, Vestrum *vobis*, Cujas *est*, qui *adstat*? Nostras *an* Vestras?

(Nota, *Pronomina propriè dicta* (*id est, Nominum vicaria, generis unius*) *non sunt nisi quinque,* Quis, Quid, Ego, Tu, Sui: *reliqua sunt trium generum, eoque non Nominum, sed Adnominum, vicaria. Dum enim Cicero dicit:* Meus *stylo, idem est ac* Ciceronianus *stylo.*)

5. Quæ sunt composita Pronomina? *Egomet, Tumet, Isipse, Idem, Quisquis, &c,*

6. An & contracta sunt? *Sunt duo.* Illic *&* Isthic, (*Ex* ille *&* hic; Iste *&* hic.

7. Quomodo ex usu dividuntur Pronomina? *In sex classes.* 1. Interrogativa *quatuor*: Quis? quid? cujum? quis, quæ, quid?

2. Demonstrativa *sex*: Ego, tu, ille, iste, hic, ipse.

3. Relativa, *ad prius se referentia, duo*: Is, qui.

4. Reci-

4. Reciprocum *unum*: Sui, se, sibi.

5. Possessiva *quinque*, Meus, tuus, suus, noster, vester.

6. Gentilia, (*gentem, patriam, sectamve, significantia*) *tria*; Cujas? nostras, vestras.

8. FORMATURA Pronominum in quo consistit? I. *In Motione*. II. *Comparatione*. III. *Declinatione*.

9. Motio qualis est? *Regularis in* Me-us-a-um, tu-us-a-um, su-us-a-um, nost-er-ra-rum. *Sic* vester. *Reliqua moventur irregulariter*: Qui, quæ, quod; hic, hæc, hoc; is, ea, id; ipse-a-um; ill-e-a-ud; ist-e-a-ud; cujas, nostras, vestras, *generis omnis*.

10. Comparationem an quoque recipiunt Pronomina? *Unicum habet Superlativum*: Ips-e-issimus.

11. Quomodo declinantur Pronomina? *Meus, tuus, suus, ut* bonus. 2. *Noster & vester, ut* pulcher. 3. *Cujas, nostras, vestras, ut* civitas. 4. *Reliqua anomalè*: *sed hæc jam in Grammatica Vestibulari didicisti.*

(Meus *Vocativum habet* Mi, *ex antiquo* Mius.)

12. Compositum *Quisquis* utrumque declinat. *Cujuscujus, cuicui, &c.*

CAP. VIII. De VERBO.

1. QUid est Verbum? *Vox significans aliquid* esse, *aut* agere, *aut* pati.

2. An ergo triplex? *Triplex omninò*, Essentiale, (*seu Substantivum*) Activum & Passivum.

3. Quid est Essentiale? *Quod Esse significat*; *ut* esse, exsistere, durare, (*id est, esse adhuc*) manere, (*esse alicubi*) Calére, (*esse calidum*) *&c.*

4. Activum quotuplex est? *Duplex.*

1. Transitivo-activum, *cujus actio in aliud transit*: *ut*, pellere aliquem. (*Vulgo per excellentiam* Activum.)

2. Intransitivo-activum, *cujus actio in ipso agente manet*: *ut* Ire, currere, stare, &c.

(*Dicitur Verbum* Neutrum, *& meliùs* Absolutum: *quia non requirit Accusativum. Nec enim dicere possum*, Stare aliquem.)

5. Passivum Verbum quotuplex est? *Itidem primo* Transitivo-passivum, *ut*: densari, (*ab aliquo*) 2. Intransitivo-passivum, *ut*: densescere (*à seipso.*)

(*Illud prius vulgo per excellentiam* passivum, *posterius* Neutrale-passivum *vocant.*)

Formatura Verborum.

6. Quomodo flectuntur Verba? *Magis variè quam Nomina, vel Adnomina. Præter enim communem variationem, per Numeros & Personas, habent sibi propria*: 1. Tempora. 2. Modos. 3. Conjugationes. 4. Formas.

7. Quid

7. Quid est Tempus? *Est distinctio rei factæ à nondum factâ.*

8. Quotuplex est? *Triplex*: Præsens, Præteritum, Futurum. *Latinis tamen sextuplex est, revocatum ad imperfectum & perfectum.*

9. Quid est Tempus imperfectum? *Quod rem fieri, at nondum perfieri significat, ut est:*

1. *Præsens*, Facio.
2. *Præteriens*, (*seu præteritum imperfectum*) Faciebam.
3. *Futurum*, Faciam.

10. Quid est Tempus perfectum? *Quod rem peractam significat, Estque iterum triplex.*

1. *Præteritum*, Feci.
2. *Iam ante præteritum* (*sive præterit. plusquamperfectum*) Feceram.
3. *Futuro præteritum* (*seu futurum perfectum*) Fecero.

(Feceram: *id est, eram in statu, ut dicere possem*, Feci, Fecero: *id est, ero in eo statu, ut dicere queam*, Feci. *Aliud ergo est dicere*, Cum cœnabo, *& aliud*, cum cœnavero.)

11. Quid est Modus? *Est peculiaris terminatio Verbi, quâ diversa intentio exprimitur.*

12. Quotuplex est? *Quadruplex apud Latinos.* 1. Infinitivus, *cum aliquid fieri significo, sine numeri & personæ mentione*: *ut* Facere. 2. Imperativus, *cum mando aut oro, ut* Fac. 3. Indicativus, *cum narro, ut* Fac-io-is it, &c. 4. Subjunctivus (*Conjunctivus*) *cum actionem alteri actioni subjungo; exempli gratia, dico* ut facias.

(*Tres priores sunt essentiales, omnibus linguis necessarii: Conjunctivus ornatui servit.*)

13. Quotuplex est Infinitivus? *Triplex Latinis.*

1. *Perpetuus*: *ut* Facere, fecisse, factum ire.
2. *Gerundivus*: *ut* Faciendum, faciendi, faciendo.
3. *Supinus*: *ut* Factum, factu.

(N. B. *Gerundia & Supina aliæ linguæ ignorant. Sunt enim* Verba (*Nominum instar*) declinata. *Et Gerundia quidem in Declinatione secunda, Casibus quinque: Supina in quarta, Casu trino. Nam cum dico*: Scribendum est, *est Nominativus* Scribendi tempus, *Genitivus.* Charta scribendo apta, *Dativus.* Festinare ad scribendum, *Accusativus.* Scribendo festinare, *Ablativus. Sic in Supinis* Scriptum est, *Nominativus.* Eo scriptum (*hoc est* ad scriptum) *Accusativus.* Scriptu *dignus*, (*id est*, scribi) *Ablativus.*)

14. Quid est Conjugatio? *Est Verbi per diversas Personas & Numeros, Temporaque & Modos flexio.*

15. Unde commodissime incipit? *Ab Infinitivo. Quia* Infinitivus 1. *simplicissimus est, sine numero & persona.* 2. *Est in Verbo idem quod in Nomine casus primus, Nominativus.* 3. *Fert secum Conjugationis characterem: ut, audito Infinitivo, mox scias ad quam Conjugationem Verbum pertineat.* 4. *Atque si trinus simul Infinitivus ponitur, patent simul Cardinalia tempora, Verbique illius Conjugatio procedit tota.*

(Nam

(*Nam si Infinitivus exit in* -áre -ére, ere -íre, *Verbum est Conjugationis prima, secunda, tertia, quarta.*)

2. *Et ab* Infinitivo præsente *formantur omnia* Tempora Imperfecta: *à præterito*, Perfecta: *à futuro*, Tempora formæ secundæ perfecta, *sic*:

- Fig -ere,	*Fix -isse,*	*Fix - um ire,*
Imp. *-e,*	*-i,*	*-us est.*
Indic. *-o,*	*-eram,*	*-us fuit,*
-ébam,	*-ero,*	*-us erit,*
-am,		&c.
Subj. *-am,*	*-erim,*	
-erem.	*-issem.*	

16. Trinus ille Infinitivus perpetuus, estne semper ita regularis, quomodo in Conjugationum Typo (*Grammatica Vestibulari*) positus est? nempe ut

exeat in { *-áre -avisse -atum ire,*
-ére -uisse -itum ire,
-ere -isse -um ire,
-íre -ivisse -ítum ire. }

Resp. *Non semper. Ideò in Lexico Vestibulari expreßè ponitur, quicquid à Typo recedit*: *ut*, cubare, dare, *&c.*

(N.B. *Pulchrum foret exercitium, si* tria illa cardinalia Tempora, (Præsens, Præteritum *&* Supinum) reducere jubeantur in copulam, *sententiosâ aliquâ compositiunculâ. Ex. gr.* Scribe *pulchrè*, *&* cùm scripseris, scriptum *serva. Item*, Da *mihi librum*: *si* dederis, *agam gratias, sed ut ne reposcas* datum. *Ubi* cubuisti *nocte præterita? ubi* cubabis *hâc? citone ibis* cubitum? *Ecce omnia sic poßunt, omninò pulchrè, præsertim si morales aut religiosa formentur sententiola: ut*, Dele *Deus peccata mea, qua* delevit *sanguine suo Christus: ut* deleta *nequeat legere adversarius, &c. Hoc tale, inquam, exercitium utiliter hoc loco instituet Præceptor, selectis è Repertorio Vestibulari istis anomalis.*)

16. Infinitivum quid sequitur? Imperativus: *quia formatur immediatè ab Infinitivo, abjecto tantum* -re; *ut* Ama (*-re*) doce (*re*) lege (*re*) audi (*re*).

18. Semperne ita? *Tantum quatuor verba,* (*in Conjugatione tertia*) *abjiciunt* e.

Dic *sine fine preces*, *vacuam* Duc *crimine vitam*,
Fac *sapenter opus*, Fer *patienter onus.*

(N.B. *Composita tamen à* Facio *retinent* e: *ut*, Effice, confice, refice, *&c.*)

19. In Conjugatione verbi substantivi, ESSE, quid observas? *Duo hæc.* 1. *Gerundiis & Supinis caret.* 2. *Compositum ejus* pot-esse (*contractè* posse) *illud* -t *ante vocalem retinet*, (pot-eram) *ante* s *mutat in* s (possum,) *ante* f *elidit* f, (pot-ui, *pro* potfui.)

20. Verba quatuor Conjugationum cur habent duas formas? *ut queant efferri activè & paßivè*: *ut*, Amáre, amári, &c.

21. Quæ Verba conjungantur tantùm in prima Forma? 1. *Intransitivo-activa*, *ut* Stare, sedére, fluere, *&c.*

2. *Intran-*

2. *Intransitivo-passiva, (quæ Inchoativa vocant) ut* Arescere, calescere, *&c.*

3. *Quatuor Transitivo-passiva,* Fio, veneo, liceo, vapulo, (*pro* facior, vendor, taxor, verberor.)

22. Quæ conjungantur tantùm in Forma secunda? Deponentia, *quæ licet olim activè & passivè significabant,* (hortor te, & hortor à te) *passivam tamen significationem jam ferè deposuerunt, (præter quorundam verborum participia in* -dus, *quæ passiva significatione usurpantur,* sequendus, loquendus.

Observ. de Forma I.

23. In verbis Formæ primæ quid peculiariter observandum? *Tria:* 1. *Esse verba viginti tria, quorum præterita reduplicant syllabam primam, ut,* mordeo, momordi.

(*Quia ut memoria imprimas melius, redacta sunt in hanc sententiam. Quidam* 1. cucurrit, *ad sodalem.* 2. tetendit, *ante domum.* 3. ſtetit, *januam.* 4. tútudit *securim.* 5. poposcit, *quâ arborem* 6. cecídit, (*à cado*) *& dum hac* 7. cécidit, *comas illius* 8. totondit, *triumphumque* 9. cecinit. *Alius nequam fraudulenter* 10. pepigit, (*à pango*) *credentem* 11. fefellit, *quod debuit, non* 12. pependit, (*à pendo*) *hospitem domo* 13. pepulit, *pugione* 14. pupugit, *dentibus* 15. momordit: *etiam spurcus* 16. pepédit, *& postea* 17. pependit, (*à pendeo.*) *Ista sic* 18. tetigi, *&* 19. dedi, *quod* 20. spopondi, *quæ si tu* 21. didiceris, *ulteriori labori* 22. peperceris, *laudemque tibi* 23. pepereris.

24. Nihilne de his amplius? *Hoc unum, quòd Composita illorum à reduplicatione cessant.* Pendo, pependi; suspendo, suspendi, (*non suspependi*) *&c. Venientia tamen à* do, sto, disco, posco, *retinent, & alia quædam.*

25. Quid præterea in Forma prima observandum? *Quod præterita in* -ávi *&* -ívi, *Vau illud cum sequente vocali sæpe elidunt: ut,* Amavisti, *vel* amâsti, petivisti, petiisti, petîsti, *&c.*

26. *Eandemque præterita in tertia plurali mutant* -erunt *in* -ēre. Amav-erunt, *vel* -ēre.

27. In Conjugatione Formæ secundæ daturne aliqua variatio? *Quatuor hæc observa.*

1. Infinitivo *addere Poëtas* -er, *ut*, Amari-er.

2. Imperativi *personam pluralem secundam, pro* -mini, *admittere* -minor (ama-mini, *vel* -minor.) *Sed habendum pro obsoleto: solus enim Plautus utitur.*

3. Indicativi & Subjunctivi *persona secunda contrahit* -ris *in* -re; *ut,* Loqueris *vel* loquere; loquebaris *vel* -bare, &c.

4. Præterita *circumscribuntur per Participium præteritum & verbum substantivum, eoque genus etiam observant; ut,* locut-us sum (*scil. vir*) -a sum (*scil. fœmina.*)

De

De Verbis Anomalis.

28. Quotuplicia sunt Verba Anomala? *Triplicia:* I. Deficientia. II. Redundantia. III. Variantia.

29. DEFICIENTIA quot generum sunt? *Quatuor.* 1. Quædam enim carent Supino, aut etiam Præterito, *ut:* stud-eo-ui +- vergo +- +-.

(*Talia suis locis annotantur in Lexico.*)

2. *Verba quatuor deficiunt omnibus Imperfectis temporibus:* Cœpi, memini, odi, novi, *tametsi (exceptoprimo) præsenter significent;* N. B. *Carentque Imperativo, præter* memen-to-te.

3. Septem *Verba sunt, quæ certas personas exprimere nequeundo lacunas habent.*

30. Quæ illa? *Hæc,* Aio, inquio, ave, salve, fore, ovat, infit.

31. Quid singulis deest? *ostende:*

AIO; Infinitivo *caret.* Imperativo, *ai, aito, aite, aiunto.* Indicativo, *aio, ais, ait; aimus, aitis, aiunt.* Præteritum imperfectum, *aiebam, &c.* Præterito +-*aisti, ait;* +-*aistis, aierunt.* Præterito plusquamperfecto, Futuro, totoque Substantivo *caret.*

2. INQUIO, Infinit. +-Imperat. *Inqui-e-to, -itoto-iunto.* Indicat. *Inqu-io* (vel *-am*) *-is -it: -mus -itis -iunt.* Præter. Imperf. *inquie-bam -bas,* &c. Præter. +-*inqui-sti-t,* +-*istis*+- Futuro, *inqui-es-et,* +-*etis-ent.*

3. Av-e-éto-ére. Futuro *-ébis.* Infinit. -ére.

4. SALVE, *eodem modo: cæteris carent.*

5. FORE, +-+- Præter. Imperf. *For-em-es-et, -emus-etis-ent.*

6. OVAT, *solum est, sicut* & 7. INFIT.

(*Annumerant defectivis* FAX-O (*seu* Fax-im) -is-it; -imus-itis-int. *Et* AVS-im-is-it: -imus-itis-int. *Sed hæc non tam Verba defectiva sunt, quam reliquæ priscæ conjugationis Verborum,* facio & audeo.)

32. Quod est quartum genus Deficientium? Verba Impersonalia, *quæ tantum tertia persona singulari usurpantur, ut:* pœnitet me.

(*Nec enim dicimus,* pœniteo, pœnites, *&c.*)

33. Multane sunt Impersonalia verba? *Perpetuo Impersonalia sunt decem:* Libet, licet, liquet, miseret, oportet, piget, pœnitet, pudet, decet, tædet.

34. An & alia? *Ex accidenti Impersonalia sunt, quæ sine Nominativo ponuntur, ut:* delectat, juvat, placet, patet, vacat, &c. *Et quæ à quolibet verbo passive formantur: Quid agitur? ut,* Statur, sedetur, scribitur, bibitur, saltatur, &c.

35. Redundantia Verba quæ sunt?

1. *Quæ Præterita & Supina diversimodè formant: ut,* Par-co-si-sum, *vel* peperci, parcitum.

2. *Quæ*

2. *Quæ præteritum ex utraque Forma accipiunt, sensu eodem, ut* Cœnavi, *&* -atus sum, pran-di-sus-sum, &c. *Et quæ præteritum primæ formæ amiserunt; nempe sex hæc;* Audeo, ausus sum; gaudeo, gavisus sum; fido, fisus sum; diffido, diffisus sum.

3. *Quæ per utramque Formam conjunguntur eodem sensu, ut:* Fabricare *&* ri, &c.

(*Qualia itidem in Lexicis notantur, aut certe ponuntur in ea forma, quæ usitatior est.*)

4. *Quæ in diversa conjugatione usurpata reperiuntur, sensu eodem, ut* Laváre *&* lávere(*in prima & tertia*)ciére *&* cire (*in secunda & quarta,*)*&c.*

(Oriri *&* Potiri, *Infinitivo semper sunt quartæ. cætera tertiæ & quartæ.* Tergére *&* Térgere (*cum compositis*) *indifferenter*, &c.)

36. VARIANTIA Verba sunt:

Quæ Tempora & Personas irregulariter formant.

37. Multane sunt? *Sex.*

1. VOLO: quod sic conjugatur, *Infinitivo*, Velle, voluisse ✝ *Imperativo* ✝✝✝ *Indicativo*, volo, vis, vult; volumus, vultis, volunt. *Futuro*; vol-am-es-et, &c. *Præteriente*: volebam, &c. *Præterito*; volui, &c. *Subjunctivo præsenti*; vel-im-is-it, -ímus-ítis-int. *Prætereunte*; vellem-es-et, -emus-etis-ent. *Præterito*; voluerim, &c. *Antepræterito*; voluissem, &c.

(*Composita ejus sunt,* Malle *&* Nolle. *Imperativo, illud caret:* hoc, *Nol-i-ito, -ite -ito te-unto.* Indicativo, *Malo, mavis, mavult: malumus, mavultis, malunt. Nolo, non vis, non vult: nolumus, non vultis, nolunt.* Futuro, *Malam & Nolam, &c.* Prætereunte, *Malebam, Nolebam, &c.* Præterito, *Malui, Nolui, &c.* Subjunctivo, *Malim, Nolim, &c. Mallem, Nollem, &c. Maluerim, Noluerim, &c. Maluissem, Noluissem, Maluero, Noluero, &c.*)

38. Quod est secundum (varians) Verbum?

2. Eo, *quod sic conjugatur*: *Infinit.*) Ire, ivisse, iturum esse. *Imperat.*) I, *vel* ito, ito: ite *vel* itote, eunto. *Indic. præsens.*) Eo, is, it; imus, itis, eunt. *Futuro.*) Ib-o-is-it,-imus-itis-unt. *Prætereunte.*) Ibam, ibas, &c. *Præterito,*) Iv-i-isti, &c. Iv-eram, &c. *Subjunct. præs.*) Eam, eas, &c. *Præteriens,*) Irem. *Præterit.*) Iverim, ivissem. *Futur. perfect.*) Ivero.

(*Sic* Abeo, adeo, *& cætera Composita.* Ambio *tamen regulare est, ut* Audio, *præter quod* ambiebam *facit, &* ambibam.)

39. Quæ sunt reliqua Variantia?

3. QUEO (*&* Nequeo) *conjugatur ut* EO: *sed caret Imperativo, & Præteritum facit* quivi *&* quitus sum.

4. FIO, *sic. Infinito,* fieri, factum esse, factum ire, fiebam, &c. (*juxta quartam Conjugationem.*) *Subjunctivo*) fiam, --fierem, --factus essem, &c.

5. FERO, *sic, Infinitivo* Ferre, tulisse, latum ire.

(N. B. *Hoc præteritum & supinum remansit ab obsoleto* Tolo, tetuli, telatum.) Imperat. *Fer-to-te, -tote-unto.* Indicativo: *Fero-s-t,* (*elisa* i *ad differentiam* fer-io -is it,)

-is-it.) *fer-imus-itis-unt.* Futuro) *fer-am-es-et. &c.* Imperfecto) *fer-ebam -ebas-ebat, -ebamus-ebatis-ebant.* Præterito) *tul-i-eram-erim-issem, &c.*)

40. Restat aliquid? *Sextum restat,* EDO. *Quod regulariter flectitur in tertia, & irregulariter, mutuando ex verbo* SUM, *personas illas, quæ ab es incipiunt, hoc modo;* Infin. *Edere vel* esse, *ede vel* es, *edite vel* este. *Edis vel* es, *edit vel* est. *Editis*, estis, *ederem*, essem. *Etiam passivè;* estur, *pro editur.*

(*Ita Composita:* Comed-o-is, *seu* comes-it, *seu* comest, *&c.*)

APPENDICULA VERBORUM.

De Terminationibus ambiguis.

41. Quorundam verborum præterita coincidunt, *ut;* Aceo acui, *&* acu-o-i, cresco, crevi, *&* cerno crevi, frigeo-xi, *&* go-xi, Luceo -xi, *&* -geo-xi. Mulceo *&* -geo-si, pasco *&* -veo-vi, pendeo *&* -o, pependi, fulgeo *&* -cio-si. *Et composita à* sto *&* sisto: *Const-o-iti, consist-o-stiti.*

42. Idem alibi evenit Supinis. *Cresco cretum, & cerno cretum, Maneo & -deo-sum, pando & -tior-ssum, pango & -ciscor-ctum, sto & sisto, statum, teneo, & -do-tum, verro & -to-sum. Vinco & vo-ctum.*

43. Quin & prima præsentis persona quandoque dubia fit propter diversam conjugationem, *ut;* Aggero (*-as & -is.*) Sic *Appell-o, collig-o, mand-o, fund-o, (as vel is.)* Item *effer-o-as, & effers.* Sic Infinitivus, *venire, à venio, & veneo.*

44. Aliquando tamen differunt accentu, *ut:* Prædico (*as,*) prædíco (*is,*) relégo (*as,*) rélego (*is.*)

CAP. IX. De PARTICIPIO.

1. QUid est Participium? *Est vox actionem cum suo agente, aut passionem cum suo patiente, significans.*

(*Participium dicitur, quia* partem accipit *à Verbo, partem à Nomine. A verbo significationem (activam vel passivam) & tempus: à nomine genus & declinationem. Atque ita est* seminomen & semiverbum.)

2. Quotuplex est? *Duplex.*

1. Activum: *actionis*	*præsentis*, amans.	
	futuræ, amaturus.	
2. Passivum: *passionis*	*præteritæ*, amatus.	
	futuræ, amandus.	

3. Unde formantur? *Participia in* -ndus *&* -ns *formantur à Gerundiis; in* -us *&* -urus, *à Supinis:* Aman-do-dus-ns, amat-u-us-urus.

(1. *Tria in* -urus *paulo aliter:* Or-tu -iturus; na-tu-scitutus; son-itu-aturus. (*Et fortè* abnu-tu-iturus. *Festus enim habet* abnuitio.)

2. Verba

(2. *Verba Gerundio aut Supino carentia, carent etiam venientibus inde participiis: ut, quia* fio, memini, odi, *destituuntur Gerundiis, dicere non licet* fiens, meminens, odens: *neque* fiendus, meminendus, odendus. *Et quia* metuo, ferio, disco, *&c. Supino carent, non possum dicere* metu-tus -turus, *aut res* discita. (*Apuleius tamen* disciturus *dixit*: *sed opus habent circumscribi,* quem metuebant, qui metuet.)

4. Recipitne Participium alias quoque flexiones? *Omnes quas Adnomen recipit, Motionem, Comparationem, & Declinationem.*

(*Excipitur tamen à comparatione utrumque futurum in* -ndus *&* -urus. *Quanquam enim receptum sit* Reverendissimus, *& alia quædam, Latinum tamen non est: sed* maximè reverendus.)

Cap. X. De Voculis Inflexilibus.

1. Quæ *sunt Voces inflexiles?* Adverbia, Præpositiones, Conjunctiones, Interjectiones, & Adjectiones.

2. Quid est Adverbium? *Est vocula, modum aliquem (essentiæ, aut actionis, passionisve) denotans.*

3. Quotuplex est? *Varium.* Sunt enim Adverbia: 1. *Interrogandi,* An? Num? 2. *Optandi,* Utinam! 3. *Affirmandi,* Ita, Sic. 4. *Negandi,* Non, Haud. 5. *Dubitandi,* Vix. 6. *Demonstrandi,* En! Ecce! 7. *Hortandi,* Eja! 8. *Prohibendi,* Ne. 9. *Temporis,* Quando? Nunc, Heri, Cras, Olim, &c. 10. *Loci,* Ubi? Unde, &c. 11. *Numeri,* Semel, Bis, Ter, &c. 12. *Quantitatis,* Valde, Satis, Nimis. 13. *Qualitatis,* Bene, Male, &c. 14. *Ordinis,* Primo, Secundo, Tandem. 15. *Congregandi,* Simul, Una. 16. *Comparandi,* Ceu, Ut, Quasi. 17. *Admirandi,* Quam, &c.

(*Videsne pauca esse primitiva, Majusculis notata? reliqua sunt derivata. Unde autem, & quomodo formata, vide Lexici* Cap. XXIV. *sect.* 28. 29. 31. 41. 42. 43. 44. 57. *Sunt & Adverbia composita,* ubiubi, quoquo, postea, sicut, &c.)

4. Annon flectuntur per Comparationem? *Ita: sed* 1, *Quæ ab Adnomine comparato veniunt:* Pulch-rè-iùs-errimè, &c. 2. *Etiam quædam primitiva, ut* Sæp-è-ius-issimè. Diu-tiùs-tissimè. Penit-ùs-iùs-issimè. (*quod rectius ad derivata refertur.*)

5. Notabis quædam defectum pati. 1. *Positivi*: +magis, maximè. +Ocy-us-issimè. + Pot-ius-issimè. *Comparativi*, Pen-è +issimè. Nuper+rimè. 3. *Superlativi.* Sat-is-iùs. Sec-us-iùs. Tempor-i-iùs. +Vald-è-iùs, ser-o-ius.

(*Quædam Adverbia habent duas terminationes, ut* large, largiter, difficile, difficulter, *&c.*)

6. Quid est Præpositio?

Est vocula circumstantiam significans: ut, ante, post. in, &c.

7. Quotuplex est? *Triplex.* 1. Nominalis, *soli Nomini præjungi solita; ut,* Apud, citra, circa, &c. (*sunt tres & viginti.*) 2. Verbalis, *soli verbo, ut,* am-

ut, ambire, *&c.* (*sunt quinque tantùm* ,) *vide Gram. Vest. q.* 115.)
3. Communes, *Nomini & Verbo convenientes* : *ut* , ab-ire ab *urbe* , *&c.* (*sunt viginti duæ.*)

(*Sunt autem pleraque suæ originis, & simplices : pauca derivata & composita* ; *ut*, Citra (*à* cis) absque, adversùs, circùm, circa, *&c.*)

8. CONJUNCTIO quid est?

Vocula connectens voces ; *unde &* particula connexilis *dicitur.*

(*Quarum quædam composita sunt : ut*, Atque, namque, quamvìs , tametsi , *&c.*)

9. INTERJECTIO quid est?

Vocula breviter animi sensum prodens : ut est vox
1. *Vocantis*, heus ! ehodum ! (*quasi dicas, Audi, sta.*)
2. *Respondentis*, hem ! (*q. d. Quid vis ? audio.*)
3. *Exclamantis* , O ! pro ! *vel* proh !
4. *Admirantis* , papæ ! at-at ! hem !
5. *Approbantis* , euge ! (*q. d. laudo factum.*)
6. *Contemnentis* , bombax ! (*q. d. tanti te facio.*)
7. *Fastidientis* , psy ! phui ! apage ! (*q. d. pudeat : turpe est, quod agis.*)
8. *Blandientis* , sodes ! sis ! (*q. d. rogo te.*)
9. *Minantis*, væ ! (*q. d. malum intollerabile imminet.*)
10. *Timentis* , ô ! at-at ! (*q. d. metuenda res.*)
11. *Pulsantis* , tax, tax!
12. *Silentium indicentis* , st ! pax ! (*q. d. tacete omnes.*)
13. *Dolentis* , heu ! eheu ! ah ! (*q. d. dolendum meritò.*)
14. *Lætantis* , evax ! io ! (*q. d. gaudendum meritò.*)
15. *Ridentis* , ha-ha-he ! (*q. d. risu digna res.*)
16. *Irridentis*, hui ! vah ! (*q. d. irrideri dignus es.*)

(*Obs. Interjectionibus adnumerantur*, 1. Voculæ fictitiæ, (*effutitias vocant:*) *ut*, Gry, Taratantara, *&c.* 2. Adnomina & Verba Interjectivè adhibita : *ut*, Miserum ! indignum ! age! amabo! *&c.*)

10. ADJECTIO quid est? [Vocula per se nihil significans, sed alteri adjecta. *Qualium Latinis quatuordecim sunt*; *ut*, ALI, CE, CUNQUE, DAM, DEM, EC, MET, NAM, PIAM, PTE, QUAM, QUE, TE, VE.

(*Ecce enim sic solitariè prolatæ* , *nullum habent sensum, habebunt junctæ aliis. Ex. gr.* ALIquis hicCE ambulat : quiCUNQUE est, quidDAM ibiDEM quærit : ECquando venisti ? IpseMET venisti, an jussus ? quisNAM jussit ? QuidPIAM est, quod tuTE tuaPTE venisti ; an alius quisQUAM tecum ? ubiQUE reperiuntur VEsani *quidam.*)

11. *Adjectionibus adnumerantur* , 1. *Verba* Vis *&* Libet , *pro* cunque *usurpata* : Ubicunque , ubivìs , ubilibet. 2. *Vocum derivatarum terminationes* :

nationes: ut, Ax, Ix, Ilis, Anus, *&c. quas capite ultimo Lexici vidisti.* 3. *Nominum & Verborum terminationes, dum declinantur & conjugantur; ut*, Terr-a-æ-am-â-arum-is-as. Ara-re-s-t-mus-bamus, *&c. quas in Vocum Formatura vidisti.*

(*Tales enim omnes per se nihil significant, adjecta multum.*)

Appendicula.

12. Si quæ vox illegitimè formatur, quid fit? Barbarismus: *qui duplex*; 1. Vocis Latinæ illatina prolatio; *ut*, Filie (*pro* fili.) 2. Illatinæ latina; *ut*, Avisare, mysterium perlatum (*pro* nuntiare, margaritarum, *&c.*)

Cap. XI. De PHRASI.

1. QUid est Phrasis? *Est Vocum nexus, aliquid alicui apponens.*

2. Quotuplex est? 1. *Simplex, vocum duarum; ut*, Puer ingeniosus. 2. *Composita, vocum plurium; ut*, puer boni ingenii. 3. *Contracta; ut*, per-ingeniosus, *id est*, valde ingeniosus.

3. Phrasis simplex quas combinat voces?

1. *Nomen cum nomine, ejusdem rei; ut*, Romulus Rex.
2. *Nomen cum nomine, diversæ rei; ut*, Rex Romanorum.
3. *Nomen cum adnomine; ut*, Rex bonus.
4. *Adnomen cum nomine, in Dativo; ut*, Bonus regno.
5. *Adnomen cum nomine, in Ablativo; ut*, Bonus virtute.
6. *Verbum cum nomine, in Nominativo; ut*, Romulus imperat.
7. *Verbum cum nomine, in Dativo; ut*, Imperat Romanis.
8. *Verbum cum nomine, in Accusativo; ut*, Imperat tributum.
9. *Verbum cum nomine, in Ablativo; ut*, Imperat edicto.
10. *Verbum cum alio verbo; ut*, Scit imperare.
11. *Verbum cum adverbio; ut*, Imperat potenter.
12. *Participium cum nomine; ut*, Imperans populis.
13. *Adverbium cum nomine, vel adnomine; ut*, Valdè bonus.
14. *Præpositio cum nomine; ut*, In Italia.
15. *Conjunctio cum nomine & verbo; ut*, Imperat & triumphat.

4. Nihilne aliud? *Nihil, Prodeunt indè Regulæ quindecim, ad quas omnes phrases revocantur.*

(*Si quid tamen singularem elegantiam spectat, differemus in Grammaticam elegantem.*)

5. Recense igitur 15. istas Regulas cum Observationibus suis.

Regula I.

6. Ad ostendendum, Quid sit quid (*aut* quale?) apponitur Nomini Nomen, eodem Casu: *etiamsi Numerus, Genus, Declina-*

Declinatio discrepent; ut, *Numa Pompilius Rex. Urbs Venetiæ. Urbs Parisii*, &c.

(*Obs.* 1. Si appositum nomen (epitheton *vocant*) *fuerit mobile, etiam numero & genere conformatur nomini principali*; *ut*, gladius victor, dextera victrix.

2. *Nisi nomen principale fuerit neutrum, aut epicœnum, tunc epitheton additur masculinum*; *ut*, tempus magister, (*non magistra*) aquila rex *avium* (*non regina*.)

3. *Nominibus autem singularibus duobus* (*vel pluribus*) *additum epitheton, fit plurale*: *ut*, Romulus & Tarquinius reges.)

REGULA II.

7. Ad ostendendum *Cujus quid sit?* additur Nomini Nomen ejus rei, cujus est, in Genitivo, (nempe *cujus pars*, aut *effectum*, aut *possessio* est) ut, *Manus Ciceronis. Epistola Ciceronis. Prædium Ciceronis.*

(*Obs.* 1. *Adnomina usurpata nominaliter etiam sic recipiunt Genitivum, aut fiunt Genitivus*; *ut*, Parum cibi, multum loci; Omnia hominum, nihil boni.

2. *In Adjectivis tamen tertiæ declinationis, constructio hæc non usurpatur: non enim dicimus*, Nihil talis, aliquid utilis, *&c. sed* nihil tale, aliquid utile.

3. *Composita hic phrasis est, si quando duo Genitivi concurrant*; *ut*, Cura valetudinis corporis. *Duo enim hic sunt exempla ejusdem Regulæ*: Cura valetudinis, & Valetudo corporis.)

REGULA III.

8. *Ad ostendendum* Quale quid sit, (*aut* Quantum, Quotum, Unde? *&c.*) *adstruitur Nomini Adnomen simili Numero, Genere & Casu*; *ut*, Liber magnus *continet chartas amplas, folia tenuia.*

(*Obs.* 1. *Adnomen usurpatum nominaliter etiam sibi Adnomen sociat*; *ut*, Amicus certus *in* re incerta (*cernitur*.) Majores nostri. Bonum ingens, *&c.*

2. *Nomini tantum plurali jungitur Adnomen numerale distributivum*; *ut*, Literæ (*quum epistolam significant*) binæ, (*non duæ*,) Castra terna.

3. *Nominibus pluribus singularibus datur Adnomen plurale*; *ut*, Demosthenes & Cicero eloquentissimi.

4. *Si vero Nomina illa discrepant genere, Adnomen ponitur in genere aut* 1. *digniore, aut* 2. *propiore aut* 3. *numero*, *ut*,

1. Pater & mater mortui (*non* mortuæ.) *Terent.*

2. Locus & tempus constitut-um, (*non* -us.)

3. Murus & porta (*cælo*) tacta: *Livius* (*non* tacti, *scil. muri*, *aut* tactæ, *scil. portæ*.) *Sic Salustius*: Genus, ætas, eloquentia, propè æqualia.)

REGULA IV.

9. *Ad ostendendum* Cui res talis sit? *additur Adnomini Nomen in Dativo*; *ut*, Calceus magnus mihi. *Liber* utilis tibi.

(*Obs. Talia potissimum sunt* Adnomina 1. Commodi, 2. Aptitudinis, 3. Facilitatis, 4. Favoris, 5. Propinquitatis, *& his contraria.* 6. *Item* Verbalia *in* -bilis *&* -ndus; *ut*, Amabilis omnibus: Timendus hosti, *&c.*)

REGULA V.

10. *Ad ostendendum* Unde res talis sit? *aut* Quâ parte? *additur Adnomini Nomen* (causæ, *vel* partis) *in Ablativo*; *ut*, Magnus ingenio, Formosus facie, Fessus labore.

(*Obs.* 1. *Plena tamen loquutio videtur esse cum Præpositione* In, A, De: *quas & exprimunt quandoque Autores, ut Cicero dixit* Fessus de via. *Et Livius, cùm alibi dixisset* Liber metu, *alibi addidit*, Liber à metu. *Cicero*, Contentus parvo; *& alibi, Vita communis* de his contenta.

Obs. 2. *Quomodo autem alicubi Ablativus transeat in Genitivum*, (*ut*, *Cantharus* plenus vino, *vel* vini) *videbis in Grammatica eleganti.*

3. Comparativum Adnomen *ordinariè stat inter duo Nomina ejusdem Casûs, mediante* quàm, (*ut apud Plaut.* Versutior quàm rota figularis.) *usitatè tamen Nomen posterius mutatur in Ablativum, vi occulta Præpositionis* Præ; *ut*, Versutior rotâ, *id est*, præ rota.

4. Superlativo *autem naturaliter additur nomen plurale, cum Præpositione* Ex ante, inter; *ut*, Acerrimus ex omnibus sensibus, Fortissimus ante alios, inter omnes:) *consuetè tamen jam recipit Genitivum, vi Ellipseus; ut*, Doctissimus Græcorum, *i. e. ex numero Græcorum. Et* Doctissimus Græciæ, *i. e. è gente Græciæ*, &c.

5 *Si Nomina Superlativum circumstantia fuerint Generis diversi, Superlativus utrivis rectè accommodatur; ut*, Indus maximus (*vel* -um) fluminum. Rosa pulcherrima (*vel* -us) florum.)

REGULA VI.

11. *Ad ostendendum aliquid* Esse, *aut* Agere, *vel* Pati, *additur* Nominativo Verbum finitum, *simili Numero & Personâ*; *ut*, Bellum fuit, Alexander vicit, Darius victus est.

(*Obs.* 1. *Nominativi loco quandoque stat Infinitivus, aut vox materialiter sumta*; *ut*, Sapere *est pulchrum*, Psalmos *est Accusativus*

2. *Verba secundæ Personæ habent ante se Vocativum: ut*, Petre dormis.

3. *Sæpe neque Nominativus, neque Vocativus exprimitur.* 1 *Quia in Verbi primæ & secundæ personæ per se intelligitur: ut* dico, *scil. ego*: audis, *sc. tu.* 2. *Quando ex præcedenti sermone notus est*: *ut*, Dixit autem (*nempe is, de quo jam loquuti sumus.*) 3. *Quando nescitur; ut*, pluit, ningit, tonat, *sc. Deus, vel Cœlum, vel nescio quid.* (*Nota. Vocant* Verba exemptæ actionis.) 4. *Quando nominare nolumus; ut* Aiunt, *vel* dicunt, *scil. homines*. Scribunt *scil. historici.* 5. *Quando impersonaliter loqui libet, fastu aut joco; ut*, *Quid* agitur? Itur, sedetur, luditur, dormitur, *&c.* 6. *Pleraque Impersonalia Nominativum occultant, aut ejus loco Infinitivum habent*; *ut*, Pœnitet me. *Quis*? Animus pœnâ afficit: *vel*, Fecisse, pœnitet me: *h. e.* quod feci, (*factum istud*) *pœnâ me afficit*, &c.)

De Phrasi hic composita duplici.

12. *Duobus Nominativis Singularibus sociatur Verbum Plurale*

Plurale;uni autem Collectivo *Singulare vel Plurale* : *ut*, Alexander & Darius pugnant , Grex (*avium*) volat, *vel* volant.

(*Obs.* 1. *Ubi si plures illi Nominativi Numero discrepant, Verbum se accommodat propiori*, (*ut*, Currus armáque fuerunt :) *si tamen alter Nominativus fuerit* epitheton, *principaliori:* (*ut in Cicerone*,Tullia deliciæ nostræ flagitat *munusculum*, *Non* flagitant : *de Tullia enim filia sermo est.*)

2. *Si alter ille Nominativus fuerit* Nomen proprium & Plurale,*Verbum potiùs respondet Communi* ; *ut*, Tungri , civitas Galliæ, habet *fontem insignem*.(*Plin. Non* habent.

3. *Si Nominitivi fuerint diversarum Personarum, Verbum respondet digniori* ; *ut*, Ego & tu loquimur, Tu & ille auscultatis. *Dignior enim habetur Persona prima quàm secunda, & secunda quàm tertia.*)

13. *Verba*, *quæ* esse , *aut* fieri , *aut* cognosci, *&* appellari, *significant*, *requirunt utrinque Nominativum* ; *ut*, Ira est furor, (*Horat.*) Apis nascitur artifex, Simon vocatur Petrus.

(*Obs.* 1. *Quòd si Nominativi circumstantes Verbum fuerint* diversi Numeri , *Verbum utrique respondet* ; *ut*, Nuptiæ sunt res honesta, *vel* est. (*Usitatius tamen priori modo : posterior enim consuetudo Poëtica est,ut inTerentiano*;Amantium iræ amoris redintegratio est,*simpliciùs diceretur* sunt,*sc.* iræ.

2. *Idem est, si Nominitivi fuerint diversi Generis , Verbi autem loco stet Participium* ; *ut*, Paupertas visa est onus grave , *vel* visum est *Non omnis* error dicend-us (*vel*-a) *est* stultitia *&c.*

3. *Idem denique, si Nominativi tam Numero quàm Genere differant* ;*ut*, Gens *universa* Veneti appellat-a est, *vel* -i sunt.)

REGULA VII.

14. *Ad ostendendum* Cui aliquid fiat ? *aut* fit ? *additur Verbo Dativus* ; *ut Plautus*, Tibi aras, tibi occas : Mihi *istic nec* seritur, *nec* metitur.

(*Obs. Inprimis huc spectant* Verba promittendi *vel* comminandi , dandi *vel* adimendi,committendi *&* imperandi, obtemperandi *&* adversandi, irascendi *&* ignoscendi,narrandi *&* reticendi, juvandi *&* nocendi. *Excipe* jubeo *&* juvo , *quæ Accusativum requirunt.*)

De Phrasi hic composita.

15. *Verba*, *quæ aliquid tribui significant*, *tum personæ* , *tum rei*, *geminum Dativum accipiunt* ; *ut*, Esse alicui ornamento, Dare (*aliquid*) alicui pignori.

REGULA VIII.

16. *Ad ostendendum* in quid actio transeat,*additur Verbo Accusativus* ; *ut*, Videre aliquem, Hortari amicum.

Obs. 1. *Activum passivè prolatum mutat Accusativum in Ablativum cum* Ab. Videri ab aliquo, *Deponen autem* (*ut est in exemplo* Hortari) *quia est formæ secunda, mutatur in Synonymiam*; *ut*, Moneri ab aliquo.

2. *Etiam* Intransitivo-activum *admittit Accusativum. sed nominis cognatæ significationis, & qui mutari potest in Ablativum*; *ut*, Vivere vitam, *vel* vitâ: Gaud-ere-ium, *vel* -io. Dormire somn-um, *vel* -ô, *&c.*)

De Phrasi hìc composita.

17. *Bis Activa* (quorum actio & in rem transit, & in personam) *duplicem requirunt Accusativum*, *alterum personæ*, *alterum rei*; *ut*, Docere aliquem literas.

(*Hic enim docendi actus revera transit, tum in literas, quæ traduntur, tum in discipulum, qui informatur. Ita*, Facio te Deum. Dare filiam (*alicui*) uxorem. Præsta te virum. *Et alia verba Faciendi, Appellandi, Orandi, Monendique vim habentia.*)

De Phrasi hìc ambigua.

18. *Verba Commodi aut Incommodi admittunt loco Accusativi Dativum*; *ut*, Adulari, benedicere, maledicere, nocere, parcere, suadere aliquem *vel* alicui.

19. *Verba Memoriæ & Oblivionis commutant sæpe Accusativum Genitivo, per Ellipsin*; *ut*, Oblivisci nomen, *vel* nominis. *N.B. Integrè Cicero dixit*, Recordari memoriam pueritiæ; *ubi, si Accusativum dissimulas, manebit consueta Elliptica Syntaxis*, Recordari pueritiæ.

20. *Quinque hæc*, Utor, Fruor, Fungor, Vescor, Potior, *pro Accusativo recipiunt Ablativum*: Potior *etiam Genitivum.*

(*Licet enim reperiamus, antiquos dixisse*, Uti aliquam rem, vesci carnes, fungi officium potiri regnum: *usu tamen invaluit dici*, Uti re, vesci carnibus, fungi officio, potiri regno. *Ratio est: quia non tam objecti significationem habent hoc loco, quam instrumenti In Genitivo autem manifesta est ellipsis Ablativi*: *ut*, Potiri regni, *sc. imperio regni.* Potiri rerum, *i. e. usu rerum.*)

Regula IX.

21. *Ad ostendendum* Quô instrumentô, *aut* Cur, & Quomodo quid fiat? *jungitur Verbo Ablativus*; *ut*, Videre oculis. Fugere metu. Ire gradu lento, *&c.*

(*Obs.* 1. *Sic Ablativus Gerundii*, Proficiendo scribere, & scribendo proficere. 2. *Ablativo causæ præjungitur aliquando* A, præ, ex, *Ablativo modi*, Cum, de, in; *ut*, Esse

ut, Esse naturâ, *vel* à natura. Exilire (*præ*) gaudio. Laborare (*ex*) oculis. Legere [*cum*] cura. Surgere [*de*] nocte. Niti [*in*] hastâ, *&c.*)

De structura hîc ambigua.

22. *Verba quatuor Classium* (cogitationis *&* curæ, copiæ *&* inopiæ; æstimandi *&* mercandi, accusandi*que*, damnandi *&* absolvendi) *commutant eleganter Ablativum Genitivo*; *ut*, Pendére animo *vel* -i, Æstimare magn-ô *vel* -i, Accusare capit-e *vel* -is, *&c.*

[*Verùm de his in Grammatica eleganti.*]

REGULA X,

23. *Ad ostendendum* Quid res possit? *aut* sciat, velit, conetur, *vel* debeat? *jungitur Verbo alterius Verbi Infinitivus*; *ut*, Potest loqui, Scit canere, Vult doceri, Studet proficere, Debet mori, *&c.*

Obs. 1. *Si quid aliud est interdum, non Infinitivus, ille tamen subintelligitur*; *ut*, Scis Latinè, *sc.* loqui. Scit fidibus, *sc.* canere.

2. *Si expresso Infinitivo præmittitur, additurq; Accusativus, hic rectè per Nominativum, ille per Subjunctivum, præposita Conjunctione* (ut, *vel* quod) *explicatur*; *ut*, Nolo te perire, *i. e.* ut pereas. *Imo ad tollendam ambiguitatem, hæc explicatio interdum fit necessaria, ubi Accusativus est duplex*; *ut*, Aio Suecos superâsse Danos.)

24. *Et quia, Latini pro Infinitivo perpetuo Gerundiis & Supinis utuntur, usum illorum hîc disce, quatuor Observationibus.*

Obs. 1. *Actio vel Passio subeunda exprimitur Gerundio in* -dum, *& verbo* est, *cum Dativo*, *ut*, moriendum est omnibus. Discendum tibi fuit.

2. *Actio ad quam itur, exprimitur per* ad-dum, *vel* -di causa, *vel per Supinum in* -um; *ut*,

Ire { ad spectandum. / spectandi causa, (*vel gratiâ, ergò.*) / spectatum. }

3. *Actio actioni implicita exprimitur Gerundio in* -do; *ut*, Spectando oblectari. Curando *quædam* fieri *majora vidimus vulnera*, *Ovid.* *i. e.* dum curantur.

4. *Actio à qua reditur, exprimitur Supino in* -u, *ellipticè*; *ut*, Redire spectatu, *id est*, à spectatu, *seu* à spectando.)

REGULA XI.

25. *Ad ostendendum*, An, Ubi, Quando, Quomodo, *&c.*

 quid

quid sit, aut fiat? *additur Verbo Adverbium; ut,* An pergimus? Ità, Omnino, &c.

(*Obs. Adverbia Verbis liberè junguntur. Excepto quòd Adverbia* optandi *&* comparandi *Subjunctivum requirunt:* hortandi *vero Subjunctivum vel Imperativum; ut,* Utinam pergamus! O perrexissemus jam! Quasi nesciam. Eja perge! *vel* pergas!)

REGULA XII.

26. *Participium adsciscit Casum Verbi sui; sed factum Adnomen* (amissâ Temporis significatione) *assumit* (loco sui casûs) *Genitivum: ut,*

Patiens { frigus: *qui nunc patitur frigus.*
frigoris: *qui pati potest & solet.*

(*Obs. De Participio juncto Nomini in Ablativo, Tempus significante* (*ut,* Alexandro regnante) *videbis in Grammatica eleganti, sub hac Regula.*)

REGULA XIII.

27. *Adverbia quædam Nominibus etiam & Adnominibus adverbiisq; liberè junguntur ut,* Parùm vir, Satìs virilis, Nimis utiliter.

Obs. 1. *Intelligitur tamen Verbum:* Parùm (*est*) vir: Nimis (*egit*) viriliter. *Ità cum Casu: ut,* En dextra! (*sc. adest.*) Ecce hominem miserum! (*vide.*)

2. *Adverbium* Loci, temporis, copiæ, *admittit apud Latinos Genitivum; ut,* ubi terrarum? Hìc loci. Nunc temporis. *Sed subest occultum Nomen, in quod se Adverbium resolvit.* Vbi, (*i.e. in quo loco*) *terrarum? ecce* locus terrarum! *per Regulam* II. Nunc, (*i.e. in hoc puncto*) *temporis: Ecce* punctum tempori! *Sic cætera.*

3. *Adverbium derivatum recipit Casum primitivi sui; ut,* Convenienter naturæ: *quia dicitur* conveniens naturæ. Propiùs urbem; *quia* Propè urbem, *&c.*)

REGULA XIV.

28. *Ad ostendendum actionis aut passionis* Circumstantiam, *additur Verbo Præpositio cum Nomine sui Casûs: ut,* Quando? De *die.* Ubi? Apud *nos.* Ante *domum.* Extra *ædes.* Unde? A *nobis.* Ex *urbe, &c.*

29. *Obs.* 1. *Iunguntur autem Præpositiones viginti septem soli Accusativo, undecim soli Ablativo, tres utrique Casui diverso sensu, duæ item bino Casui, sed sensu eodem. Exemplum omnium sic accipe.*

Præpositiones Accusativi 27.

Tabellarius, qui Apud 1. te *fuit, rediit* Ad 2. me, Ante 3. horam, deprædicavítq; Vltra 4. modum, *tuam* Erga 5 se *benevolentiam*, Propter 6. allatas *literas. Sed narrat quum esset rursum* Cis 6 amnem, *irétque* Per 8. sylvam, montem 9. Versùs, Juxta 10. (Secus 11. Secundum 12.) vallem, Inter 13. *duos* clivos, *nihilque videret* Præter 14. præcipitium, Infra 15. se, *& cœlum* Supra 16. *&* Ponè 17. se, (Post 1[illegible]. se) *scribes, venisse sibi* Ob 19. viam *lupum, & saltâsse* Trans 20. fossam, Contra 21. se, (Adversùm 22. se.) *Cùm ergò nihil videret* Circa 23. se, *nec possit deflecteret*

deflectere Extra 24. semitam, *lupúsque consisteret* Prope 25. se, *ille habens* Penès 26. se *hastam longam,* Circiter 27. *quinque* cubitos.

Præpositiones Ablativi 11.

Cùm lupus nollet cedere De 1. via, *nec ille fugere posset* Ab 2. eo, *aut stare* Coram 3. eo, *& sic fuit haud* Procul 4. morte, *nisi pugnaret* Pro 5. vita, *licèt esset* Sine 6. socio, (Absque 7. socio) *vibravit tamen hastam* Cum 8. impetu, *& transverberavit lupum, detractásque* Ex 9. illo *exuvias ostentat,* Præ 10. gaudio, Palam 11. omnibus.

Præpositiones tres utriusque Casûs, sensu diverso.

Ità sæpe incidimus (1.) In pericula, *&* In periculis *invenimus occasionem virtutis, venitque* (2.) Sub oculos, *quod terret, &* Sub oculis (*vel* Subter ocul-os-is) *rursum evanescit. Sed* (3.) Super alios *est, qui* super pluribus *malis triumphat.*

Præpositiones duæ Casu diverso, sensu eodem.

Hoc 1. Clam vos (*seu* Clam vobis) *esse nolui: sicut & quòd quidam immersus fuit aqua, non tantum* Crurum-Tenus, *sed* Cinguló-Tenus.

(N.B 1. Tenus *postponitur Nomini suo semper: estque hæc unica apud Latinos Præpositio, quæ Genitivo jungitur, cùm Nomen est Plurale* (*ut* Crurum-tenus, laterum-tenus, *Virgilio:* Aurium tenus, *Quintiliano.*) *Aliàs Ablativo, tum Singulariter* Verbo-tenus: *&c. tum Pluraliter; ut* Pectoribus-tenus, *Ovid.* Ignibus-tenus *Celso.*)

2. Versùs *etiam postponitur, sicut &* Cum, *junctum Pronominibus quatuor,* Quis, Ego, Tu, Sui: *composita.* Quîcum? Mecum, Tecum, Secum, Nobiscum, Vobiscum.

3. *Quomodo Latini Præpositiones eleganter dissimulent,* (*ut, ibit* Romam, *est* Romæ, *redit* Româ, *pro* in Romam, in urbe Romæ, è Roma, *&c.*) *disces in eleganti Grammatica.*

30. *Obs.* 2. *Præpositio sine Casu intelligitur Adverbialiter, refertúrque ad Verbum; ut,* Dixit post, *i. e. posteà.* Abiit procul, *i. e. longinquè.*

31. *Obs.* 3. *Præpositio Verbo præjuncta regere illud facit Casum suum; ut,* Adire patrem, *i. e. Ire ad patrem* Excedere urbe, *i. e. Cedere ex urbe.*

(*Dicit quidem Terentius,* Exire limen: *& Livius,* Excedere modum, *cùm* Ex *non regat Accusativum. Sed hîc videtur intelligi Præpositio* Extra: *q. d.* Ire extra limen, Cedere extra modum. *Sic* Incolere urbem, *i. e.* Colere, *seu habitare* intra urbem.)

REGULA XV.

32. *Conjunctio jungit similes Casus in Nominibus, similes autem Modos & Tempora in Verbis: ut,* Ego & tu, *omnia* scire vellemus, si possemus: *nec* hic aut ille aliter quam taliter.

(*Obs.* 1. *Excipe solùm Conjunctiones finales, quæ requirunt Subjunctivum; ut,* Volo ut venias, volebam ut venires, *&c.*

2. *Pleræque Conjunctiones præponuntur quam alteri annectunt, quædam tamen postponuntur; ut,* que, quoque, ve, verò, autem, quidem, enim. *Ego,* tuque, illéve, *&c.*)

33. Quæ est Phrasis composita? *Cujus structura per duas Regulas resolvitur.*

34. Da exemplum. *Hæc sunto:* 1. Puer bonus ingenio. 2. Puer bono ingenio. 3. Puer boni ingenii.

(Nam

Nam Puer bonus *dicitur per Regulam* III bonus ingeniô, *per* V. Puer ingeniô (*sc. præditus*) *per Ellipsin, Regula quinta.* Bono ingenio, *per* III. Puer boni ingenii, *per* I I. *&c.*]

35. Omniáne sic resolvi possunt? *Omnia, sed quædam attentione opus habent. Ex.gr. hæc tria:* 1. Meum solius peccatum; *Cic.* 2. Virtutis causâ, *vel* gratiâ, *vel* ergô. 3. Est mihi nomen Antoni-us, *vel* -i *vel* -o.

(*Primum exemplum resolvitur per duas Regulas: secundum per tres, tertium per quatuor: sic,* Peccatum meum *dicitur per Regulam* III. Peccatum solius (*i.e.* Ciceronis, *per* II. Virtutis causâ, *&c. conflatur occultè ex Reg.* XIV. *apertè ex* II. *&* III. *Dicitur enim* virtutis causa *Ellipticè, integrè diceretur* In (*vel* pro) causa *vel* gratia, (*i. e. amore,*) *&* in ἔργῳ (*i. e.* opere virtutis, *scil. operando, seu inserviendo. Quia vero* Causa, Gratia, Ergo, *nomina sunt, trahunt secum Genitivum* virtutis, *per Reg.* II. *Cumque dicis pro* Mei causa, meâ causâ, *transit structura in Reg.* III. *In tertio vero exemplo* 1. Nomen Antonius *dicitur per Reg.* I. Nomen Antonii, *per Reg.* II. Est mihi nomen, *per Reg.* VII Est mihi nomen Antonio: *per eandem* ¶ 14. *Ut enim rectè dico.* Vocant me Antonium, (*per binum Accusativum*) *ita rectè*, Do tibi nomen Antonio (*per binum dativum.*)

36. Quid est Phrasis contracta? *Omnis Vox composita, omnéque Participium, omneque Adnomen solitariè positum.*

(*Quid enim est* Armi-ger, *nisi* arma gerens? *quid* Amans, *nisi* qui amat? *quid* Bona, *nisi* res bonæ, *&c.*)

Appendix, de exercenda Phraseologia.

37. *Sumantur duo quædam Nomina, deducantúrque per omnes* XV. *Regulas, mutato (ubi opus) alterutro, vel utroque in Adnomen, Verbum, Adverbium, &c. Ex. gr.* Flos *&* Campus.

(*Dici enim potest per Reg. I.* Totus campus, flos unus. *Per II.* Flos campi, *vel* Campus florum. *Per III.* Flos campestris, *vel* campus floridus. *Per IV.* Cui est floridus? apibus. *Per V* Unde? Floridus à sole calido. *Per VI.* Campus floret, flos spirat. *Per VII.* cui floret? Cui spirat? oculis & naribus. *Per VIII.* Quid spirat? odorem. *Per IX.* Spirat odore suavi. *Per X.* Spirare solet. *Per XI.* Spirat suaviter. *Per XII.* Spirans odorem. *Per XIII.* Pulchrè floridus. *Per XIV.* Flos est propter fructum, *etiam* inter spinas, *&c. Per XV.* Spirat odorem, si floret, *&c.*)

Cap. XII. De SENTENTIA.

1. QUid est Sententia? *Vocum & Phrasium nexus, aliquid de aliquo interrogans, affirmans aut negans.*

2. Quotuplex est? *Triplex: Simplex, composita, & contracta.*

(*N. B. Fundamentum sententiæ est* nominativus cum verbo finito: *ubi, si unum de uno interrogatur, aut respondetur, est* sententia simplex, *si plura de pluribus aperte,* composita; *si occultè,* contracta. *Exempla mox videbis*)

3. Quomodo fit Interrogatio? *De re penitùs ignota, per particulas interrogativas,* Quis, Quem, Cui, Ubi, Unde, Quando, Quomodo, *&c.*

De re

De re autem semi-nota per Adjectitium -ne? *ut*, Quis dixit? Ubi est? Quomodo valet? Illéne? Itane? Recténe?

4. Quomodo fit Responsio? *Per eandem vocem, eumdémque Casum, Tempus, Modum: ut*, Quando venisti? heri. Quò ibis? forás. Quem video? Paulū. Quid agis? scribo. Quid agitur? scribitur. Vellésne ire? vellem. *&c.*

(N.B. *Ad seminota tamen etiam respondemus per* Ita, *Sic*, Factum est, Fiet, Omninò, Neutiquam, Haud, *&c.*)

5. Quomodo fit Affirmatio, vel Negatio? *Verbum solum affirmat, cum præjuncta particula negativa negat; ut*, Scio, Haud scio, Non scio, *seu* Nescio.

(*Obs* 1. Ne *prohibitivum, jungitur Imperativo aut Subjunctivo, præsenti vel futuro; ut*, Ne fac, ne facias, ne feceris.

2. *Duplex negatio vehementius affirmat.* Non nescio, *i. e omnino scio.* Nemo nescit: *id est, omnes sciunt, &c.* N.B. *Reperitur tamen apud bonos Autores, ubi duplex negatio vehementius negat, ut Celsus*, Nemo nihil facit, *id est, nemo quidquam. Plautus*, Neque ego haud committam: *id est, non committam, &c.*)

6. Sententia simplex quæ dicitur? *Quæ constat unico Nominativo, & unico Verbo finito; quantocunque numero aliæ voces accedant.*

7. Possuntne plures? *Possunt vel viginti, aut triginta.*

8. Ostende id. *Attende. centrum totius sententiæ est* Verbum finitum, *ad quod omnia primariò referuntur. Exemplo sit hoc schema:*

stylo eleganti -- diligenter

Livius -- DESCRIPSIT -- historias.

colligens omnia -- multis libris

(*Nempe, quidquid sermone enarramus, sunt rerum* existentiæ, actiones, passiones, *cum circumstantiis suis.*)

9. *Iam, si vides singulas voces instruere suis appositis (ductu Phraseologicarum* XV. *Regularum) quantus prodibit vocum numerus, Sententiâ nihilominùs manente simplici? ut*, Livius, Patavinus historicus, imò historicorum Coryphæus, colligens magnâ curâ omnia antiquitatum monumenta, multis librorum decadibus, commendavit memoriæ posteritatis victoricissæ gentis Romanæ domi forisque gloriosè gesta, ornans historicas narrationes suas stylo perquàm eleganti.

(*Ecce voces triginta tres, sententia tamen simplex.*)

10. Quid est composita sententia? *In qua plura de uno, aut unum de pluribus, aut plura de pluribus dicuntur; ut* 1. Alexander pugnat & vincit. 2. Alexander & Darius pugnant. 3. Alexander vincit, Darius verò succumbit.

11. Quot-

11. Quotuplex est? *Interrogativa & responsiva.*

12. Interrogatio composita quomodo fit? *Tria observa*: 1. *Quum aliquid interrogari dicis, pone id, de quo interrogatur, Subjunctivè, cum particulis interrogativis.* Quæro an (num, utrum) feceris? *vel* feçerisne? (*id est,* Ego *quæro, an* tu *feceris? Ecce duo* Nominativi, *duo Verba finita!*)

(N.B. *Responsio tamen quandoque Indicativum admittit, ut in Plauto,* Scio quid ago, *pro* agam.)

2. *Quum duo opposita interrogas, priori præmitte* Utrum, *vel* -ne, *posteriori* an. *Quæro* utrum *velis,* an non? *Egóne veniam,* an *Ille?*

3. *Si plura sunt interrogationis membra, pone primo loco* Utrum (*vel* ne,) *secundo* an; *tertio & dehinc,*-vel-aut: *ut, Egóne veniam?* an *Paulus?* vel *Petrus?*

13. Narrativa sententia composita quotuplex est? *Secundùm Conjunctionum classes quindecuplex. Respondemus enim ad plura interrogata, vel* 1. Affirmativè, 2. *vel* Negativè, 3. *vel* Mixtè.

14. Quomodo Affirmativè?

Affirmando
- *utrumque:* Et tu *veni* & *ille.* [*vocatur* Sententia copulativa. I.]
- *alterutrum:* aut *tu veni,* Aut *ille.* [*sententia* Disjunctiva, *seu* alternativa. II.]
- *alterum duntaxat:* Quamvìs *vellem utrumque, veniat* tamen *alteruter.* [Concessiva. III.]

15. Quomodo Negativé?

Negando
- *utrumque:* Nec *te volo,* nec *illum.* [*dicatur* Sententia rejectiva. IV]
- *alterutrum:* Non *illum volo,* sed *te.* [Adversativa. V.]
- *alterum, præferendo illi alterum: Te malo* quàm *illum.* [*Vocant sententiam* Comparativam, electivam, discretivam. VI.]

16. Quomodo Mixté?

Affirmando aliquid, aut negando,
- *cum*
  - conditione: *Veni,* si *vacat*; *vel,* nisi *aliquid impedit.* [Conditionalis. VII]
  - exceptione: *Venite,* præterquam *ille.* [*sententia* Exceptiva. VIII.]
  - restrictione: *Venite,* quatenus *amici.* [Restrictiva. IX]
- *per*
  - aliam notificationem: *ut, Dicunt* quod *non sis venturus.* [Notificativa. X.]
  - relationem ad aliquid jam dictum: *Veniat* ille, quem *rogavi.* [*sententia* Relativa. XI.]
  - ordinis designationem: Primo *tu,* deinde *ille,* tum *alii.* [Ordinativa. XII.]
- *ad ostendendum.*
  - causam finalem: *Veni,* ut *me juves.* [Finalis. XIII.]
  - causam impulsivam: *Veni,* nam *opus est.* [Causalis. XIV.]
  - consequentiæ necessitatem: *Opus est,* ergò *veni.* [Rationalis, illativa, conclusiva. XV.]

17. Quid prætereà de sententia composita sciendum? *Nihil, nisi ut eas plenè discernere discas.*

18 Quomodo? *Docebo te, quâ Conjunctione varietate exprimatur quæque.*

1. *Copulativa signa sunt,* Et, que, etiam, quoque, cùm, tum, tam-quam. *Veni tu, ille* quoque. Tum *tu,* tum *ille.* Tam *tu,* quam *ille, &c.*

2. *Disjunctiva:* sive *tu* sive *ille:* vel-vel-

3. *Con-*

3. *Concessiva:* Quanquam-tamen, licet-nihilominus, etsi-at, cum-attamen, quòd-si, at-certè, quidem (sanè)-at, utut-tamen.
4. *Rejectiva:* Non-nec, nequidem.
5. *Adversativa:* -autem-verò-at-ast-sed.
6. *Comparativa:* -quàm-atque-ac-præ.
7. *Conditionalis:* Si quod si, ni-nisi.
8. *Exceptivæ signa sunt:* Præter, præterquam, nisi, extra, modó; *ut*, modo-ne, dum-ne, excepto, *&c.*
9. *Restrictiva* (*ubi si quid generalius & obscurius dixisse videris, restringis & limitas, per*) Nempe, scilicet, nimirum, id est, putà, quatenùs, quoad, *&c.*
10 *Notificativæ signum est* quòd, *cum Subjunctivo, aut* (*sed rarius*) *Indicativo, ut Terent.* *Iam scio,* quod *filius* amet meus. *Cic.* Quòd *ad me* scribis, *gratum est mihi.*
11. *Relativæ notæ sunt:* Tot-quot, tantum-quantum, qualis-talis, id-quod, inde-unde, ibi-ubi, sicut-ità, tum-quum, *&c.*
12. *Ordinativa:* Primò, deinde, tùm, postea, præterea, insuper, tandem, deniq; *&c.*
13. *Finalis:* Ut, quò, utne, neve, neu.
14. *Causalis:* Nam, enim, quia, quoniam, quòd, quippe.
15. *Conclusiva:* Ergò, igitur, icciró.

19 *De Relativis accipe Regulam:* Adnomen vel Pronomen Relativum respondet antecedenti Nomini Numero & Genere, Casu verò sequenti verbo; ut *Cic.* *Accepi* literas *tuas,* quæ *mihi* fuerunt *voluptati.* *Ecce* literas quæ! *scil.* quæ fuerunt. *Dici & poterat,* quarum desiderio *tenebar:* quibus addidisti *blanditias:* quas misisti, *&c.*

(*Similiter in* Adverbiis loci *Relativum posterius respondet Verbo suo: ut,* Quo tu cogitas, eodem collimo *ego:* Ibi *jam ego* sum, *vel* indè jam redeo.)

20. **Intelligo.** *Dic jam,* Sententia contracta quid est? ***Vbi duæ sententiæ coalescunt in unum.***

21. Quomodo? ***Ostendam id per primaria quædam exempla.***

1. In Copulativo *dicere licet:* *Petrus* cum Paulo *venit.* *Est vir* piè doctus. *Disputando vicit,* (*pro, Petrus & Paulus,* pius doctúsque, *disputavit & vicit.*)
2. Disjunctiva, *Seu tu velis, seu nolis, illud tamen fiet; contrahitur sic,* Velis nolis, fiet. *Ecce hìc sententia trina contracta in unam!*
3. Rejectiva, *Nec hoc volo, nec illud,* neutrum volo.
4. In Comparativa, *pro,* scientia est melior quam aurum, *dic,* scientia melior (aurô.
5. Conditionalem, *Si praibis, ego sequar; ità contrahe,* Te præeuntem sequar.
6. Notificativa *creberrimè contrahitur, omisso* quòd, *& mutato Verbo finito in infinitum, Nominativo in Accusativum, ut, Jam scio* filium amare *meum,* (*pro, Jam scio* quod filius amet *meus*)
7. Relativa *sententia contrahitur Pronomine sublato, Verbóque in Participium mutato; ut,* Perit hostis, quem formidabas: *dic,* Periit formidatus tibi hostis: *Pro,* Liber qui debet vivere, debet habere ingenium, Victurus genium debet habere liber.
8. In Continuativa, *Actio actionem consequens enuntiatur contractè, Verbo priore verso in Participium ut,* Postquàm ea dixisset, conticuit; His dictis, conticuit.
9. Finalis, *sic,* Fac sciam, (*pro, Fac tu, ut ego sciam.*) Volo te scire, *vel* scias velim, *id est, volo ego ut tu scias.* [*Reliqua disce in Grammatica eleganti.*]

Sententiarum Orthographia & Orthotonia.

22. De legitima pronuntiatione & scriptione Sententiarum habésne aliquid observandum? ***Sex hæc:***

1. Sen-

1. Sententia indicativa *æquali tono profertur, neque signo aliquo opus habet.*

2. Sententia admirativa *principium elevat. in fine autem* punctum admirationis *scriptum accipit: ut,* Proh dii immortales!

3. Sententia optativa *principium elevat, finem deprimit, adscribiturque illi idem punctum voti: ut,* Vtinam adfuisses!

4. Sententiæ interrogativæ *adscribitur punctum interrogationis (?) pronuntiatur vero sic, ut elevetur tam principium quam finis, ut,* Quis est? Quis ad me vocat?

5. Voces similes, sine copula sibi appositæ, *interstinguantur commate (virgula,) & respiratiunculâ; ut, apud Cic.* Labi, errare, nescire, decipi, turpe ducimus

6. *Sed quid interstruitur sententiæ, (ut* Vocativus, Interjectio, *&c.) commate includatur utrinque; ut,* Magnum opus & arduum, *Brute,* molimur. Omnes, *eheu,* mortales sumus, *&c.*

CAP. XIII. De PERIODO.

1. QUid est Periodus? *Verborum in sententias contextorum plenus ambitus.*

2. Unde constituitur? *E sententiis, ad minimum duabus: quarum altera sensum aperit, altera claudit, ut in illo Ciceronis:* Quales in Republica Principes sunt, tales reliqui cives esse solent.

(*Partes illæ Periodi dicuntur* Propositio *&* Redditio, *Græcè* πρότασις & ἀπόδοσις.)

3. Quotuplex est Periodus? *Simplex,* unimembris; *&* *composita,* bimembris, trimembris, *aut* quadrimembris.

4. Unimembris Periodus quæ est? *Quam absolvit unica sententia, sed composita, ut apud Ciceronem:* Quoties dicimus, toties de nobis judicatur.

(*Hæc enim resolvit in duas sententias,* 1. Nos dicimus. 2. Alii de nobis judicant. *Copulam vero (i.e propositionem & redditionem faciunt vocula relativa,* toties, quoties.)

5. Bimembris est; *Quæ uno majori membro absolvit propositionem, altero redditionem; ut, (si Ciceronianum illud extendere placeat.)* Si quoties dicimus toties de nobis judicatur, *profectò ad dicendum nunquam est veniendum temere.*

6. Da exemplum trimembris periodi: *Si quoties dicimus, toties de nobis judicatur;* quoties igitur nobis dicendum est, toties omnia sunt bene præmeditanda: *& quoties dicimus, toties omnia circumspectè agenda.*

7. Da quadrimembrem: *Differamus illud in artem Oratoriam Nunc satis sit, te non ignorare structuram Periodi, quantum scire Grammatico sufficit.*

8. Periodus contracta quæ est? *Quæ propositionem aut redditionem occultat; ut,* Regis ad exemplum totus componitur orbis, *id est, Qualis rex, talis grex.*

9. De Periodorum Orthonia & Orthographia quid mones? *Quatuor necessaria.*

10. Quæ illa? *Primum est hoc.* Omnis Periodus scribendo incipit à litera Maju-

Majuſcula, & deſinit in punctum: pronuntiando verò inchoat à ſilentio, & terminatur in ſilentium, ſeu reſpirationem juſtam.

11. *Altera lex:* Partes Periodi diſtinguantur ab-invicèm ſignis, minores Commate (,) majores Colo (:) mediæ Semicolo (;) reſpirationesque proportionatæ ſint interſtinctioni; *ut in illo Gellii*, Si quid turpe feceris cum voluptate; voluptas abit, turpitudo manet: Si quid honeſtè feceris cum labore; labor abit, honeſtas manet.

(Semicoli *peculiaris uſus eſt in diſtinguendis oppoſitis; juxta invicem locatis; ut,* Propria, aliena; publica, privata; ſacra, profana.)

12. *Tertium.* Si quid ad eſſentiam Periodi non ſpectans interſeritur, includendum eſt ſigno Parentheſeos ( ): pronunciandúmque tono paulùm remiſsiore; & reſpirandum æquè ante parentheſin atque poſt illam, non ſecùs ac in Colo: *ut*, Elementa tria ſunt, (*quanquam alii aliter ſtatuunt*) Aër, Aqua, Terra.

13. *Tandem*, Ubicunque in Periodo votum, vel interrogatio, occurret, ſigna adjicere, pronuntiationémque variare, cave oblivîſcaris.

(*Juxta monita capite præcedenti* ¶. 22. &c.)

CAP. XIV. De ORATIONE.

1. ORatio quid eſt? *Eſt Sententiarum in Periodos redactarum plenus contextus.*

2. Quotuplex eſt? *Etiam ſimplex, compoſita, contracta.*

3. Quid eſt Oratio ſimplex? *Eſt ſermo continuus, ubi unus idémque loquitur:* (*dicitur* Alloquium.)

4. Quid eſt Oratio compoſita? *Eſt ſermo inter plures partitus, ubi jam hic jam ille interrogat & reſpondet.* (Colloquium.)

5. Quid eſt Oratio contracta? *Ubi unus idemque aliquid & interrogat & reſpondet.*

6. Nonne aliter quoque dividitur Oratio? *Dividitur in proſam* (*ſeu ſolutam,*) *&* *ligatam.*

7. Proſa eſt, *quæ verbis liberè utitur; ut*, Ingenium vincit omnia.

8. Ligata, *quæ verba ad numerum, menſuram, & pondus redigit; ut*, Omnia conando docilis ſolertia vincit.

(*Tu nunc orationem proſam diſcis: Carminum rationem cognoſces in Grammatica eleganti.*)

9. De Proſodia & Orthographia Orationis quid mones? *Primùm hoc generale; ut*, Sermonis diſtinctionem (*per commata, cola, puncta*, &c.) accuratè obſerves, æquè in pronuntiatione atque ſcriptione ipſa.

(*Nec enim fruſtra ſcribuntur: ſed ut lectorem, ubi interſpirare, & quomodo vocem modulari debeat, moneant.*)

10. Lon-

10. Longior connextus Orationis etiam paragraphis, & summariis, ac marginalibus, ordinari solet.

(*Paragraphus est nova linea inceptio.*)

11. Quidquid emphaticum est, scribatur Majusculis, proferatúrque fortius.

(*Seu fuerit Vox una, seu Phrasis, seu Sententia, aut integer contextus* [*ut solent Epitaphia*] &c.)

12. Si quid notum allegatur, posito principio additur, &c. *hoc est*, & cætera.

13. Scribendi compendium est, cùm litera vel syllaba vocem significat; ut, *Mar. Tul. Cic.* hoc est, *Marcus Tullius Cicero*, S. P. R. Senatus Populúsque Romanus. S. D. P. Salutem dico plurimam. V. Vale. *&c.*

Cap. XV. De Usu Grammaticæ.

1. Didicisse Grammaticam ad quid est? *Ut scias quemvis Sermonem resolvere in Periodos, Sententias, Phrases, Voces, &c. rursúmque construere rectè; & reddere rationes utriusque.*

2. Et hoc ad quid? 1. *Ad accuratam intellectionem cujusvis Sermonis.* 2. *Ad faciliorem imitationem in rectè loquendo & scribendo.* 3. *Ad promptiùs transferendum de lingua in linguam.*

3. Egóne hoc potero? *Poteris, si cum attentione interfuisti, quàm Sylvam Vocum cæderemus in Lexico, & exasciare singula disceremus in Grammatica; jam enim poteris ad Eruditionis structuram venire, Mentisque tuæ aream opplere cognitione rerum, & exornare artificio Sermonis.*

4. Unde faciam initium? *A sequente* Janua linguæ Latinæ, *continente summariam rerum omnium historiam, sermonisque puri exempla perpetua: quibus intellectis, parabis tibi aditum in alios bonos Libros.*

5. Et potero intelligere? *Imò & in Vernaculum transferre, beneficio Lexici: & imitari exercendo stylum, ope Grammaticæ.*


(*Habes enim Lexicon, ut Janua hujus manubrium; & Grammaticam, ut clavem. Alterum igitur si semper tenebis sinistrâ, alterum dextrâ, patescent tibi omnia.*)

6. Sed memento: *quia significata Verborum pleraque jam intelligis è Lexico: & structuram Sermonis resolvere didicisti in Grammatica: jam potissimùm attendes Rebus, ut te cognitione illarum imbuas.*

7. *Omnia tamen hæc de Latino primùm transfer in Vernaculum: Orationis verò structuram examina Grammaticè.*

(*Quòd si continuaveris per menses aliquot, evades promptus utriusque linguæ usu.*)

FINIS.


THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY